TRACTATUS
DE
VIRILI AETATE LATINAE LINGUAE
PARS ALTERA

AUCTORE

IOH. NICOLAO FUNCCIO



MARBURGI CATTORUM,
EX OFFICINA PHILIPPI CASIMIRI MULLERI,
ANNO cIↄ Iↄccxxx.

SERENISSIMO.

ATQVE.

CELSISSIMO.

PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

GVILIELMO.

HASSIAE.

LANDGRAVIO.

PRINCIPI. HERSFELDIAE.

COMITI. CATTIMELIBOCI.

DECIAE. ZIEGENHAINAE.

NIDDAE. ET. SCHAVMBVRGI.

CETERA.

DOMINO. SVO. CLEMENTISSIMO.

TOT. POTENTISSIMORVM. REGVM.

INDVBITATO. SANGVINE,

AD. SALVTEM.

TERRARVM. HASSIACARVM.

NATO.

MAXIMOS. AEQVANTI. ANIMO.

AEQVATVRO. POTENTIA.

SI. MERITVS. VIRTVTI. ADSPIRET. FAVOR.

INCOMPARABILI. PRINCIPI.

HEROI. FORTISSIMO.

VICTRICIBVS. ARMIS.

ET. REBVS. PRAECLARE. GESTIS.

AETERNVM. MEMORANDO.

IVSTITIAE. CVSTODI.

LITERARVM. MAECENATI. SVMMO.

ET

ARTIVM. BONARVM. CVLTORES. FOVENTI.

PIO. FELICI. INCLVTO.

NOVVM.

DE. VIRILI. AETATE. LATINAE. LINGVAE.


SPECIMEN.

D.

IOH. NICOLAVS. FVNCCIVS.

IN. ACADEMIA. RINTELIENSI.

ELOQVENTIAE. HISTOR. ET. POLIT. PROFESSOR. ORDINARIVS.



QVoad longiſſime nobis memoriam veterum recolere licet, hanc illorum perpetuam videmus fuiſſe conſuetudinem, ad noſtram vſque aetatem quamplurimis deriuatam exemplis: vt opera ſua, vel quicquid multo labore dederint literis conſignatum, ad familiares, declarandi amoris et beneuolentiae, vel ad Principes Viros et Patriae Patres, de ſe multis nominibus optime meritos, grati animi et obſeruantiae teſtandae gratia, tandem mitterent. Nec diſpiciendae mihi fuerunt diu honeſtae cauſſae, plures enim ſunt, vt lucubrationum mearum particulam hanc, publici Iuris factam, SERENISSIME PRINCEPS, SERENITATI TVAE propriam tribuere atque, vt vulgo loquimur, dedicare audeam. Noui obrepentis et inſanae paſſim locorum barbariei de literis humanioribus iudicia, et tantum non vniuerſalem iſtarum et in academiis contemtum: vt eiusmodi quid ſcribere et in vulgus edere, haud

difficulter potuiffet effe religioni: auctoritas nifi TVA et fingularis, qua fimul omnes elegantiores difciplinas amplecteris, gratia me his prouinciis praeeffe, nec habita peffimae perfuafionis ratione, fi qui funt magis cauti et bonae indolis, quoquo modo, i. e. viua voce et fcriptis iuuare, pro viribus excitare magis magisque, et illis, quoties libet, anfam ad ftudia quaeuis fublimiora fuppeditare iuberet. Non pauci, quod Maximus literatorum Maecenas, et humanitatis ftudia amas, TVVM refpiciunt exemplum et inftitutum, fuaeque operae non incertam remunerationem exfpectant. Vt Auguftus olim, fic et TV nunc, FORTIS ET MAGNANIME PRINCEPS, reip. promouere falutem, imperare ciuibus, repellere hoftes didicifti, et victricibus armis, et prudenti confilio. Vtrumque non pudet poenitetque effe doctum, doctisque fauere, et quamplurimos habere Virtutis ac rerum geftarum praecones. Nemo non TVA fuperatur facundia. TVAM nemo non videt in memoria temporum, quae magiftra vitae, quae teftis eft veritatis, voluptatem verfari. At ciuilem prudentiam TV quotidie demonftras. Nulla fapientiae pars eft, GVILIELME PRINCEPS, quam non attigifti: et in plerisque ita verfatus es, vt non folum Principes difciplinarum aeques; verum etiam de iftis iudicium ferre praeclare poffis. Proficifcuntur multa optimae notae a viris bonis et praeftantibus, qui omnes animi dotes primarias poffident. Sunt alii, et ridentur merito,

rito, qui eruditione nulla imbuti, et hoſpites plane in illis artibus, quae ad humanitatem pertinent, et inter ſe quoddam commune vinculum habent, nonnunquam titulo et pondere magna pro ſingularibus et diuinis venditant. Tv vero, Incomparabilis Princeps, et aliquem mediocribus inter alumnos relinques locum: quem omni opera, ſtudio et cura, vt Graeci habent, a teneris vnguiculis, promereri olim atque tueri conatus ſum. Critico-hiſtorica et literaria trado: in quibus id me aſſecutum eſſe ſpero, vt veritatis quam maxime ſtudioſus, abhorrensque a falſis atque friuolis, nouatoribus non facile aſſentiar, aut a veterum Latinitatis probatae ſcriptorum auctoritate recedam. Orationis elegi formam, quae minus habet ſordium, at perſpicuitatis ad res declarandas ſatis: eam ratus dictionem conuenire ſatis Latinae linguae et perſonae meae, cui in mediocritate ſubſiſtere iucundum. Non pari modo omnibus perfectae orationis copia, ſplendor, elegantia, magnificentia procedit: nec ſummi aliquando ingenii viros, qui affectarunt iſtas virtutes, perfeciſſe omnia, vnquam poſt Ciceronem et paucos alios creditum fuit. Aduerſus literarum contemtores et maleuolos cenſores ſcriptorum Tv Magnvs Maecenas ortus es ingenuis illarum cultoribus, qui ad Te adeunt, et benigne excepti Gratiae Tvae abundantia perliberaliter afficiuntur: vt priſcum Maecenatem illum, ſiue conſideremus ſummum erga literatos fauorem, ſiue exactam opti-

optimarum artium peritiam, multis parasangis antecedas. Postquam ergo MAGNI *CAROLI*, PATRIAE PATRIS, singulari gratia elegantiores literae in Academia Hasso-Schaumburgica mihi demandatae fuerunt, grauissima nunc imperii cura maximam partem, ne ingrauescens MAGNANIMI PARENTIS aetas supplicantium strepitu nimium fatigetur, ad Virtutem Iustitiamque TVAM deuoluta, Rintelii primum, quod edidi, criticae de Latina lingua historiae specimen constitui proprium dicare TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, ac monumentum TE impensius venerantis, TVAEQ. SERENITATI, vt esse debet, deuinctissimae mentis statuere publicum: TVAE MAGNANIMITATI, et quam toties literatis testatus es, CLEMENTIAE facturus iniuriam, si vererer, ne hanc, vt vt leuis et Maximorum Principum persona non satis digni, libelli dedicationem vultu minus sereno excipias. Viue, PRINCEPS, et macte rebus praeclare gestis, quas TIBI et Reipublicae gratulor, Deum immortalem precatus, vt omnes cogitationes TVAS tam laetus sequatur euentus, vt Virtutibus tantis Patriae commodum et nouetur, et augeatur. T. O. M. Deus, rerum omnium Dominus et Arbiter, qui admirando POTENTISSIMARVM DOMVVM foedere Statum Ecclesiae et Regiminis fundauit optatum; nexibus aeternis, eodem firmato, intra perpetuum ac inoffensum vigorem, sub feliciſſimis POTENTISSIMORVM CAPITVM auspiciis, Salutem in Hassiacis terris atque publicam tranquillitatem vndiquaque sartam tectamque conseruare velit. Viue saluus et felix, DOMINE, et Supremi Numinis indulgentia quamplurimos annos TE STATOREM praesta Reip. literariae meritis laudibusque Augustum. Rintelii XV. Kalendas Aprilis cIↄ Iↄcc xxx.

TRA-

TRACTATVS

DE

VIRILI AETATE LATINAE LINGVAE

PARS ALTERA.

CAPVT I.

De claris Oratoribus.

§. I.

Studium eloquentiae et fori hoc tempore maximum fuisse Romae. 2. *Cicero oratorum Princeps agmen ducit.* 3. *Ac aemulus Q. Hortensius. Sequuntur* 4. *C. Curio.* 5. *C. Licinius Caluus.* 6. *M. Brutus.* 7. *M. Coelius.* 8. *T. Cassius Seuerus.* 9. *M. Callidius.* 10. *L. Torquatus.* 11. *L. Munatius Plancus.* 12. *M. Valerius Messala Coruinus.* 13. *T. Labienus.* 14. *L. Passienus Rufus.* 15. *Describitur C. Asinii Pollionis vita,* 16. *erga literatos beneuolentia,* 17. *ingenium & stilus.* 18. *Scriptorum quicquid in lucem emisit.* 19. *Diuersus ab illo Asinius Pollio Trallianus, diversi et alii.* 20. *Reliqui in oratores numerari non possunt.*

§. I.

AD illud progredimur Eloquentiae palatium, quod proceribus Romanis praecipue curae cordique fuit hoc ſeculo; et in quo laudem maximam quaerebant plerique et inueniebant. Fori ſtudium innuo, et oratoriam artem, quae cauſſas agebat publice, propemodum et ipſum imperium manu tenebat. Hinc legum commendatio; hinc magiſtratuum pro roſtris conciones; hinc accuſationes et patronorum defenſiones continuae: quae licet animos diſtrahere videbantur, tamen illorum temporum eloquentiam exercebant, magniſque praemiis artifices ſuos cumulabant. Neque enim ſolum concionari mercedibus maximis ſolebant; *a*) verum etiam quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores aſſequebatur; tanto magis in ipſis honoribus collegas ſuos anteibat; tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam externarum nationum redundabant. Hos ituri in prouincias magiſtratus reuerebantur, hos reuerſi colebant: cum et populum et ſenatum conſilio et auctoritate regerent; nec ſine eloquentia quisquam in ciuitate locum conſpicuum et eminentem aut aſſequi, aut tueri poſſe videretur. *b*) Tum enim, quotquot in crimen aut inuidiam vocati, ciues ſententiam ſuam tueri publice et eloquentia et ingenio

a) Quod de Clodio et Curione ſcribit TACITVS Annal. l. 11. c. 7.
b) Vid. Auctor dialogi de oratoribus cap. 36. confer. CICERO orat. pro M. Coelio cap. 30. de oratore lib. 1. c. 4. Diſſert. noſtra de adoleſcentia. L.L. cap. 5. §. 3.

nio tenebantur, suaque testimonia non absentes poterant dare tabellis, sed coram et praesentes dicere cogebantur. Itaque summum eloquentiae studium cum aliis commodis et extrema necessitate praemia quoque maxima et honores coniunctos habuit. Testimonio eruditissimi auctoris, cuius exstat dialogus, an sui seculi oratores antiquis concedant; *c) disertum haberi, pulchrum et gloriosum: sed contra, mutum et elinguem videri, deforme habebatur. Ergo non minus rubore, quam praemiis stimulabantur: ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur: ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent: ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur.* Post pauca idem *d)* testatur Pompeium et Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse: Lentulos, Metellos, Lucullos, Curiones, proceresque ceteros multum in his studiis operae curaeque posuisse: nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine eloquentia consecutum *e)*. Accedebat rerum splendor, et caussarum magnitudo, quae plurimum eloquentiae prae-

 stat:

c) l. c. *d)* Cap. 37. confer. TACITVS annal. l. 13. c. 3. vbi notat, *primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. Nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus: et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit.* &c *e)* CICERO orat. pro Roscio ab exord. *credo ego vos iudices mirari, quid sit, quod quum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim.* Proinde non audiendus est GELLIVS noct. A tic. l. 19. c. 14. vbi, *aetas*, inquit, *M. Ciceronis et C. Caesaris praestanti facundia viros paucos habuit*, et quae sequuntur, nisi mendum, quod mihi persuadeo, in textu vulgato sit, ac inserenda particula *non*, ut legatur, *viros non paucos habuit.* Atque etiam illud videtur subiecta de Varrone ac Nigidio sententia requirere, et rerum copula

ſtat: *f*) nam multum intereſt, vtrum de furto, aut formula, aut interdicto, aut re qualibet minori dicendum habeas, an de cõmitiorum ambitu, tot prouinciarum et publicae rei ſalute, ſociis expilatis, ciuibus trucidatis, bello ſuſcipiendo, componendo, eligendo imperatore etc. quae inſignem eloquentiae vim atque materiam ſubminiſtrant. Creſcit cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam illuſtrem atque claram orationem facere poteſt, niſi qui parem dictioni et viribus eloquentiae cauſſam inuenit. Quamobrem Craſſus olim *g*) omnem omnium rerum atque artium ſcientiam comprehendit vno oratoris officio ac nomine. Sed TVLLIVS *h*) eum appellauit oratorem, qui et verbis ad audiendum iucundis, et ſententiis ad probandum accommodatis vti poteſt in cauſſis forenſibus atque communibus, eumque praeterea inſtructum eſſe voce, et actione, et lepore quodam voluit. Accedebat ſumma cura et induſtria: vt ſcriberent orationes ſuas, antequam haberentur: *i*) atque etiam dictas ad limam reuocarent, curisque poſterioribus elegantiores multo facerent et omni ſua parte perfectas: quod veterum monumenta, quae diuino beneficio nobis ſuperſunt, abunde teſtantur.

§. II.

Inter omnes non ſolum Rhetores, ſed etiam Oratores, principem locum tenuit M. T. CICERO, qui ſidere feliciſſimo natus, et omni ſcientiarum genere exornatus, in arce ſtetit Romanae eloquentiae: vt non tam de nomine illius, quam lumine

f) Hinc CICERO ad famil. l. 2. epiſt. 14. ad Caelium: *noui ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui veſtra opera vti velit.* *g*) Apud TVLLIVM de oratore lib. 1. cap. 49. *h*) l. c. *i*) Vid. CICER. de claris oratoribus cap. 24. confer. differt. noſtra de adoleſcentia L. L. cap. 5. §. 11.

lumine omnium ſplendidiſſimo laetari et gloriari iure meritoque poſſimus. Maxima vis, et ſuauitas, et copia eſt in eius oratione; dignitas maxima et abundantia rerum, honeſtas item maxima ſententiarum. Agens cum neceſſariis et amicis familiariter, in ſimplicitate inimitabili ſummum prae ſe fert nitorem et verborum delectum; in orationibus grauitatem et eruditionis omne genus, quod diuino ingenio ſuo attigit non modo, ſed illuſtrauit mirifice et amplificauit: vt nihil tam ſit abſtruſum ac difficile, quod pro illo rerum vſu et doctrina excellenti non pulcherrime exornauerit: eaque fuerat commendatio oris atque orationis, vt nemo ei dicendo reſiſtere poſſet. Operae ergo fuerit pretium, ſingulari capite vitam et merita illius exponere. Et properamus ad alios oratores, qui cum iſto eadem aetate floruerunt.

§. III.

Q. HORTENSIVS Romanus et nobilis orator, Ciceronis aemulus, familiaris et in auguratu collega, *k*) quocum aetate et dicendi ardore coniunctus erat: *l*) valde iuuenis ſequebatur caſtra, primo anno miles, altero tribunus militum. *m*) L. Craſſo et Q. Scaeuola Coſſ. id eſt, anno ab V. C. ɔɔCLIX. primum in foro dicere coepit, annos natus vndeuiginti; eo quidem applauſu, vt primas in cauſſis ageret, ac magis magisque in dies probaretur. *n*) Erat enim in eo, praeter memoriam verborum ſtupendam, qua ſine ſcripto animi meditata verbis totidem reddere valebat, *o*) etiam dicendi ratio acris, incenſa, agens, et canora, qualem tum concurſus hominum

A 3 fori-

k) Vid. CICER. ad famil. l. 3. epiſt. 8. Et de claris orator. cap. 1. *l*) Idem de clar. orat. c. 92. *m*) Ibid. cap. 89. *n*) Ibid. cap. 90. *o*) Ibid. c. 88. Academ. quaeſt. l. 2. c. 1. Tuſcul. quaeſt. l. 1. c. 24. extr.

forique strepitus desiderabat. *p)* Eo tempore et Cicero multum coepit caussis dicendis et orationibus valere in foro. Hoc quaesturam, et Cotta consulatum petente, Hortensius aedilitatem petebat. *q)* Nec longe post Consul factus est cum Q. Caecilio Metello anno ɪɔCLXXXV. Tum Cicero designatus Aedilis in patrocinio Siciliensi cum Hortensio consule designato in certamen venit. *r)* Post consulatum Hortensius quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent, summum illud dicendi studium suum remisit, quo fuerat a puero incensus; atque voluit in omnium rerum abundantia beatius, vt ipse putabat, certe remissius viuere *s)* Quo factum est, vt sui dissimilior quotidie fieret. Sed anno sexto post eum Cicerone facto consule; quum iam euanuisset pene, Hortensius coepit ad industriam se reuocare: ne quod pares essent honore, Cicero aliqua re superior videretur. Ita duodecim annos, quum vterque sibi alterum anteferret, coniunctissime versati sunt. *t)* Cum perpaucis ante mortem diebus adhuc defendisset Appium, Bruti socerum, ɪɔCCIV. L. Aemilio Paulo et C. Claudio Marcello Coss. aetatis suae quarto et sexagesimo anno, diem obiit supremum: *v)* non sine maximo Ciceronis luctu, qui ad Atticum scribit: *x) de Hortensio te certo scio dolere, equidem excrucior: decreueram enim cum eo valde familiariter viuere.* Quantus fuerit orator, idem his verbis osten-

p) Idem CICERO de clar. orator. c. 92. *q)* Ibid. cap. 92. *r)* Ibid. cap. 92. Confer. Verrin. orat. 1. cap. 7. seqq. *s)* CICERO de clar. orat. c. 93. *t)* Ibid. c. 94. *v)* Ibid. cap. 94. et 96. vbi Crasso consule et Scaeuola vsque ad Paulum et Marcellum consules eum floruisse testatur: vnde pateret eum XLIV. annos in patronorum numero fuisse. *x)* Lib. 6. epist. 6. confer. eiusd. Brutus seu de clar. orat. c. 1.

oſtendit: *y*) *Hortenſius quum admodum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeriter ad maiores cauſſas adhibere coeptus eſt: quanquam inciderat in Cottae et Sulpitii aetatem, qui annis decem maiores* -- memoriae *adiumento ille tanto ſic vtebatur, vt ſua et commentata et ſcripta, et nullo referente, omnia aduerſariorum dicta meminiſſet. Ardebat autem cupiditate ſic, vt in nullo vnquam flagrantius ſtudium viderim. Nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Saepiſſime autem eodem die vtrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones quibus de rebus dicturus eſſet, et collectiones, memor et quae eſſent dicta contra, quaeque ipſe dixiſſet. Erat in verborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus, eaque erat cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus, rem complectebatur memoriter, diuidebat acute, nec praetermittebat fere quicquam quod eſſet in cauſſa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum: vox canora et ſuauis, motus et geſtus etiam plus artis habebat, quam erat oratori ſatis.* Sed tamen adoleſcens magis floruit dicendo, quam ſenior: quod genus orationis ſibi delegerit Aſiaticum, adoleſcentiae magis, quam ſenectuti conceſſum. *z*) In primis illi probro data eſt nimia mollities, et in toto veſtitu, ſupra quam credas, anxia quaedam elegantia. Nihil ergo

y) De clar. orat. cap. 88. confer. CORN. NEPOS Attic. cap. 5. *Vtebatur autem* Atticus *intime Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiae tenebat* etc. CICERO ad Attic. l. 6. epiſt. 6. et XIPHILINVS initio excerptorum de Hortenſio: *πλεῖϛον τῶν κατ' ἀυτὸν ἀνθρώπων μετά γε τὸν κικέρωνα ἠδονήθη inter aetatis ſuae homines plurimum poſt Ciceronem valuit.* *z*) CICERO de clar. orat. cap. 95. confer. eiusd. de Oratore l. 3. c. vlt. et M. SENECA controuerſ. praefat.

ergo mirum, si, quum ipse supra modum sumtuosus, et in vestitu mollis foret, consulibus, sumtuariam legem ferre volentibus, fuerit auersatus. *a*) Imo collegae diem dixit, quod in angustiorem locum factus sibi obuiam, occursu fortuito deturbasset togae structuram, adeo capitale crimen in collega duxit. *b*) Scripsit *orationes*, CICERONI memoratas, *c*) *poemata d*) et *annales*. *e*) Ex omnibus vero ne minimum quidem fragmentum superest, ex quo possimus de dictione illius iudicare. Filiam habuit, paternae eloquentiae heredem: quae, cum matronarum ordo graui tributo a Triumuiris, Octauio, Antonio et Lepido, premeretur, nec quisquam virorum auderet patrocinium illarum suscipere, ipsa communem caussam intrepide et constanter egit, obtinuitque, vt maior pecuniae pars illis remitteretur. *f*)

§. IV.

C. CVRIO, celeberrimus orator, ex familia Scribonia, quod ex cognomine *g*) patet, oriundus, multum valuit eloquentia, iisdem, quibus Cicero, temporibus: cuius ad illum scriptae supersunt epistolae plurimae. *h*) Pater eius fuit C. Scribonius Curio, itidem eloquentia, *i*) et rebus gestis in Mace-

a) Vt DIO narrat lib. 39. confer. MACROBIVS Saturn. l. 3. c. 13. init. *b*) PL. conf. VARRO de R. R. l. 3. c. 6. et imprimis cap. vlt. PLINIVS l. 9. c. 55. et l. 10. c. 20. GELLIVS l. 1. c. 5. MACROBIVS l. 3. c. 13. VALER. MAX. l. 8. c. 10. n. 2. *c*) De clar. orat. c. 94. *d*) Vid. GELLIVS lib. 19. c. 9. *e*) VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 16. *f*) Vid. APPIANVS belli ciuilis l. 4. vbi ipsa orationis illius capita refert. QVINTILIANVS l. 1. c 1. VALERIVS MAX. l. 8. c. 3. *g*) Vid. CAR. SIGONIVS de nomin. Roman. apud Gothofredum auctor. L. L. pag. 1439. *h*) Vid. CICER. ad famil. l. 2. epist. 1–7. *i*) Auctor dialogi de oratoribus apud Tacit. cap. 37. CICERO de oratore l. 2. c. 23. de claris oratoribus c. 60. SVETON. Iul. Caesar. c. 9. 49. et 50. orationum eius meminit.

Macedonia, de qua triumphauit, et consulatu, quem anno DCLXXVIII. cum Cn. Octauiano gessit, vir clarissimus, et Ciceroni amicus, cuius hic mortem dolet epistola singulari ad filium scripta. *k*) Neque enim dubitauit ille summus orator literarum commercium instituere cum adolescente Curione: quem natum ad eloquentiam, et maiores suos, oratores praeclaros, aequaturum praeuidebat. Romam ex Asia redux, principum more, vt fecerat ab adolescentia, multum operae et curae in fori studio posuit, *l*) atque mercedibus maximis concionari solitus est. *m*) Quum Cicero Ciliciae prouinciae praeesset, Curio Tribunus plebis creatur: quam auctoritatem ipsi ille gratulatur, *n*) eumque hortatur simul, ne quorumuis consiliis ab reip. fauore se auferri patiatur, Caesarem notans, a quo intellexerat Curionem sollicitari. Tum enim, quod coeperit dissentio Caesaris et Pompeii a senatu, grauis ipse Curio in tribunatu suo Caesaris oppugnator fuerat. Postea gliscente adhuc bello ciuili, ut aere alieno se liberaret, Caesaris auro spoliisque Gallicis captus, ad Caesaris partes transiit, *o*) vir audax et acer, et fax belli ciuilis praecipua: quippe qui simulato metu, cum Roma profugisset, ad Caesarem in castris tunc ad Rubiconem sedentem accessit, et illum non sine opprobrio ad bellum patriae quam primum inferendum adhortatus est. *p*) Missus postmodum a Caesare in Africam, dum audacius bellum gereret, a Sabura in insidias praecipitatus, prope cum toto exercitu internecioni datur ad Braya-

k) Ad famil. l. 2. epist. 2. *l*) Auctor dialogi de oratoribus cap. 37. *m*) TACITVS Annal. l. 1. c. 7. confer. CICERO de officiis l. 3. c. 22. *n*) Ad famil. l. 2. epist. 7. *o*) Caelium etiam ad partes Cæsaris traxit. vid. CICER. ad famil. l. 8. epist. vlt. *p*) Vid. CICERO ad famil. l. 16. epist. 10.

Brayadam, eiusque caput ad Iubam portatur. *q*) Orationum eius meminit CICERO, *r*) et splendidioribus verbis scripsisse alibi *s*) testatur, Latine non pessime locutum, vsu aliquo domestico.

§. V.

C. LICINIVS CALVVS C. Licinii Macri filius *t*) C. Mario et Cn. Carbone III. Coss. anno DCLXXII. natus, magni nominis orator fuit, adeo vt quidam non dubitarint eum cunctis praeponere. *v*) Constat profecto nullum fere insigne iudicium exstitisse, dum in foro viguit, cuius non pars ipse aut cum Cicerone, aut in Ciceronem fuerit. Diu cum Cicerone de principatu eloquentiae litem iniquissimam habuit. Sed praepropera mors litem diremit. Nam trigesimo aetatis anno exspirauit. Vsque adeo violentum accusatorem et concitatum fuisse, aiunt, vt in media actione eius surgeret Vatinius reus, et exclamaret: *Rogo vos, iudices, num si iste disertus est, ideo me damnari oportet? x*) Vatinium autem semel iterumque accusauit Caluus paulo maior viginti annis *y*) totius ciuitatis frequenti concursu, et aduersus eum egregie dixit alibi: *Factum esse ambitum omnes scitis, et vos hoc scire omnes sciunt.* Vatinio in vtraque caussa Cicero affuit. C. Catonem et Messium cum Caluo tuitus est Cicero, accusauit

q) Vide, inter reliquos horum temporum historicos, LVCANVM l. 1. v. 267. seqq. FLORVM l. 4. c. 2. PLINIVM hist. nat. l. 36. c. 15. CICER. ad Atticum l. 10. epist. 13. l. 2. epist. 19. SVETON. Iul. Caes. cap. 36. *r*) De claris oratoribus c. 32. *s*) Cap. 58. et 59. *t*) Vid. VALER. MAX. l. 9. c. 12. n. 7. *v*) Teste FABIO instit. orat. l. 10. c. 1. *x*) Vid. SENECA controu. 19. confer. ibid. NICOL. FABER, totidemque verbis AND. SCHOTTVS de claris apud Senecam Rhetoribus p. 9. *y*) Auctor de oratoribus apud Tacit. cap. 34. extr. confer. FABIVS instit. orat. l. 12. c. 6.

ſauit Aſinius Pollio. Caluus poſtea cum videret a clientibus Catonis rei ſui Pollionem circumuentum, imponi ſe ſupra cippum iuſſit (erat enim paruulus ſtatura z) quapropter CATVLLVS a) illum *Salaputium* b) *diſertum* vocat) iurauitque ſi quam iniuriam Cato Pollioni Aſinio, accuſatori ſuo, feciſſet, ſe in eum iuraturum calumniam: nec vnquam poſtea Pollio a Catone eiusque aduocatis, aut re, aut verbo, violatus eſt. c) In ipſa actione ſolebat excedere ſubſellia ſua, et impetu latus, vsque in aduerſariorum partes, transcurrere. d) Id quod reprehendit FABIVS, e) et CASSIVS SEVERVS auerſatus eſt adeo, vt lineam in eiusmodi oratores poſceret. Praeter carmina, de quibus obſeruauimus nonnihil ſupra, vbi poetarum facta eſt mentio, ſcripſit Caluus noſter epiſtolas f) et libris vno et viginti orationes, quas Auctor dialogi de orato-

z) Hinc OVIDIVS:

Par fuit exigui ſimilisque licentia Calui.

a) Epigr. 54.

Riſi neſcio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Caluus explicaſſet,
Admirans ait haec, manusque tollens
Dii magni Salaputium diſertum.

b) *Salaputium* a *ſalacitate* et *putando* homo breuis ſtaturae ein klein Männlein ficto nomine dicitur. SCALIGER in Catullum et Virgil. catalecta ſcripſit, nutricum eſſe infantibus blandientium vocem. Vid. etiam SCHOTTVS ad Senec. l. 3. controuerſ. 19. pag. 153. edit. Pariſ. 1613. fol. SALMASIVS in Sal. pag. 50. (cui etiam GRONOVIVS accedit) opinatur legendum eſſe *Salopugium* σαλοπύγιον i. e. fritilla ſiue motacilla, eine Bachſtelze / ἀπὸ τοῦ σαλεύειν τὴν πυγὴν, quod caudam crebro quatiat. c) Vid. SENECA controuerſ. 19. d) Ibid. e) Inſtit. orat. l. 11. c. vlt. f) Auctor dialogi de oratoribus cap. 18.

oratoribus apud Tacitvm *g)* quam maxime commendat: et oratorem hunc nostrum adscribit optimis, *h)* et stilum eius iudicat esse verbis ornatum, et sententiis, iudicum auribus accommodatum. *i)* Qvintilianvs *k)* illi tribuit orationis sanctitatem et iudicium; Cicero *l)* praeterea doctrinam et elegantiam, ita tamen, vt nimiam eius in oratione religionem reprehendat. *Orator*, inquit, *fuisset cum literis eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi, et exquisitius afferebat genus: quod quanquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese obseruans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris, a multitudine autem, et a foro, cui nata eloquentia est, deuorabatur.* Et quae sequuntur de Atticismi affectatione. Hinc ille, qui de oratoribus dialogum conscripsit, Tacito vel Qvintiliano tributum, *m)* Caluum ait quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum; rursumque Ciceronem a Caluo male audiuisse, tanquam solutum et eneruem. Ita figilus figulum odisse, et alter alteri, quantum potuit, detraxisse videtur. Seneca *n)* vero inquit: *Compositio quoque eius* Calui *in actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia excitata et fluctuantia.* Et Iunior Plinivs *o)* Caluum hunc Demostheni esse similiorem, quam M. Tullium iudicat. *p)* Sed facile quisque videt pro ingenio suo, et

g) Cap. 21. et 34. etc. *h)* Cap. 17. et 25. *i)* Cap. 21. *k)* Instit. orat. l. 10. c. 1. *l)* De claris oratoribus cap. 82. *m)* Cap. 18. *n)* Controu. 19. *o)* Lib. 2. Epist. 2. *p)* Vid. etiam Tvrnebvs Adu. l. 28. c. 22.

et dicendi genere sibi maxime familiari, auctores illos de scriptis aliorum sentire.

§. VI.

Caluo subiungitur vulgo M. BRVTVS ORATOR, quo Cicero valde familiariter vtebatur, atque commentarios de oratoribus ipsi adscribere nullus dubitabat. Vterque autem se dici volebat oratorem Atticum, et Ciceronem vt Asiaticum nimis culpabat: quod ex ipsius Ciceronis Bruto non potest esse obscurum. Atqui hoc etiam testatur Auctor dialogi de oratoribus apud TACITVM, qui Fabius esse dicitur. *q*) Plura scripsimus de eo, vbi principes literarum fautores prolixiori oratione prosecuti sumus. *r*) Neque aliud, praeterquam M. SENECAE dictum, *s*) illis addere hic placet: ***M. Bruti sacratissimam eloquentiam lacerat, cum quidam eius ciuili sanguine non inquinatas solum manus, sed infectas ait: atque ille tamen cum tres consulatus, ac tres triumphos scinderet, adeo non timuit, ne esset reus, vt etiam disertus esse curauerit.***

§. VII.

M. COELIVS, *t*) ex illustri familia Romanus, orator haud incelebris, quem ab adolescentia Cicero ipse continuo secum habuit, et eloquentiae studio imbuit ab eo tempore, quo virilem togam ex consuetudine illius seculi a patre acceperat. Proinde maximus ille orator in concione publica testatus est, *v*) hunc a patre continuo ad se esse de-

 ductum

q) Cap. 18. *r*) Huius dissert. cap. 2. §. 13. et 14. *s*) Controu. 30. confer. SCHOTTVS ad h. l. *t*) Aliis *Caelius*. Nomen id plures inscriptiones et nummi referunt per OE. Nec desunt inscriptiones in quibus per AE exprimitur. vid. MANVT. orthogr. *v*) Orat. pro M. Coelio cap. 4. confer. Ejusd. lib. 6. ad Attic. epist. 6. et lib. 2. ad famil. epist. 8. et 15.

ductum; a nemine hunc M. Coelium in illo aetatis flore visum, nisi aut cum patre, aut cum Cicerone, aut in M. Crassi castissima domo, quum artibus honestissimis erudiretur. Et in peroratione *x*) subiunxit defensioni, quam susceperat pro eo, commendationem aetatis primae, quae disciplinis dedita fuerit, iisque artibus, quibus olim Romani ad vsum forensem, ad capessendam Remp. ad honorem, gloriam atque dignitatem instructi fuerunt. Etiam satis mature in publicum processit et sedulam foro dedit operam: mox Aedilis curulis factus: quam dignitatem ipsi gratulatur CICERO, *y*) eumque, quod liberalius rem suam videretur agere, ex iuuenili ardore, ad frugalitatem, et iustitiam adhortatur, ne cum alios accusasset, ipse reus ageretur. *z*) Accusauerat inter alios C. Antonium de vi, ex lege Lutatia, anno vrbis DCXCIV. *a*) Studium ipsius laudat TVLLIVS, *b*) vbi illum maximis caussarum patronis annumerat, et inter alia, *noui*, inquit, *ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui vestra opera vti velit. Sed in hoc homine*, quem commendat, Marco Fabio, *nullam accipio excusationem.* Sed ipse grauiter accusatus postea de vi, Neapolitana seditione, pulsatione Alexandrinorum Puteolana et aliis criminibus defenditur a M. Crasso; atque iterum accusatus de auro, quod a Clodia sumsis-

---

x) Orat. cit. cap. 30. *y*) Ad famil. lib. 2. epist. 9. *z*) CICERO ad Attic lib. 6. epist. 1. confer. eiusd. ad famil. lib. 2. epist. 11. *a*) Vid. FABRICII histori› Ciceronis hoc anno. ab exord. *b*) Ad famil. lib. 2. epist. 14. Et in Bruto cap. 79. vbi de claris oratoribus: *nec vero*, inquit, *M. Coelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit, qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis trib. pleb. fuit, vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum caussa steterit constantius.*

ſumſiſſe, et veneno, quod eiusdem Clodiae necandae cauſſa parauiſſe dicebatur, a CICERONE *c*) anno vrbis DCXCVII. apud Cn. Domitium Praetorem elegantiſſima oratione defenditur. *d*) Superſunt Ciceronis ad M. Coelium, *e*) et viciſſim huius ad illum epiſtolae: *f*) ex quibus de ſtilo ipſius aliquo modo iudicare poſſumus. In primis vero audiendus eſt iudex ſtili Romani optimus, *g*) qui et ſplendidam, et grandem, et facetam, et perurbanam orationem illi tribuit. Sed auctor dialogi de oratoribus, *h*) amariorem putauit Coelium eſſe ceteris oratoribus, qui et prioribus et ſequentibus anteponuntur. Alibi *i*) *Quid*, inquit, *ex Coelianis orationibus? nempe hae placent ſiue in vniuerſa parte factum in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoſcimus. Sordes autem verborum, et hians compoſitio et inconditi ſenſus redolent antiquitatem. Nec quemquam adeo antiquarium puto, vt Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus eſt.* Vtrum praeſtet ſuapte prudentia quisque viderit. Eiusmodi certe nihil in epiſtolis Coelianis, quae ſuperſunt, reperiri perſuaſus ſum: neque amori cuiusquam indulgere adeo ſolitus eſt Cicero, vt recte genium orationis ipſius deſierit iudicare: cuius iudex acerrimus ſemper et vbique fuit.

§. VIII.

c) Cuius oratio exſtat cum aliis num. 35. *d*) Vid. FABRICII hiſtor. Ciceron. ad ann. Ciceronis 51. num. 63. ſeqq. *e*) Ad famil. l. 2. epiſt. 7--15. *f*) Ad famil. lib. 8. epiſt. 1--17. vlt. *g*) CICERO de claris orator. cap. 79. Conſentit FABIVS inſtit. orator. l. 10. c. 1. *Multum ingenii in Coelio, et praecipue in accuſando multa vrbanitas: dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigiſſet.* Nam iuuenis admodum deceſſit. *h*) Cap. 25. *i*) Cap. 21. Confer modo allegatum Fabii teſtimonium: ex quo dialogum hunc ſcripſiſſe, aliquomodo videtur poſſe negari.

§. VIII.

T. CASSIVS SEVERVS, diuersus a *Cornelio Seuero*, coaetaneo et gentili poeta, extremis Augusti temporibus floruit, celebris orator. *k)* TACITVS *l)* auctor est, cum scriptis suis procacibus proscidisse viros feminasque illustres: eaque re primum occasionem dedisse Augusto, vt de famosis libellis cognitionem susciperet. Adeoque scripta eius senatus consulto damnata sunt publice, et exilio ipse multatus est. Hac de re idem TACITVS: *m)* *Relatum*, inquit, *de Cassio Seuero exsule, qui sordidae originis, malefícae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, vt iudicio iurati senatus Cretam amoueretur, effecerat: atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia aduertit; leonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Scriphio consenuit.* Exilii anno vigesimo quinto obiit, summa inopia, vix panno verenda contectus. *n)* Si fidem SENECAE *o)* habemus, *oratio eius erat valens culta, ingentibus plena sententiis. Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse. Nulla pars erat, quae non sua virtute staret. Nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia intenta aliquo, petentia. Nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus. -- Cum diceret, rerum potiebatur: adeo omnes imperata faciebant. Cum ille voluerat, irascebantur. Nemo non illo dicente timebat, ne desineret. -- Tantundem erat in homine, quantum in ingenio: corporis magnitudo conspi-*

k) Vid. PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 12. et l. 35. c. 12. QVINTILIANVS instit. orat. l. 10. c. 1. Auctor dialogi de oratoribus c. 19. *l)* Annal. l. 1. cap. 72. confer. HORATIVS Epod. 6. *m)* Annal. lib. 4. cap. 21. *n)* Vt HIERONYMVS ait in Chronico Eusebiano ad ann. 4. Olymp. 202. post Christum natum 39. *o)* Praefat. lib. 3. epitomes declamation.

conspicua, suauitas valentissimae vocis. — Vir praesentis animi, et maioris ingenii quam studii, magis placebat in his quae inueniebat, quam in his quae attulerat. Iam vero iratus commodius dicebat. Ideo diligentissime cauebant homines, ne dicentem interpellarent. — Vno die priuatas plures agebat, et ita vt alteram ante meridiem ageret, alteram post meridiem: publicam vero nunquam amplius quam vnam vno die. Nec tamen scio, quem reum illi defendere, nisi se, contigerit. Adeo nunquam vllam materiam dicendi, nisi periculis suis, habuit. p) — PHRASIM deinde laudat eius, *nec vulgarem, nec sordidam, sed lectam: genus dicendi non remissum aut languidum, sed ardens et cogitatum: nec lentas, nec vacuas explicationes, sed plus sensus quam verborum habentes: diligentiam, maximum etiam mediocris ingenii subsidium. q)* Orationis vero acerbitatem ei tribuit FABIVS, *r)* et quod plus stomacho, quam consilio dederit. Consentit omnino Auctor dialogi de oratoribus, *s)* qui Fabius ipse creditur fuisse. Oratoris nostri scripta citant, praeter QVINTILIANVM, CHARISIVS SOSIPATER et DIOMEDES. Istorum mentionem etiam fecit SVETONIVS *t)* qui auctor item est, Caesarem Caligulam Cassii Seueri scripta, Senatusconsultis abolita, requiri, et esse in manibus lectita-

p) Sed accusauit plures, vt P. Asprenatem veneficii reum, celebrem oratorem et virum ex consulari familia spectatissimum, cum eius vna patina cxxx. conuiuae interiissent. Teste SVETONIO August. cap. 56. PLINIO hist. natur. l. 35. c. 12. et QVINTILIANO Instit. orat. l. 1. c. 1. Sed plerique rei ab illo facti absoluebantur. Quare Augustus, cum architectus fori exspectationem operis diu traheret, ita iocatus est: *Vellem Cassius et meum forum accusasset.* MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 4. *q)* Meminit etiam SENECA huius Seueri controu. 18. et 29. *r)* Instit. orat. l. 10. c. 1. *s)* Cap. 26. confer. eiusd. cap. 19. *t)* Vitell. cap. 2.

lectitarique permisisse, quando maxime sua interesset, vt facta quaeque posteris tradantur. *v*)

§. IX.

M. CALLIDIVS orator clarissimus fuit, qui bello ciuili postea secutus partes Caesarianas, cum togatam Galliam regeret, Placentiae obiit. *x*) Quinquagesimo autem Ciceronis anno, ab V. C. DCXCVI. Praetor fuit: *y*) cuius testimonio, *z*) oratores inter multos singularis reconditas exquisitasque sententias oratione molli ac pellucente vestiebat. Nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum; nihil tam flexibile, nihil quod magis arbitrio ipsius fingeretur. Erat oratio ita pura, vt nihil liquidius; ita libere fluebat, vt nusquam adhaeresceret. Verbum etiam nullum non suo loco positum apparebat. Nec vero vllum aut durum, aut insolens, aut humile, aut in longius ductum erat. Pleraque non tam propria, quam translata habebat, sic tamen, vt ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum viderentur. Neque haec soluta aut diffluentia, sed numeris adstricta varie dissimulanterque conclusis. Erant et verborum et sententiarum illa lumina, quas Graeci vocant σχήματα, quibus, tanquam insignibus, omnis oratio in ornatu distinguebatur. Accedebat ordo plenus artis, actio liberalis, totum genus dicendi placidum atque sanum. Neque tamen videtur maximo oratori assecutus fuisse eam laudem, qua permoueret satis atque animos

v) Caligul. cap. 16. Pl. confer. SCHOTTVS de claris apud Senecam Rhetoribus pag. 11. et G. I. VOSSIVS de historicis Latinis lib. 1. cap. 21. *x*) Vid. HIERONYMVS in Chron. Eusebian. ad an. M. DCCCCLX. *y*) Vid. FABRICIVS historia Ciceronis h. a. num. 1. *z*) De claris oratoribus cap. 79. et 80.

animos incitaret: quod ipse probat ex caussa Q. Gallii, quem defendente M. Tullio accusauerat. Vnde patet, quam delicatum fuerit eo tempore studium fori, ac genus dicendi, quod oratoribus proprium esse vulgo credebatur, et erat.

§. X.

L. TORQVATVS, a materno genere municipalis erat *a)* paterno ex illustri T. Manlii prosapia oriundus: is enim primus, quum Gallum vinceret, a torque detracto, *Torquatus* dictus est, atque cognomen illud omnibus suis posteris non solum imposuit, verum etiam insigne clarissimum perpetuumque reliquit. *b)* C. Marii, M. Ciceronis, et Pomponii Attici condiscipulus erat, cuius maxime studio incitatus, *c)* sedulam bonis artibus nauare operam et eloquentia in ciuitate sua, nec irrito conatu excellere instituebat. Atque etiam istos aequales sibi consuetudine familiari adeo deuinxit: vt omnium illi perpetuo charissimi fuerint. Eius in Hortensium Oratorem atrocius conuicium atque responsionem Hortensii A. GELLIVS *d)* notat. Cum L. Aurelio Cotta consul fuit, primo IↃCLXXIX, secundo cum eodem IↃCLXXXIX. atque adeo decennio post. Quamobrem CICERO *e)* maluit eum vocare politicum, quam rhetorem. Ciuili bello in Africa cum Scipione periit. *f)* In contentione memorata Hortensius *g)* illum quidem ἄμυσον, ἀγροδίαιτον καὶ ἀπρόσιτον vocat: Sed MARC. TVLLIVS *h)* testatur, quod fuerit *elegans in dicendo, in existiman-*

a) CICERO pro P. Sulla orat. cap. 8. *b)* Vid. CICERO de fin. l. 1. c. 7. l. 2. c. 22. de offic. l. 3. c. 31. LIVIVS lib. 7. c. 10. A. GELLIVS noct. Attic. l. 9. c. 13. SVETON. Caligul. c. 35. *c)* Vid. CORN. NEPOS Attic. cap. 1. *d)* Noct. Attic. l. 1. c. 5. *e)* de clar. orat. c. 76. *f)* HIRT. Afric. bell. c. 96. *g)* Apud GELL. l. c. *h)* De claris orat. cap. 68.

ſtimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Rurſum, *i*) *erant*, inquit, *in eo plurimae literae, nec eae vulgares, ſed interiores quaedam et reconditae diuina memoria: ſumma verborum et grauitas et elegantia, atque haec omnia vitae decorabat grauitas et integritas.* Alibi *k*) hominem cum vocat omni doctrina eruditum: alibi *l*) virum fortem, quem præbuit ſe cum aliis rebus praeclare geſtis, tum filii ſui condemnatione, vt vel propter Rempublicam ipſi nunquam potuerit in conſpectum venire. *m*)

§. XI.

i) Loc. cit. cap. 76. *k*) De finibus lib. 2. c. 5. *l*) Ad Attic. l. 8. epiſt. 13. *m*) De finibus lib. 1. cap. 7. Eius in bello ciuili conſilium patet ex epiſtola Ciceronis ad Atticum 21. lib. 7. Huc ſpectat egregium tabularum diurnarum fragmentum, ex apographo Voſſiano a Cl. Dodwello editum, et recenſitum annotat. ad Liv. edit. Oxonienſ. 1708. 8. vol. 6. p. 256.

D. IV. SYLLANO. L. MVRENA. COSS.

AD. III. IDVS. SEXTIL.

FASCES. PENES. MVRENAM.

IS. FENE. MANE. SACRVM. FECIT. AD. CASTORIS.

DIIS. PENATIB. PVB. INDE. COEGIT. IN. CVRIA. POMPAE.

SYLLANVS. CVM. ACCENSIS. CAVSAM. DIXIT. APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO. EX. MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO. DE. VI. PRIVATA.

ACCVSAVIT. L. TORQVATVS. FILIVS. ABSOLVTVSQVE. EST. REVS. SENTENTIIS. XL. DAMNATVS. XX.

TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER. OPERAS. CLODII. PVCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.

RIXA. PO - - - - - ET. Q.

SC. FACTVM. NE. MVLTA. AERARIORVM. TRANSEAT. AD. HEREDES.

TONVIT. SVB. MERIDIEM. FVLGVRAVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN. SVMMO. ARGILETO.

§. XI.

L. MVNATIVS *n*) PLANCVS, Romanus orator clarissimus, et discipulus Ciceronis, patrem, auum et proauum eiusdem praenominis habuit. Militauit sub Caesare Augusto *o*) cuius beneficio consul factus est anno DCCXII. cum M. Aemilio Lepido, proxime post Ciceronis necem. *p*) Ad consulem designatum CICERO iam scripserat: *q*) *Consul es designatus optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate reip. virorum talium* etc. Et alibi: *r*) *Mihi maximae curae est, non de mea quidem vita, cui satisfeci vel aetate, vel factis, vel gloria: sed me patria solicitat, imprimisque, mi Plance, exspectatio consulatus tui, quae ita longa est, vt optandum sit, vt possimus ad id tempus reip. spiritum ducere.* Censor factus est, secundo et vigesimo anno post, cum M. Lepido: tantae quidem auctoritatis, vt SVETONII *s*) testimonio, ipsius sententia Caesar Octauianus diceretur *Augustus*. B. HIERONYMVS *t*) ad annum decimum sextum imperii Augusti haec habet: *Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.* Et SENECA *v*) Plancum hunc nostrum summum declamatorem vocat. Asinium Pollionem aduersarium habuit, qui cum orationes parasset, in Plancum post mortem edendas, ne respondere posset, *cum mortuis*, dixit, *non nisi laruas luctari. x*) In Meuia Galla nupta male audisse, memoriae pro-

didit

n) Aliis *Numatius*. *o*) Vid. CICER. ad famil. l. 10. epist. 24. *p*) Secundo consulatum gessit cum C. Silio DCCLXV. proxime ante Caesaris Augusti obitum. *q*) Ad famil. lib. 10. epist. 3. vbi vt in aliis plerisque epistolis perperam vulgo Cnaeus vocatur. *r*) Ad famil l. 10. epist. 1. *s*) August. cap. 7. *t*) Chron. Euseb. ad an. 4. Olymp. 188. *v*) Controu. 8. *x*) Teste PLINIO in praefat.

didit MACROBIVS. *y*) Quaedam eius epistolae luculenter scriptae, inter familiares Ciceronis exstant, *z*) qui praesertim extremo vitae cursu plures ad D. Brutum et L. Plancum literas dedit, vt fusum Antonium persequerentur. Est etiam HORATII ad Munatium Plancum consularem oda *a*) qua reliquis orbis partibus anteponit Tibur, vbi Plancus sit natus, eumque ad diluendas vino curas cohortatur.

§. XII.

M. VALERIVS MESSALA CORVINVS, orator antiquissimae nobilitatis, eodem, quo T. Liuius Patauinus historicus, natus est anno, ab V. C. DCXCIV. *b*) Athenas vna cum Cicerone filio, studiorum caussa, profectus est anno DCCIX. et rediit anno sequente, mense Iunio. *c*) Tantam auctoritatem habebat in ciuitate sua, vt Triumuiris etiam formidabilis fuerit. *d*), Anno V.C. DCCXI. mortuis Coss. Lepidoque cum M. Antonio iuncto, *e*) Messala ad M. Brutum se contulit. Quamobrem CICERO eum summis laudibus efferre studuit. *f*) Sed breui post, cum victricibus Augusti armis omnia concederent, fulgentissimus iuuenis Bruti Cassiique auctoritati proximus in illis castris, animum submisit Caesari, eiusque beneficio seruari maluit, quam vlterius spem dubiam armorum tentare. Necaut Caesari ex victoriis suis quicquam laetius fuit, quam seruasse Coruinum; aut maius

y) Saturn. l. 2. cap. 2. *z*) Lib. 10. *a*) Carm. lib. 1. od. 7. *b*) EVSEBIVS in Chron. num. 1958. *c*) Quod patet ex CICERON. epist. 31. lib. 12. ad Attic. et epist. 17. lib. 15. *d*) APPIAN. l. 4. de bello ciuili: Μεσσάλλας δὲ ἐπιφανὴς νέος ἐς Βροῦτον ἔφυγε, καὶ αὐτοῦ δείσαντες οἱ τοὺς τὸ φρόνημα καὶ προὔγραφεν. *e*) Quod IV. Kalend. Iun. contigisse discimus ex CICER. ad famil. l. 10. epist. 23. *f*) Lib. ad M. Brut. epist. 19. vid. etiam TACITVS Annal. l. 4. c. 34.

maius exemplum hominis grati ac pii, quam Coruinus in Caesarem fuit. *g*) Pacatis enim rebus, vt summae auctoritatis habebatur, per eum senatus potissimum voluit, Augustum *patriae patrem* appellari. *h*) Etiam DIO ad annum V.C. DCCXIX. narrat de rebus bello aduersus Salassos etc. a Messala praeclare gestis, quibus triumphum meruit. Ita semper dignitate et eloquentia floruit. Anno DCCXXIII. cum C. Caesare Octauiano Consul fuit, tum etiam Augur *i*) et primus vrbis praefectus, quam dignitatem tamen non nisi paucis diebus exercuit, et eiurauit, quasi nescius exercendi, nempe quod ita finxerit: *k*) reuera potestatem, vt parum ciuilem, auersatus: cuius etiam eximiae virtutes iudicio totius senatus comprobatae sunt. Tantus vir, antequam moreretur, omnium penitus, etiam proprii nominis oblitus est. *l*) Obiit vero natus annos LXXII si maximum SCALIGERVM sequamur ad annum V.C. DCCLVII. et manes eius ipse OVIDIVS carmine prosecutus est, quod periit quidem, sed memoratur epistola quadam *m*) ad Messalinum Coruini filium *n*) scripta:

Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii caussaque faxque mei.
Cui nos et lacrumas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.

Atque hinc confutat, quod in EVSEBII chronico legitur ad annum Abrahae MMXXVII. Olymp. CXCVII. ann. III. h. e. ann. V.C.

g) VELLEIVS l. 2. c. 71. *h*) SVETON. August. c. 58. *i*) MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 9. *k*) TACITVS Annal. l. 6. c. 11. et lib. 11. c. 6. 7. *l*) PLINIVS l. 7. c. 24. et alibi. *m*) E Ponto l. 1. epist. 7. *n*) De quo vid. VELLEIVS l. 2. c. 112. DIO l. 55. ad annum V. C. DCCLIX. TIBVLLVS l. 2. eleg. 5.

V.C. DCCLXIII. *Messala Coruinus orator ante biennium, quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, vt vix pauca verba coniungeret, et ad extremum vlcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit anno aetatis* LXXII. Ad quae verba SCALIGER *o)* notat: quod si biennio post suam memoriam ipse mortuus est, vt scribit Hieronymus, ergo obierit numero MMXXIX. Augusti anno penultimo, VI. exilii Ouidiani. Atqui Ouidius hoc numero MMXXVII scribens ad Messalinum huius Messalae filium, ait se patris eius funus epicedio prosecutum fuisse. Ergo ante exilium Ouidii iam decesserat, hoc est ante num. MMXXIII. Qui fieri potuit, vt num. MMXXVII. memoriam amiserit, et num. MMXXIX. obiuerit? Quod patrocinium huic controuersiae arcessemus? Rursus aliud dubium suboritur. Si M. Valerius Messala obiit MMXXIX. numero, superstes fuit IX. annis C. Asinio Pollioni, qui decessit num. MMXX. Quomodo ergo tuebimur hoc aduersus ea, quae Auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae scribit: *p) Coruinus in medium vsque Augusti principatum, Asinius pene ad extremum durauit.* Secundum haec et ea, quae αὐτόπτης scribebat Ouidius, commutarunt locum in Chronico Eusebii Pollio et Messala, vt numero MMXX. Messala mortuus fuerit, Pollio vero MMXXIX. Vnde recte Auctor dialogi dixerit, Asinium pene ad extremum principatum Augusti peruenisse: penultimus enim annus Augusti incidit in num. MMXXIX. Hactenus Scaliger. *q)* Scripsit de *litera S.* item *amatoria*, libros *de auspiciis*, ex quibus GELLIVS *r)* pluscula adfert.

o) Animaduers. ad Eusebii Chronicon pag. 180. *p)* Cap. 17. *q)* Vid. etiam JOH. MASSON V.C. in Nasonis vita pag. 129. seqq. *r)* Noct. Attic. l. 13. c. 14. vid. etiam MACROBIVS Saturn. l. 1, c. 9. confer. VOSSIVS de histor. Latin. l. 1, c. 18.

adfert. Senex iam librum consignauit *de Romanis familiis*, saepius PLINIO *s)* SVETONIO *t)* atque aliis citatum. At caue illius esse credas libellum *de Augustorum familia*, qui illi adscribi et quibusdam Flori editionibus subiungi solet; est enim tanto viro plane indignus, et a quopiam medii aeui auctore effictus: *v)* Sed nullo opere plus laudis meruit Coruinus, quam *orationibus:* nam M. SENECA, *x) fuit Messala*, inquit, *exactissimi ingenii, in omnes studiorum partes, Latini vtique sermonis diligentissimus.* Fabius: *y) Messala nitidus et candidus, et quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam.* Et Auctor dialogi de oratoribus: *z) Cicerone mitior Coruinus et dulcior, et in verbis magis elaboratus.* Nec mirum inde quod SVETONIVS de Tiberio *a)* refert, in oratione Latina secutum fuisse hunc Messalam, quem senem adolescens obseruauerit. TIBVLLI ad eum panegyricus exstat, qui prolixius de virtutibus eius legi omnino meretur.

§. XIII.

Cassio Seuero familiaris fuit TITVS LABIENVS, aliquando, a lingua liberiori ac maledicendi rabie, *Rabienus* dictus, *b)* celebris orator atque historicus, cuius cum nouo poenae genere exurerentur libri, Cassius Seuerus dixisse fertur: *nunc me viuum exuri oportet, qui illos edidici.* Labienus vero hanc contumeliam non tulit, nec superstes voluit esse ingenio suo; verum in monumenta maiorum inferri se iussit

s) Lib. 34. c. 13. et 35. c. 2. alibi. *t)* August. c. 74 *v)* confer. BARTHIVS Aduers. l. 19. c. 14. et VOSSIVS l. c. *x)* Controuers. 12. *y)* Instit. orat. l. 10. c. 1. *z)* Cap. 18. confer. eiusdem cap. 21. *a)* Cap. 70. *b)* Vid. M. SENECA praefat. in lib. 5. controuers. confer. SCHOTTVS de claris apud Senecam Rhetoribus pag. 18. et VOSSIVS de histor. Latinis l. 1. c. 23.

iussit, atque ita concludi: veritus ne ignis, qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur. Cum aliquando recitaret historiam, magnam partem conuoluit dixitque, haec quae transeo, post mortem meam legentur. *c)* Atque etiam Caligula *d)* scripta eius S. C. abolita requiri, et in manibus esse, et lectitari permisit: quando maxime sua interesset, vt facta quaeque posteris tradantur. Ex Labieno hoc CHARISIVS *e)* docet, vt *clipeus* et *clipeum* differant: QVINTILIANVS orationem citat in Pollionem: *f)* et alibi *g)* locutionem offert, quam in Labieno notauit Pollio. Is Labienus forte nepos fuit T. Labieni, qui cum egregiam Iulio Caesari in Gallia nauasset operam, bello tamen ciuili a partibus optimatum stetit: *h)* filius autem eius T. Labieni, qui a Bruti Cassiique partibus stetit, atque ante Philippensem pugnam missus fuerat ad Orodem, Parthorum regem, vt peteret auxilium; et clade suorum cognita, ibidem commoratus fuit, perspectaque Antonii desidia, Parthos instigauit aduersus Romanos, eoque contra Romanos bello dux, Phoenicen et Ciliciam, vrbesque Asiae in continenti sitas plerasque sine bello, Mylassam autem et Alabandam vi occupauit, tandemque a P. Ventidio deuictus, atque a Demetrio, Iulii Caesaris liberto, quem Antonius Cypro praefecerat, captus fuit. *i)* Tribus enim illis *Titi* praenomen fuit. Cuius cuius filius fuerit, gentis suae ferociam animo retinuisse constat, et vt animi quibusdam vitiis, ita etiam loquendi libertate et magnis virtutibus clarum exstitisse.

§. XIV.

c) Haec SENECA l. c. *d)* Teste SVETONIO in eius vita cap. 16. *e)* Lib. 1. *f)* Lib. 1. c. 9. *g)* Lib. 9. c. 3. *h)* Vid. CAESAR et HIRTIVS passim. CICERO ad Attic. lib. 7. epist. 10. et 12. et 32. et 15. *i)* Vid. DIO. l. 48. et STRABO l. 14.

§. XIV.

Magnus etiam in hoc ordine L. PASSIENVS RVFVS fuit, quem M. SENECA *i*) eloquentiſſimum et ſui temporis principem oratorem vocat. Quanti nominis fuerit etiam inde patet, quod Aſinius Pollio, cum ab Auguſto Caeſare commendaretur illi, nec admodum eam commendationem curaret; interrogatus, quamobrem tanti viri gratiam non complecteretur, reſponderit, ideo fieri, vt ne Paſſieni ſplendore fama ſua propius admota exſtinguatur. *k*) Paſſienus hic conſul fuit cum C. Caluiſio Sab. II. anno ab vrbe condita DCCCL. et duobus matrimoniis clarus exſtitit: primum Domitiae neptis Antonii Triumuiri, deinde Agrippinae matris Neronis. Eundem enim vtriusque maritum FABER et SCHOTTVS *l*) eſſe putant, nobilem ſcilicet illius ſeculi oratorem, a plerisque coaeuis ſcriptoribus laudatum. *m*)

§. XV.

Egregius literarum fautor et patronus; non item aequus literatorum aeſtimator erat C. ASINIVS *n*) POLLIO Orator, vel propter bibliothecae inſtaurationem ad vſus publicos et bonarum artium incrementa feliciora notandus, et ſuapte vel generis nobilitate vel inſigni virtute, qua multum in imperio, et auguſta Caeſarum domo valebat, principibus et maximis linguae Latinae promotoribus annumerandus. Certe

D 2 prin-

i) Controuerſ. 13. *k*) SENECA teſte, Controu. 34. *l*) De claris apud Senecam Rhetoribus, pag. 23. *m*) Vid. TACITVS annal. l. 6. cap. 20. L. SENECA de beneficiis l. 1. c. vlt. et natur. quaeſt. l. 4. praef. QVINTIL. inſt. orat. l. 6. c. 2. et 4. l. 10. c. 1. PLINIVS hiſt. natur. l. 16. c. vlt. *n*) *Aſinios* ex Marrucinis, Italiae populo, fuiſſe oriundos, coniicit. BERNARDIN. RVTIL. Decuriae ſuae cap. 7.

principem Oratorem et Ciuem PLINIVS *o)* illum vocat: vt qui magnae dignitatis fuit, ac praeclaras pace et bello res gessit. Admodum iuuenis eloquentiae studebat, et natus annos viginti duos Catonem accusabat: *p)* alios defendebat, ac ipsi Romano Senatui, haud raro id expetenti, de Republica consilium dabat. Vnde HORATIVS: *q)*

Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae:
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Ex quibus verbis simul patet, eum de Dalmatis egisse triumphum: *r)* posteaquam scilicet Salonam Dalmatiae ciuitatem vicerat. *s)* Saepius enim ille publicas res ordinare potuit Romanorum, *t)* qui nihil negauerunt illi, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum fuerat. *v)* Antonio hosti iudicato firmus proposito et Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduersus, exercitum tradidit, *x)* et multa passim illi officia praestitit. *y)* Atque etiam propter istum Asinius Patauinis, quod Pompeii partes sequerentur, infensus erat, adeo vt coge-

o) Hist. natur. l. 7. c. 30. Atque etiam VELLEIVS illum inter optimos illius aeui oratores numerat lib. 2. c. 36. Confer SVETONIVS August. cap. 43. Et Auctor dialogi an sui seculi oratores antiquis, et quare, concedant. cap. 12. et passim apud TACITVM. *p)* Auctor dialogi apud TACITVM de oratoribus cap. 34. confer. QVINTILIANVS instit. orat. lib. 12. cap. 6. *q)* Carm. l. 2. od. 1. *r)* Confer. Dio lib. 68. HIERON. in Chron. Euseb. olymp. 195. *s)* Vid. SERVIVS ad exord. eclogae Virgilianae quartae. ANTON. MANCINELLVS ibid. *t)* HORATIVS l. c. vbi sensu quidem alio ita loquitur de Pollione nostro, quem in ciuili historia describenda occupatum proponit. *v)* VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 128. *x)* Idem lib. 2. c. 73. *y)* Ibid. cap. 76.

cogeret illos pecuniam et arma conferre. Id recusantibus atque delitescentibus ex timore Patauinis principibus, seruis eorum praemia et libertatem obtulit, vt dominos suos proderent: quorum tamen nullus eiusmodi promissionibus vinci poterat, vel praemiis adigi, vt facerent hoc, suosque fallerent fide. z) Aduersus Sextum Pompeium praetorius in Hispania clarissimum bellum gessit. a) In eadem prouincia versabatur etiam cum C. Iulius Dictator occideretur Romae; C. Antonius vero Mutinam obsidione cingeret, ac breui post ab Octauiano Caesare Augusto propelleretur. Qualem in istis Reip. motibus se gesserit: ipsius epistolae ad Ciceronem satis clare testantur. b) Caesare tandem rogante, vt secum proficisceretur ad bellum Actiacum, quod aduersus Antonium fatale et vltimum erat; *mea*, inquit Asinius Pollio, *in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimine vestro me subtraham, et ero praeda victoris.* c) Nihilominus in Caesaris Augusti imperatoris amicitia permansit: qui, post ea tempora et pacem ciuitati datam, Pollionis opera et consilio in caussis grauissimis vsus est: vt rebus multis et pace et bello praeclare gestis celebraretur. Sed nihil memorabilius fuit Bibliothecarum instauratione, quas Romae primus erexit, adeoque hominum ingenia Rempublicam fecit. d) Neque intermisit, etiam in summa dignitate, ora-

 toris

z) Vid. MACROBIVS Saturnal. lib. I. cap. 11. a) VELLEIVS l. 2. cap 73. b) CICER. ad famil. lib. 10. epist. 31. seqq. c) Apud VELLEIVM l. 2. c. 87. Sed non conuenit aliud eius apophthegma apud MACROBIVM Saturn. l. 2. c. 4. non esse facile in eum scribere, qui potest proscribere. d) PLINIVS hist. natur. l. 35. c. 2. l. 7. c. 30. Confer. huius dissert. cap. 1. §. vlt.

toris officio fungi, suamque eloquentiam in dies exercere. Sic memorantur e) eius orationes, *quae pro heredibus Vrbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis diui Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies, et continuum populi otium, et assidua Senatus tranquillitas, et maximi principis disciplina, ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacauerat.* Mortuo in Syria Caesare, Augustus per codicillos questus fuerat, quod Pollio, homo sibi carissimus, in tam magno et recenti luctu cenasset pleno conuiuio. Tum ille rescripsit: *Eodie cenaui, quo Aterium filium amisi: quis exigeret maiorem ab amico dolorem, quam a patre?* Declamauit autem Pollio intra quartum diem, quam filium amiserat. f) Consulatum gessit anno ab V. C. ɪɔᴄᴄxɪv. cum C. Domitio Caluino. De secundo vero illius consulatu, quem MORHOFIVS g) praedicat, valde dubito et vereor ne confundatur cum alio et mea quidem sententia diuerso eiusdem nominis Pollione, qui anno ɪɔᴄᴄʟxxv. Tiberii Neronis IX. annos adeoque LX post, cum C. Antistio Veteri Consul fuit. Nam, si fides HIERONYMO h) Olymp. cxcv. imperii Augusti xʟvɪɪ. adeoque ab V. C. ɪɔᴄᴄʟvɪɪ. *Pollio Asinius orator, et consularis, qui de Dalmatis triumphauit, ʟxxx. aetatis suae anno in villa Tusculana* mortuus est. Plura vid. apud DIONEM i) et in fastis Capitolinis: vbi tantum haec leguntur: C. ASINIVS POLLIO PROCONSVL ANNO DCCXV. EX PARTHINEIS VIII. KAL. NOVEMB. SENECA k) et ex eo AND. SCHOTTVS l) nullam horam vltra decimum Pollionem retinuisse docent; *ne epistolas quidem,*

e) Ab Auctore dialogi de oratoribus cap. 38. apud TACITVM. f) Confer. SCHOTTVS de claris apud Senecam Rhetoribus p. 7. g) De Patauinitate Liuiana c. 4. h) In chronico Eusebiano. i) Lib. 48. k) De tranquill. lib. 1. c. 14. l) De claris apud Senecam Rhetoribus p. 8.

dem, Seneca inquit, *post eam horam legebat, ne quid nouae curae nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.*

§. XVI.

Vt auctoritate et opibus Pollio noster valebat, tutum eruditis, quorum hoc seculo prouentus erat longe maximus, asylum et propugnaculum praebuit: saltem vt fauere literis, atque illas quoquo modo promouere videretur. Amicus praesertim fuit Poetarum optimorum Horatii atque Virgilii, quorum alter odam illi peculiarem *m*) alter eclogam *n*) inscripsit. Hic vt genethliacum diceret: cum Asinius, ductor Germanici exercitus, post captos Salonas, Dalmatiae ciuitatem, meruisset primo lauream, deinde consulatum: eodemque anno filium suscepisset, quem a capta ciuitate Salonium vocauit. *o*) Iste vt commendaret scripta Pollionis, monet, vt tragoediarum scripturam tantisper intermittat, dum libri illius de motibus Reip. Romanae historici fuerint compositi. Quantus vero ille noster bonarum artium fautor et amator esse voluit; tanto supercilio (solus enim sibi sapere et omnes puritate sermonis superare videbatur) et ingenii asperitate perpetuus aequalium suorum obtrectator fuit. Ita Liuium historicum Patauinitatis in oratione accusauit. *p*) Ipsi M. T. Ciceroni vel ex inuidia infensissimus fuit. Teste M. SENECA: *q*) *quin Cicero nec tam timidus fuerit, vt rogaret Antonium; nec tam stultus, vt exorari posse speraret, nemo dubitat,*

m) HORAT. l. 2. od. 1. *n*) VIRGIL. ecl. 4. *o*) Pluribus conferatur SERVIVS et ANTON. MANCINELLVS ad h. ecl. *p*) Vid. QVINTILIANVS inst. orat. l. 1. c. 9. l. 8. c. 1. MORHOFIUS de Patauinitate Liuiana. *q*) Suasoria 6. Confer. AND. SCHOTTVS de claris apud Senecam Rhetoribus pag. 7. seq.

bitat, excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famae Ciceronis permansit. Aliquanto post: *Pollio quoque Asinius, qui Verrem, Ciceronis reum, fortissime morientem tradidit, Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat.* Satis etiam maleuolentiam suam prodidit, cum Sextilius Hena Hispanus Cordubensis in domo Messalae Coruini versus de Ciceronis morte recitaturus, vt interesset eum aduocauerit; in principio vero statim hunc recitaret versum:

Deflendus Cicero est, Latiaeque silentia linguae.

Tum enim grauiter commotus Messalae dixit: *videris tu Messala, quid tibi liberum sit in domo tua, ego istum non sum auditurus, cui videor mutus.* Simul consurgens abscessit, nec recitationi interesse voluit. Iulii Caesaris commentarios, referente SVETONIO *r*), *parum diligenter parumque integra veritate compositos putat: cum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit: et quae per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus perperam ediderit: existimatque rescripturum et correcturum fuisse.* Sallustium reprehendit libro peculiari, quod prisca verba nimium affectauerit. *s*) Et Atteium Philologum, quod antiqua verba et figuras e Sallustio colligere solitus sit: quum sibi sciat nil aliud suadere, quam vt noto ciuilique et proprio sermone vtatur; vitetque maxime obscuritatem et audaciam in translationibus. *t*) Elucet quoque huius viri ingenium ex eo, quod manes aliorum nequidem post fata sua quietos esse voluit. Ita enim PLINIVS: *v*) *Nec Plancus illepide: cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare*

r) Iul. Caesar. cap. 56. *s*) SVETONIVS de illustr. Grammat. cap. 10. confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 10. cap. 26. *t*) SVETON. l. c. extr. *v*) Historiae naturalis praefatione.

rare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere possit: cum mortuis non nisi laruas luctari. Quo dicto sic repercussit illas, vt apud eruditos nihil impudentius iudicetur.

§. XVII.

Ingenium alias in Pollione fuit impigrum et vigilantissimum: totius enim diei lassitudinem perexigua quiete deposuit. Vnde FABIO *x*) teste iocis seriisque accommodatus, omnium horarum homo dicebatur. Sed totus fuit inuidia plenus, et gloriae impatiens adeo vt aequalem ferre minime gentium potuerit: *y*) quod exemplis modo demonstratum iuimus. Stili praesertim iudex acerrimus fuit: cuius ipse tamen non potuit omnes implere numeros. VALERIO MAXIMO *z*) *non minima* dicitur *pars Romani stili*. Silius *a*) C. Asinium inter illos numerat, qui ad summa prouecti fuerunt incorrupta vita et facundia. Etiam optimis oratoribus annumeratur, *b*) et sequentibus aeque ac prioribus ante ponitur. *c*) In quibus tamen elogiis auctores illi nimium indulgent. Certe quem citauimus, de oratoribus auctor, velut immemor sui ipsius, inquit alibi: *d*) *Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuuium certe, et Attium, non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit. Adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur; sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris, ipsos quoque*

x) Instit. orat. l. 6. cap. 4. extr. *y*) Inde *ferocia* illius; cuius meminit TACITVS annal. l. 1. c. 12. extr. *z*) lib. 8. c. 13. extern. n. 4. *a*) Apud TACITVM annal. l. 11. c. 6. *b*) Ab Auctore dialogi apud TAC. de orat. cap. 15. extr. et cap. 17. princ. *c*) Ibid. cap. 25. *d*) Cap. 21.

quoque neruos rubor tegit et decor commendat. Confentit in eo FABIVS QVINTILIANVS, *e*) qui, *multa*, inquit, *in Afinio Pollione inuentio, fumma diligentia, adeo vt quibusdam etiam nimia videatur: et confilii et animi fatis: a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abeft, vt videri poffit feculo prior.* Et SENECA cum Fabiani Papyrii libros filio commendaffet, isque non placere fibi dictionem eius refcripfiffet, inter alia, *lege*, inquit, *Ciceronem, compofitio eius vna eft, pedem feruat, curata, lenta et fine infamia mollis. At contra Pollionis Afinii falebrofa et exiliens, et vbi minime exfpectes, relictura.* Vtrumque fine fuco dicere id quod rei eft, fuperftites Pollionis epiftolae inter Ciceronianas oftendunt, in quibus, licet maxima cura fcriptae videantur, pleraque intricata, praerupta et duriufcula comparent.

§. XVIII.

Foetus ingenii elegantis et accuratiffimi edidit plurimos: *Orationes*, quas etiam tempore fuo Auctor dialogi de oratoribus *f*) cum admiratione legit. *Tragoediam*, cuius tractationem Pollioni HORATIVS *g*) diffuadet tantifper, donec hiftoriam fuam de Republica eiusque motibus compofuerit, his verbis:

Paulum feuerae mufa tragoediae
Defit theatris: mox vbi publicas

Res

e) Inftit. orator. l. 10. c. 1. *f*) Apud TACITVM cap. 34. commemorantur etiam Afinii orationes eodem dialogo cap. 38. et 21. alibi. *g*) Carm. l. 2. od. 1. Vid. et Auctor dialogi de oratoribus cap. 21. Tragoedias carmine fcripfiffe Iambico trimetro, elicimus ex HORAT. Serm. l. 2. fatyr. 10.

- - . - Pollio Regum
Facta canit pede ter percuffo.

Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.

Vbi grande munus vocat ſcriptionem tragoediae, quae grandia continet; Cecropio, i. e. Athenienſi, cothurno, quo calceabantur tragoedi in theatris, dicto a Cecrope Athenarum rege. *Hiſtoriarum libros* xvii, quibus Svida teſte, res geſtas Graecorum Latine ſcripſit. *h*) Item *hiſtoriam belli ciuilis*, ab eo tempore, quo Metellus conſul fuit, vt rurſum ex Horatio *i*) diſcimus, qui ſcribit ad eum:

Motum ex Metello conſule ciuicum,
Belliquc cauſſas, et vitia, et modos,
Ludumque fortunae, grauesque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis vncta cruoribus,
Periculoſae plenum opus aleae,
Tractas. - - -

Librum denique ſcripſit, quo Salluſtii ſcripta reprehendit. *k*) Sed omnia eius ſcripta iam dudum interierunt, hodieque nihil exſtat illius praeter epiſtolas *l*) tres ad M. T. Ciceronem ſcriptas: quarum prima excuſat ſe, quod nihil ſcripſerit Romam a profectione ſua. Fuit autem in tumultibus bellorum ciuilium poſt caedem Iulii Caeſaris Cordubae in Hiſpania, cui ab ipſo Iulio Caeſare adhuc viuente praefectus fuerat. Transfert

E 2

h) Tertium hiſtoriarum librum citat Valerivs Maximvs l. 8. c. 13. de Arganthonio Gaditano Rege. *i*) L. c. illius hiſtoriae mentionem facit quoque Tacitvs Annal. l. 4. cap. 34. vbi: *Aſinii Pollionis ſcripta egregiam eorundem* (ſc. Pompeianorum, quibus ipſe inuiſus erat) *memoriam tradunt.* *k*) Vid. Svetonivs de illuſtr. Grammat. cap. 10. *l*) Inter epiſtolas Ciceronis ad familiares lib. 10. epiſt. 31. 32. 33. Epiſtolarum quoque meminit A. Gellivs noct. Attic. l. 1. c. 22. et l. 10. c. 26.

fert adeoque culpam cessationis suae in latrones, ab quibus literae interciperentur. Scribit porro se cupidissimum esse pacis, et Caesaris partes necessitate secutum; a Lepido se prohibitum ne transiret in Italiam; nemini traditurum prouinciam sine iussu senatus; denique vehementer se cupere Ciceronis consuetudinem. Altera commemorat Balbi, Quaestoris sui ex Hispania fugam et crudelitates: Affirmat deinde se omnia facturum arbitrio S. P. Q. R. Exercitum, quem habeat, vix retinuisse propter Antonii pollicitationes: postremo narrat, qua moderatione vsus sit in retinendo exercitu, et conseruanda prouincia. Tertia de M. Antonio, apud Mutinam ab Octauiano Augusto et Consulibus superato, et ipsis consulibus in praelio interfectis conqueritur se tardius intellexisse, propter Lepidum, qui tabellarios ex Italia venientes nouem dies retinuerit. Ea vero calamitate acerbissima quamprimum succurrendum esse Reip. putat ab illis omnibus, quibus facultas fuerit.

§. XIX.

Neque confundendus est noster cum Asinio Pollione quodam Tralliano: quod incautus erroris fecit TARQVINIVS GALLVTIVS, *m*) vbi memoriae de illo haec prodidit: *Docuit initio aetatis adultae artem dicendi rhetoricam: successitque illius scholae Timagenis, qui sub Pompeio captiuus atque a Gabinio coëmtus ludum in vrbe declamatorium habuit. Ex ea deinceps officina prodiit in forum, ita condocefactus, vt locum inuenerit haud mediocrem inter disertos.* Sed diuersus ab oratore et principe Romano est Asinius ille Pollio Trallianus, qui teste SVIDA, *n*) sub Pompeio Magno Romae Timagenis schola

m) In oratione de Ciceronis obitu. *n*) In πωλίων.

schola per successionem suscepta, docuit, imprimis vero Caesare Dictatore floruit. Et recte VOSSIVS *o*) existimat, illum, conditionis seruilis hominem, consecutum esse nomen suum a claro ciue et oratore Asinio Pollione, ab quo libertatem iste ciuitatemque acceperit. Alius fuit C. Asinius Gallus, anno ab V. C. IↃCCXLVI. cum C. Martio Censorino Consul. de quo passim multa apud TACITVM *p*) leguntur. Filius ille fuit celeberrimi oratoris nostri Asinii Pollionis, qui editis libris patrem Ciceroni praeferre non dubitauit. *q*) Fuit etiam Asinius quidam Quadratus, historicus, *r*) et plures alii, quos recensere omnes, longum esset.

§. XX.

Hactenus de claris oratoribus. Fuerunt quidem alii et illi propemodum non numerandi, qui ante et proxime post Ciceronem dicendo valuerunt: sed omnium memoria non aeque vulgata est, et qui celebrantur adhuc, multum quidem suo tempore tribuerunt ad linguae Latinae perfectionem: vt eo nomine vix potuerint praetermitti sine iniuria: quoniam vero nihil prorsus illorum, nomine excepto, forsan et meritis aliorum ore vulgatis, hodie in omni literatorum prouincia super est, latinitatis commoda quod iuuare aliquomodo valeat: satis fore putaui, si potiores eligerem, et ne solus omnium Princeps cum amplissimis operibus suis in publicum procedat, illius gloriae velut satellites quosdam adiungerem. De ceteris qui volet, CICERONIS Brutum consulat, in quo summus orator cum accurata meritorum recen-

o) De Histor. Graecis l. 1. c. 24. *p*) Annal. l. 1. c. 8. 12. 13. 76. et 77. l. 2. c. 33. 35. l. 3. c. 11. l. 4. c. 20. 30. et 71. l. 6 c. 23. et 25. Illius etiam meminit SENECA epist. 55. *q*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 1. *r*) De quo vid. G. I. VOSSIVS de historicis Latinis l. 1. c. 17.

fione producit, quotquot Romae ad illud vsque tempus aliquod nomen dicendo peperiffent. Plurimorum etiam Rhetorum et oratorum Augufti ac Tiberii aeuo clarorum meminit SENECA *s*) paffim, ex cuius fcriptis diligentiffimus fcrutator eius AND. SCHOTTVS fingularem de claris Rhetoribus tractatum confcripfit, et elementorum ordine difpofuit. Ad Ciceronem eloquentiae principem progredimur.

CAPVT II.

De M. T. Cicerone Eloquentiae Parente et fummo Oratore.

§. I.

DE Ciceronis genere, 2. *Adolefcentia et ftudiis*, 3. *Fori exercitationibus, quas itinera fequuntur in Graeciam, Afiam et Rhodum infulam.* 4. *Romam redux cauffas egit forenfes, et quaefturam petiit, poft non ita multo aedilitatem et praeturam* 5. *De confulatu Ciceronis et Catilinaria confpiratione*, 6. *Ciceronis exilio.* 7. *Lentuli et aliorum opera in patriam reuocatur et* 8. *propter domum Caefari et Pompeio adulatur, Milonem vero defendit.* 9. *Fit augur et proconful Ciliciam obtinet.* 10. *Reuerfus incidit in ciuilem difcordiam.* 11. *Vacuus a cura reip. in Tufculano ad ftudia literarum fe recepit.* 12. *Caefaris percuffores laudat.* 13. *Libertatis ftudiofus Octauianum amplectitur, atque Antonium, ad profcriptionem vsque, philippicis orationibus oppugnat.* 14. *Octauianus*

s) Marcus Annaeus ille, qui nobis ex aeui fui declamationibus excerpta dedit. Confer. VOSSIVS de Rhetoricae natura ac conftitutione cap. 14. 15.

uianus aduersus Antonium gerit bellum, tandemque cum illo in gratiam redit. 15. *Cicero proscriptus Antonii iussu capite truncatur.* 16. *De Ciceronis matrimonio,* 17. *sepulchro,* 18. *vitae commentatoribus,* 19. *scriptis rhetoricis,* 20. *orationibus,* 21. *epistolis,* 22. *scriptis philosophicis,* 23. *perditis.* 24. *Ciceronis commendatur ingenium et eloquentia.* 25. *Ipsius cum Demosthene comparatio.* 26. *Iniquos praeter merita censores habuit multos.* 27. *Quaedam in eius scriptis sunt singularia.* 28. *Multa etiam falso suspecta.* 29. *Vtrum quaedam Latinae linguae vocabula supprimere studuerit.* 30. *Calumniatoribus respondetur.* 31. *Suae quidem gloriae studiosus fuit, neque in omnibus inculpabilis, quae magis excusanda, quam protrahenda sunt.* 32. *Neque ipse quaelibet scripta sua probauit.* 33. *In Cicerone laudando antiquitatis venerandae consensus.* 34. *Operum editiones seculi decimi quinti,* 35, *decimi sexti,* 36. *decimi septimi* et 37. *decimi octaui recensentur.*

§. I.

MARCVS TVLLIVS. M. F. M. N. COR. CICERO *a*) natus

---

a) Romanorum scripsi more nomen Summi Oratoris integrum *Marcus* praenomen est, quod a patre solitus est habere communiter filius natu maximus. *Tullius* nomen proprium et gentile: fuit enim quod ipse *de legibus lib.* 2. testatur ex antiquissima gente Tullia. *Marci filius*; *Marci nepos.* *Corneliâ* scilicet tribu; debebant enim Ciues Romani cuiuscunque fuerint ordinis aliquam ex xxxv. tribubus obtinere: atque ex ea postmodum vocati sunt tribu, in qua censebantur. Censebatur autem Cicero cum reliquis Arpinatibus in tribu Cornelia. Vid. ASCONIVS in Verrinam secundam. LIVIVS lib. 38. *Ciceronis* cognomen primus ab faciei habitu et nasi figura accepit: vid. PLVTARCHVS in Ciceron, vita. PRISCIANVS lib. 2. PLINIVS autem histor. natur. lib. 18. c. 3. memo-

natus eſt, durante adhuc bello Iugurthino, C. Attilio Serano et Q. Seruilio Caenione Coſſ. Anno V. C. IↃCXLVIII *b)* ante Chriſtum natum CIII. die tertio Nonas Ianuarii. *c)* Patria fuit *Arpinum* Volſcorum oppidum, mater *Elpia* nobilis matrona et locuples, pater *Marcus Tullius*, qui cum eſſet infirma valetudine in Arpinati villa propemodum aetatem egit in literis. *d)* Eiusdem etiam nominis fuit auus, quo ſe ipſe viuo natum eſſe, teſtatur. *e)* De nobilitate generis non vna omnium ſententia eſt. Patrem Ciceronis ex regio Volſcorum genere fuiſſe in EVSEBII Chronicis legimus. Et PLVTARCHVS in eius vita ſcribit, genus illud referri a nonnullis ad Tullum Attium, nobilem Volſcorum Regem. Idem SILIVS ITALICVS: *f)*

Tullius

memoria prodidit, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina prima inde eſſe, vt quisque aliquod optime genus ſeteret. Cum aliquando illuderetur eius nomen, et amici monerent, vt immutaret illud, redditurum ſe, inquit, Ciceronis nomen, Catonibus Catulis et Scauris illuſtrius. Poculum argenteum vero Diis dedicans initia nominum ſuorum literis expreſſit, Ciceronis loco cicer inſculpſit. vid. PLVTARCH. Apophthegm. oper. pag. 193. *b)* Secundum alios DCXLVII. et ſic in omni annorum ſerie vnum anteuertunt. *c)* Ipſe TVLLIVS noſter III. Non. Ianuar. natalem ſuum vocat epiſt. 5. lib. 7. et epiſt. 42. lib. 13. ad Attic. Memoratis autem conſulibus, quibus L. Craſſus legem Seruiliam ſuaſerit, ſe natum eſſe in Bruto profitetur. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 15. cap. 28. PETRVS CRINITVS lib. 11. c. 1. FVNCCIVS Chronol. fol. 86. D. FRANC. FABRICII Ciceron. hiſtor. his conſul. Confer. BALVZII diſſertatio de die natali Ciceronis. *d)* CICERO de legibus lib 2. circa initium. *e)* l. c. et lib. 3. de eodem *Auus quidem noſter ſingulari virtute in hoc mancipio, quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cuius in matrimonio ſororem, auiam noſtram, habebat, ferenti legem tabellariam.* *f)* Lib. 8. v. 407.

Tullius aeratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, et Tullo sangis ab alto:
Indole proh quanta iuuenis, quantumque daturus
Ausoniae populis ventura in secula ciuem!

Eo respicit PLINIVS g) quoque, vbi *M. Cicero*, inquit, *demum stabiliuit equestre nomen in consulatu suo, senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, et eius vires peculiari popularitate quaerens. etc.* Et, quid multis? ipsum Tullium nostrum de genere suo loquentem h) audiamus. *Haec* scilicet insula in Fibreno, qua de hactenus fuerat locutus, seu Arpinum, *est*, inquit, *mea et huius fratris mei germana patria, hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic gens, hic sacra, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, vt nunc quidem est lautius aedificatam patris nostri studio, qui cum esset infirma valetudine hic fere aetatem egit in literis.* etc. Enim vero, vt ingenue fatear quid sentiam, illa hactenus citata testimonia, et ipsius Ciceronis tanti non sunt, vtpote qui minime gentium ibi fatetur ex Regio stirpe, verum a nobili quodam Arpinate, genus suum deduci. Nouimus quod ex oratione Catilinae citant, eum praedicare aliquando solitum, *originem se generis habuisse ex Tullii Hostilii familia Volscorum Regis, quidem Populo Romano inimicissima.* Paulo inferius: *Hic, hic nouus Cicero Arpinas ex Tulliorum familia.* Sed ille, si verus orationis auctor est, potuit haec in Senatu protulisse, vt excusandum sese, Tullium impensius criminaretur, eumque atrocius paulo in odium et inuidiam S. R. Q. R. duceret, qui Regibus exactis non modo Reges, sed nomen ipsum quoque Regium ac posterita-

g) Histor. natur. lib. 33. c. 2. h) Circa initium lib. 2. de legibus.

ritatem ex ea progenie abominabant ac maiori quam Vatiniano, quod vocant nunc, odio prosequebantur. Ipse non modo Tullius sese *i*) absque imaginibus et nouum hominem *k*) vbique appellauit, verum etiam SALLVSTIVS historicus in bello Catilinario, *ea res*, diserte inquit, *inprimis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni: namque antea pleraque nobilitas inuidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamuis egregius, homo nouus adeptus foret.* Deinde eum *inquilinum ciuem vrbis Romae* vocat. Idem declamatione in M. Tullium nostrum, *Verum*, inquit, *vt opinor, homo nouus Arpinas, ex C. Marii familia, eius virtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium: populi Romani curam habet; neque terrore, neque gratia commouetur.* Paulo post: *Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones superasti; quem tandem locum in hac ciuitate*

i) In orationibus de lege agraria, pro L. Murena, ad populum et Equites Romanos antequam in exilium iret, in epistolis passim, alibi. Quid vero *imagines* apud Romanos, qui *noui homines*, vulgo exantiquitate notum est. Interim videatur praeter alios MARCELLVS DONATVS Ponzanus Comes Comment. eruditiss. super plerorumque Historiae Romanae scriptorum locos obscuriores a pag. 1056. *k*) Nouus homo Romanos inter Cicero fuit: siquidem maiores ipsius nequaquam patritiis nobilibusue Romanis annumerabantur, sed Arpinum fundum, quem duo fluuii Fibrenus et Liris alluebant, longiuscule ab Roma situm, incolebant: proinde municipibus tantum adscripti ciuium nequidem Romanorum nomine gaudebant, licet in gente sua fuerint nobilissimi ac stirpe antiquissima prognati. Neque dicendum ex modestia nostrum sese hominem vocare nouum, quod saepiuscule Oratores, ad captandam Auditorum beneuolentiam semetipsos extenuare solent.

uitate obtines ? l) Tandem, ne multa multorum testimonia cumulare videar, IVVENALIS: *m)*

Hic nouus Arpinas ignobilis, et modo Romae
Municipalis eques, galeatum ponit vbique
Praesidium attonitis, et in omni gente laborat. n)

§. II.

Quomodocunque res sese habeat, valde Iuuenis Romam perductus, vbi cum aliis et ipso Attico *o)* literis imbutus ac ingenii fultu› bonitate, omnes honores ordine suo obtinuit. Ab adolescentia cuiuslibet doctrinae capacissimus fuit, et inter ipsos condiscipulos iam tum acquisiuit tantum nomen, vt honoris gratia non vererentur Ciceronem suum medium deducere; *p)* et ipsi parentes, eius fama commoti, miraculum istud ingenii viresque pernoscendum et indolem *q)* frequentes ludimagistrum conuerirent. Tanto ardore atque studio Poesi, Rhetoricae, historiae, Philosophiae, in qua Philonem Academicum sectabatur, legibus itidem ac institutis patriae, ductu Q. Scaeuolae dedit operam: *r)* vt annis

l) Conferatur, quae coniungitur cum illa et Ciceroni affingitur, in Sallustium declamatio. *m)* Satyr. 8. v. 237. *n)* Plura vide apud LVCIVM IOANNEM SCOPAM assertione de genere M. T. Ciceronis. *o)* CORNEL. NEPOS Attic. cap. 1. confer. CICER. ad famil. l. 7. epist. 31. *p)* OVIDIVS Fastor. lib. 5. v. 65.

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis
Ibat: et interior, si comes vnus erat.

q) Indolem Ciceronis PLVTARCHVS eiusmodi fuisse ait, qualem Plato lib. 5. de Rep. in Philosopho et homine docili requirit, vbi Socrates ita concludit, *philosophum igitur dicemus sapientiae amatorem esse, non vnius alicuius, sed vniuersae.* *r)* De studiis et exercitationibus suis vid. ipse TVLLIVS noster in Bruto cap. 89 90. seqq. et lib. 1. de legibus

nis procedentibus in quacunque tandem disciplina, Romanorum omnium optimus iure merito iudicatus fuerit. Atque etiam mature animum ad scribendum appulit: ipse enim de se testatur, *s*) quod iuuenis adhuc Xenophontis Socratici librum, qui oeconomicus inscriptus est, e Graeco in Latinum sermonem conuerterit. Ita quoque admodum adolescentulus Arati carmina Graeca de coelo stellisque veste Latina induit, quorum fragmenta prostant. *t*) Et Marium siue res gestas C. Marii descripsit eodem tempore, cum Scaeuola viueret, qui de eo dixit: *canescet seculis innumerabilibus.* *v*) Etiam de inuentione Rhetorica libros duos Fabivs *x*) inquit adolescenti elapsos fuisse. Tanto praeditus ingenio, promtus ad quoduis literarum genus, continuo studiis et bonis artibus, tam Graecorum, quam Latinorum manuductione, va cauit: quoad Sulla, multis proeliis transactis, tandem super Marium triumpharet.

§. III.

Anno sequenti *y*) ab V. C. dclxxiii. M. Tullio Decola et Cn. Corn. Dolabella Coss. in forum prodiit primum, et caussam pro Quintio priuatam apud Aquilium Gallum iudicem dixit. Anno dclxxiv. aetatis sexto et vicesimo *z*) Roscium a Sulla

bus cap. 4. Qvintiliani, vt videtur, de oratoribus dialogus, qui vulgo Tacito adscribi solet. *s*) De officiis l. 2. c. 24. in fine. *t*) Cicero de natura Deorum lib. 2. cap. 41. *v*) Cicero de legibus lib. 1. c. 1. de diuinat. lib. 1. c. 47. *x*) Instit. orat. l. 3 c. 1. confer. ipse Tvllivs de oratore l. 1. c. 2. *y*) Vid. A. Gellivs noct. Attic. l. 15. c. 28. Fvnccii chronol. fol. 87. D. *z*) Vid. Gellivs l. c. Fvnccivs l. c. conferatur ipsa oratio pro Roscio dicta. Cicero de officiis lib. 2. cap. 14. in fine. Qvintilianvs instit. orat. lib. 12. cap. 6. Fabricivs tamen Ciceronis annum 27. notat et defendit.

a Sulla tunc temporis Consule parricidii postulatum, et ab omnibus Sullae magnam potentiam extimescentibus relictum, magna animi fortitudine defendit, nec minori cum laude victoriam reportauit. Sed tamen offensum metuens Sullae, aduersus quem liberius egerat, in Graeciam proficiscitur, et simulat, ob infirmitatem corporis (quippe qui cruditate stomachi exiguus et macilentus, parcissimo cibo, eoque plurimum viscoso, et in horam productiorem vti solitus erat) vrbe sibi egrediendum esse, vt auram, et si pote cum ista valetudinem mutaret. In Graeciam traiectus Antiochum Ascalonitam Philosophum docentem Athenis audiuit. *a*) Deinde in Asiam transfretauit ac oratorum ceterorumque clarissimorum virorum consuetudine aliquantisper gauisus est. Redux venit in Rhodum insulam, vbi Apollonium Molonem facundissimum oratorem, quem dudum Romae audierat, et Possidonium illustrem Philosophum salutat. *b*) Memoratu dignum est, quod tum accidisse Apollonium inter nostrumque Ciceronem, Oratores, PLVTARCHVS *c*) literis prodidit: *Apollonium, quum Latinae linguae expers esset, rogasse Ciceronem vt Graece declamaret: quod Cicero, quasi existimaret hinc emendatior fieri, libens complexus est. Quum itaque declamauisset, ceteri in stuporem adducti, de laudibus Ciceronis intra sese certabant. Sed Apollonium ferunt iam primum ex admiratione ingenti in tantam mentis confusionem prola-*

 psum,

a) Videatur omnino Celeb. WALCHII elegantiss. diatrib. de amoenitat. hist. ex Ciceronis peregrin. collectis, quae habetur in eius Parergis Acad. pag. 162. seqq. *b*) Videatur etiam QVINTILIANVS inst. orat. lib. 12. cap. 6. *c*) In vita Ciceronis: ex interpretatione Achillis Philorotis Bochii. Confer, ipse TVLLIVS ad Atticum lib. 2. epist. 1. et ANGELVS POLITIANVS Miscell. cap. 1. Idemque in oratione super Quintil. et Statium.

psum, vt illum orantem nec intelligere posset, et facto dicendi fine secum meditantem per multam horam tacitum sedisse. Inde vero prorumpente Cicerone silentium, dixisse memorant: Te nempe Cicero et laudo et admiror: sed Graecorum fortunae me miseret; quum videam eruditionem et eloquentiam, quae sola bonorum nobis relicta erant, per te Romam accessisse.

§. IV.

Interea temporis Sulla anno ab V. C. DCLXXVI. diem obiit supremum. De cuius morte postquam certior factus erat, Cicero ad capessendam Remp. et negotia patriae subeunda, Romam reuertitur. Primo quidem ipsi obstabant probra vulgi, in cuius ore contemtim Graecus et scholasticus et otiosus audiebat. *d)* Verum tamen superatis omnibus, incredibili flagrans a natura famae et honorum desiderio, amicorum insuper hortationibus instigatus, sese caussis forensibus obtulit, ac penitus dedit. Haudquaquam sinistris auibus. *e)* Ille enim non dispar ceteris, qui in foro agebant, sed multis etiam oratoribus longe praestitit, eluxit magis, et breui temporis spatio ad summa et gloriae, et auctoritatis, fastigia peruenit. Annum vixerat reuersus ex Asia, et caussas nobiles egerat, cum Quaesturam petiit, et vno omnium con-

d) Haec nomina *Graeculus atque otiosus* omnibus fere infimis et sordidis hominibus in promtu esse atque in ore consueuerunt, cum ignobilitatem obiiciunt. Hinc ipse noster in oratione pro Sextio dixit: Graeculum se atque otiosum putari voluit etc. qui PLVTARCHO in vita Cicer. est γραικὸς καὶ σχολαστικός. *e)* Licet Romam redux vixerit timide ac dubitanter ad honores accesserit. Nam cum Delphos profectus Apollinem consuluisset, quanam via ad summam gloriam peruenire posset? Oraculum editum est, *suam naturam, non multitudinis opinionem ducem vitae sequeretur*, vid. PLVTARCHVS in Ciceronis vita.

consensu obtinuit. *f)* Ita rei frumentariae Quaestor designatus in Siciliam missus est Anno V. C DCLXXVIII. cuius incolas plerosque primum offendit, quod magna frumenti copia in difficultate annonae esset Romam mittenda. Quos vero ita sibi infestos reperit et ira flagrantes initio, haud longe post integritate, prudentia et singulari humanitate sua sibi reconciliauit, et omnibus benefaciendo, beneuolos omnes vicissim sibi reddidit: vt maiores illi honores, quam vlli vnquam Praetori tribuerent. Audiendus est ipse hac de re verba faciens: *g) Non vereor, ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia Quaesturam aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi.* Quaesturae annuo munere expleto, et rebus apud Siculos bene gestis Romam rediit. Tum facultas dicendi videbatur esse perfecta suamque maturitatem habere: vt defenderet ac reos efficeret plurimos. Nec facile in caussis forensibus mercedem, solius gloriosi nominis studiosus *h)* vel praetium a quoquam recepit. Eam liberalitatem atque continentiam suam maxime comprobauit etiam, quum Siculorum

f) Ipse Verrina oratione 7. inquit, se ita Quæstorem factum fuisse, vt sibi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum, ac commissum putaret. Confer. eiusdem ad famil. lib. 7. epist. 31. *g)* In oratione pro Plancio. *h)* Ita ille in oratione pro Archia dixit. *Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime glória ducitur. Ipsi illi Philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt.*

rum cauſſam aduerſus Verrem nefandum, auarum atque crudelem eorum Praetorem, ageret: vsque adeo vt, lite magni aeſtimata *i)* ipſe in exilium ſua ſponte diſceſſerit, conſenuerit, tandemque proſcriptus exſpirauerit. *k)* Ita ſe omnibus officioſum et benignum praeſtitit: et amorem promeruit viciſſim Romanorum propemodum ciuium omnium, qui longe honoratiſſimum et prae ceteris elatum eſſe Ciceronem noſtrum cupiebant. Quare ſuo anno (erat autem XXXVI. annus legitimum tempus Aedilitatis petendae) Aedilitatem petens, is prior cunctis populi ſuffragiis deſignatus eſt. *l)* Ideoque *nunc ſum*, inquit *m)* *deſignatus aedilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos, maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberaeque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruaeque eſſe faciundos: mihi ſacrarum aedium procurationem, mihi totam vrbem tuendam eſſe commiſſam. Ob earum rerum laborem et ſolicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiae dicendae locum, togam praetextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memo-*

i) De certa pecuniae ſumma non conueniunt. FABRICIVS in hiſtoria Ciceronis ad a. V. DCLXXXIII. putat, quae Plutarchus habet, ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδες, eſſe tricies ſeſtertium. Siquidem εἴκοσι πέντε μυριάδες ſint decies HS. vt idem teſtatur in Antonio. Verum BVDAEVS in libris de Aſſe cenſet verbum τριακοσίων aut aliud in Plutarchi libris deeſſe. ASCONIVS tantum quadringenties Seſtertium a Verre ſcribit repertum fuiſſe. *k)* Vide quae inferius de oratione Verrina ſecunda notauimus. *l)* CICERO orat. in Piſonem. *m)* Oratione Verrina ſeptima.

memoriam posteritatemque prodendam. Biennio *n*) post aedilitatem petiit praeturam, eamque nulla competitorum, vtut magnae fuerint auctoritatis viri, habita ratione obtinuit. Quod ipse praedicat: *o*) *Quum propter dilationem comitiorum ter Praetor primus p*) *centuriis cunctis renunciatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis.* Circa id tempus acre bellum inter Mithridatem Ponti Regem atque Romanos exarserat: cui vt post Lucullum victorem prudens fortisque Imperator praeficeretur, M. Tullius noster Praetor anno MDLXXXVII. perquam eleganti oratione, quam pro lege Manilia dixit, populo persuadet, simul atque Cn. Pompeium de virtute, consilio, prudentia, vsque adeo commendat; vt illi, reuocato Lucullo, belli administrationem committere nemo dubitauerit. Res alias praeclare gessit: neque tam graui munere literarum studia omisit: quid? quod ipse cum praetura fungeretur, scholam M. Antonii Gniphonis frequentare non erubuit. *q*)

§. V.

Ex praetura in prouinciam ire Cicero noluit: *r*) sed cum anno sequente consulatum petere cogitaret, hoc tempore prensabat. *s*) Nec irrito conatu. Competitores habuit sex, P. Sul-

n) Praeturam vero non potuisse obtinere aliquem, nisi fuerit ante biennium aedilis curulis: patet ex epistola ad familiares 25. lib. 10. *o*) In oratione pro lege Manilia ab exordio. *p*) *Primus* i. e. primo loco factus ex illis octo, qui tum temporis Praetores designati erant. Septem vero cum Cicerone fuerunt sequentes Q. Voconius Naso, M. Plaetorius, C. Flaminius, C. Orchinius, C. Aquilius Gallus, P. Cassius, et C. Antonius. Vid. Ciceronis orat. pro Cluentio. *q*) Vid. SVETONIVS de illustr. Grammat. cap. 7. *r*) Quod ipse testatur in Oratione pro Murena. *s*) Vid. eius ad Attic. l. 1. epist. 1.

P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Caſſium Longinum, Q. Cornificium, et C. Licinium ſacerdotem. *t*) Ambitus vero licentia in dies augebatur magis magisque: vt ſenatus legem ambitus etiam cum aucta poena ferret. Cui rei cum Q. Mucius Oreſtinus tribunus pl. interceſſiſſet, grauiter hoc ferente Senatu, Cicero in toga candida *v*) ſurrexit, ac eleganti oratione *x*) in Catilinae et Antonii coitionem inuectus eſt. Annus erat ab Vrbe condita DCXCI. *y*) quo Senatus populusque Romanus illi, vel propter audaciam Catilinae, vnanimi conſenſu conſulatum mandabat. Antonius vero, qui pauculis centuriis Catilinam ſuperauit, eius in conſulatu collega factus eſt, Catilinae familiaris, nec prorſus ab iſtius conſiliis alienus. Ille multa in Rep.

t) Vid. ASCONIVS in orat. in toga candida et QVINTVS CICERO de petitione conſulatus ad M. Tullium fratrem. *v*) Nam qui hoc tempore magiſtratum petebat, vtebatur toga candida, quam POLYBIVS lib. 10. *τήσεννα λαμπρὰν* nominat. Hinc *Candidati*. *x*) Eius fragmenta apud ASCONIVM extant. FABIVS inſtit. orat. l. 3. c. 9. eam vocat librum in competitores, quem ait vituperationem continere, et in ſenatu tamen ſententiae loco habitum fuiſſe. *y*) Auerſari cuiquam videretur PLINIVS hiſt. natur. l. 9. c. 39. vbi ait: *Spinter aedilis fuit vrbis conditae anno ſeptingenteſimo, Cicerone conſule.* Enimuero tam accurate omnia deſcribere, vt annalium confectorem decet, Plinio negotium datum non fuit; cui etiam tempus circa quod hoc vel illud factum indicaſſe ſufficiebat. Ita vel maxime hic vbi vidit ſextum ſeculum ad finem properare, potuit ſuo more ſpretis annis adhuc complendis, in numero rotundo annum ſeptingenteſimum poſuiſſe. Eum vero plures paulo minoresue annos non admodum curare; alia eiusdem exempla probant. Sic de Catone lib. 14. c. 4. ſcribit: *anno ſexcenteſimo vrbis, circa captas Carthaginem ac Corinthum, cum ſupremum is* Cato *diem obiit* etc. lib. 29. c. 1. *Atque hic Cato* DCV. *anno vrbis noſtrae obiit,* LXXXV. *ſuo.*

Rep. moliebatur, et fauebat legi agrariae, quam non ita pridem Seruilius Rullus tulerat de agris diuidendis per Italiam, et omnes imperii Romani ditiones, quibus Xviri summo cum imperio praeficerentur. Eum vero Tullius primum obsequio et patientia mitigauit: atque simul agere de lege agraria coepit: quo factum est, vt habita oratione vna et altera, quicquid molirentur tiranni, abierit in fumum, et omnes boni ciues maximarum largitionum cum legis agrariae metu penitus liberati sint. Interea temporis L. Sergius Catilina, monstrum hominis, cuius libidines luxusque innotuerunt omnibus, quod frustra hucusque consulatum petierit, locis opportunis per Italiam arma parat, et nihil intentatum relinquit, vt consulatum in proximum annum obtineret. Tum Cicerone, qui consul et prudens et vigilans erat, referente, factum est senatus consultum, vt ad poenam, quae ambitus crimini constituta fuerat, decem annorum exilium adderetur. z) Catilina, cum videret ex S. C. legem contra se suaque molimina esse latam, vt consul ipse confestim designaretur, rebus desperatis, cum Publ. Lentulo et Cn. Cethego praetoribus, aliisque sui surfuris hominibus, in caedem consulum et senatus, euersionem Reip. spolium ac incendium vrbis coniurauit: exercitu sibi in Hetruria comparato. Status erat comitiorum dies, et campus Martius caedis atque tumultus nefarii locus. At coniuratione ista per indices patefacta, Cicero pridie illius diei, quam comitia haberentur, Catilinae conatus ad Senatum

z) Leges de ambitu eiusque poena, et inter eas lex Tullia, videantur apud PAVL. MANVTIVM de legibus Romanis p. m. 216. seqq. confer. praeter DIONEM, ipse TVLLIVS orationibus pro Murena c. 3. passim. in Vatinium et alibi.

detulit. Factum est itaque S. C. vt Consules viderent, ne quid Resp. detrimenti caperet: neque postero die comitia haberentur, vt de iis rebus in Senatu agi posset. Postridie frequenti Senatu Cicero Catilinam frustra monuit: *a*) res externas Q Metello commisit, vrbem sibi curandam ipse maiori vigilantia sumsit. *b*) Comitia habentur, sed firmissimo praesidio aduersus Catilinae et coniuratorum nefarios conatus, quibus consules D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena declarati sunt. *c*) Igitur Catilina coniuratos in domo M. Porcii Leccae noctu conuenire iussit circa Nonas Nouembris: vbi per totam vrbem caedes et incendia describuntur: ac Ciceronem consulem equites Romani duo pollicentur in lectulo suo interfecturos. *d*) His rebus per indices Fuluiam praesertim, proditis, Cicero maioribus domum suam praesidiis muniuit, missosque a Catilina ad ipsum salutatum exclusit. *e*) VI. Idus Nouembris DCXCI. Cicero conuocauit Senatum in aedem Iouis Statoris: quo et Catilina venit rerum ignarus: cui ex Senatoribus nemo assidere voluit. Tullius vero commotus ira et sceleris abhorrens praesentiam tanta fortitudine, tanta eloquentia, tanta maiestate, tamque variis affectibus animi aduersus istum et asseclas omnes, coniurationis reos, inuexit; vt ad orationem *f*) eius, quam habuit extemporali facundia, obstupuerint omnes, conturbatus vero quam maxime fuerit Catilina, qui circumuentum ita sese conuictumque animaduertens, quid tam crebris expostula

a) Vid. CICERO orat. pro Murena cap. 25. *b*) Vid. praeter SALLVSTIVM et PLVTARCHVM, CICERO ad famil. lib. 5. epist. 2. *c*) CICER. pro Mur. c. 26. Catilin. prim. c. 5. *d*) Orat. Catil. 1. c. 4. *e*) CICERO l. c. *f*) Haec prima est oratio in Catilinam luculenta et elegantissima, quam postea scriptam edidit. Confer. ipse ad Attic. lib. 2. epist. 1.

postulationibus reponat, aut quo se tuto conuertere possit, minime gentium videbat. Igitur nocte intempesta toties ab Tullio exire iussus, cum trecentis armatis, lictoribus et fascibus, insignibus imperii adhibitis, ex vrbe proficiscitur in Manliana castra, vbi cum Manlio (al. Mallio) breui post hostis iudicatus victusque ab Antonio Consule occumbit. Lentulus vero, Cethegus, Statilius, Gabinius, et Caeparius cum reliquis a Catilina in urbe manere iussi, in custodiam traditi, et plurimis indiciis conuicti, ex S.C. ipsius tamen maxime Ciceronis praecepto, in carcere vltimo supplicio afficiuntur. *g)* Ita Tullius suis consiliis, suis laboribus, capitis sui periculis, sine tumultu, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione vrbem, internecione ciues, vastitate Italiam, interitu Remp. liberauit. Moliminibus adeoque tam exitiosis rebellium optimi consulis vigilantia et industria dissipatis, et oppressa improborum potentia, omnes boni ciues magnam conseruatori suo laudem gloriamque retulerunt. III. Nonas Senatus illi togato, non, vt multis, bene gestae, sed conseruatae reip. testimonium dedit; et singulari genere supplicationis *h)* deorum immortalium templa pate-

g) Confer. VELLEIVS lib 2. c. 34. *h)* *Supplicatio* fuit honos, qui vna cum imperatoris nomine victori decernebatur, tanquam praerogatiua quaedam triumphicum senatus populo Deum templa aperiri, et imperatoris nomine Diis agi gratias iubebat. Senatus ipse ad templa solenniter se conferebat, sacrificabat epulumque dabat in templis: cum interea temporis populus omnis dies ageret festos, et pro victoria Diis gratias ageret. vid. ALEX. ab ALEX. genial. dier. l. 5. c. 27. BERNEGG. ad Sueton. Caes. c. 24. ROSINVS antiq. Rom. l. 10. c. 28. Vid. etiam CAESAR bell. Gall. l. 2. c. 35. l. 4. c. 38. l. 7. c. 90. TACIT. annal. l. 13. c. 41.

tefecit. *i*) Honorem illum M. Catoni acceptum tulit. *k*) Idem M. Cato, quod PLVTARCHVS *l*) memoriae prodidit, confulatum Ciceronis ita pro roftris efferebat, vt honoribus eum profequeretur maximis et *Patriae* illum *Patrem* appellaret: *m*) quod cognomen poftea vulgus et omnes boni et libertatis fautores in Ciceronis laudem retinuere. LIPSIVS *n*) hunc Plutarchi errorem notat, quod voluerit M. Catonem primum in Senatu honorificum illud patris patriae cognomen Ciceroni tribuiffe: quum ipfe Tullius hoc Q. Catulo acceptum tulerit, oratione in L. Pifonem: vbi *me*, inquit, *Q. Catulus princeps huius ordinis et auctor publici confilii frequentiffimo fenatu, patrem patriae nominauit. Mihi hic vir clariffimus, qui propter te fedet, L. Gellius his audientibus ciuicam coronam deberi a rep. dixit.* etc. Et pro Sextio: *me ille vt patrem deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii faepe in fenatu patrem patriae nominarant.* Nihil vero inde minus probatur, quam quod Catulus ita Ciceronem primus appellauerit; et e re nunc ipfi fuit prae ceteris nominare Catulum neque alios excludit, fed palam teftatur, multos faepe hunc honoris titulum fibi reddidiffe. Quomodocunque res fefe habeat, nofter primus, nec immerito, fic in rep. falutatus eft. Vnde IVVENALIS: *o*)

- - *Roma parentem*
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Et

i) Eiusdem fupplicationis mentionem facit CICERO orat. Catil. 3. c. 6. Philip. 14. c. 8. paffim alibi. *k*) Ad famil. l. 15. epift. 4. *l*) In vita Ciceronis. *m*) De patris patriae appellatione vid. GRAVINA de ortu et progreffu iuris ciuilis §. 113. oper. pag. 81. et de Romano imperio §. 12. pag. 473. *n*) Variar. lect. l. 3. c. 20. *o*) Satyr. 8. v. 243.

Et Plinivs: *p)* *Salue primus omnium parens patriae appellate.* Constat quoque cum in senatu habita oratione Catilinaria quarta nonis Decembris *q)* ad vesperum se reciperet domum suam, ciues non iam silentio ac ordine illum deduxisse; verum quocunque accesserat, omnes vocibus et plausu excepisse, et *seruatorem ac conditorem patriae* appellasse. *r)* Neque semetipsum continere potuit, quin gloriaretur conseruata ciuitate:

O fortunatam natam me consule Romam.

§. VI.

Sed ex Romanis non paucos offendit, suas in Catilinam actiones frequenter in coelum ferendo. *s)* Honores gloriamque vt plurimum inuidia et malorum indignatio comitatur: quod orator et in rep. princeps noster exemplo suo ac tristi euentu comprobauit: cum ab altera parte suarum laudum praecones, ab altera parte multos etiam maleuolos ac inimicos vel sui osores non impotentes haberet. Longum esset persequi omnia, quae inde a consulatu gesserit in rep. quo discrimine, quantis factionibus, saluberrima quaeque, nec sine ambitione aut fastu, tentauerit. Haec non exiguam historiae Romanae partem absoluunt, cuius adeo vix quisquam potest esse rudis et expers, vt, nihil etiam me monente, ignoret. Notamus solummodo nunc infestum Ciceronis hostem P. Clodium *t)* tribunum plebis, qui anno DCXCV.

p) Lib. 7. c. 30. confer. Gellivs l. 5. c. 6. *q)* Epist. 9. l. 1. ad famil. epist. 16. l. 1. et epist. 1. lib. 10. ad Attic. *r)* Plvtarch. in Ciceronis vita. *s)* Plvtarch. de sui laude oper. pag. 250. *t)* Iste apud Velleivm l. 2. c. 45. homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi vllum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti

DCXCV. Ciceronis XLIX. Pisone et Gabinio Coss. v) inter alias legem tulit, vt qui ciuem Romanum indemnatum interemisset, isti aqua et ignis interdiceretur. Hac lege, velut quodam priuilegio, quamuis nominatus non esset, solum Ciceronem, pridem sibi inimicum, petebat. x) Siquidem et paulo post ipsum accusauit, quod contra leges et instituta maiorum nobiles Romanos Lentulum et Cethegum aliosque coniurationis Catilinariae participes, absque iudicio damnatos, in carcere necari iusserit. Accessit trium virorum Pompeii, Crassi et Caesaris inuidia, quorum conspirationem aequo animo ferre non poterat, neque inter xx. viros diuidendo agro Campano esse voluerat. y) Reus itaque factus atram sumsit vestem et lacrumis supplex, vt innocuum ac insontem se, quod non sui, verum reip. caussa ad emolumentum atque salutem patriae vigilans omnia egisset, defendant absoluantque criminis Romanum populum rogauit et obsecrauit. Ita virum se in propria caussa non praestitit orator, tanta oris vi atque facundia praeditus, qui in perditis aliorum caussis fortis et audax dicendo prorsus nemini concessit: maxima qui cum lubentia defendebat reos, in ius a Clodio vocatus, abiectus et timidus vili modo sordidam induit vestem et plorabundus familiares, patronos, amicos atque ignotos adiit, aliis risum, aliis sui commiserationem excitauit ac valde accusantibus se victoriam reliquit. z) Itane qui pessimam saepius pro

cesti reus ob initum inter religiosissima P. R. sacra adulterium; qui graues inimicitias cum Cicerone exercuerit a patribus transierit ad plebem. v) Secundum alios DCXCVI. x) VELLEIVS l. 2. c. 45. DIO. l. 38. y) VELLEIVS l. c. z) Ipse TVLLIVS abiectum fuisse animum suum non negat, et in rebus domesticis anxium, vt in publicis erectum, ad Attic. l. 1. epist. 13. l. 3. epist. 2. alibi.

pro aliis cauſſam optime dixit, propriam ſuam, eandemque optimam peſſime egit, et dicendo nequidem ſe defendere auſus fuit? Enimuero et in hoc Demoſthenem ſuum imitari videtur, qui dicturus pro ſe, prius traditur aufugiſſe, quam in iudicium deuenerit. Miſero Ciceroni circumuaganti Clodius, viris comitatus peſſimis et pronis ad contumeliam, omnibus vicis ibat obuiam, vt veſtis mutationem ipſumque ſupplicantem exagitaret multisque conuiciaret probris, nonnunquam luto et lapidibus in eum coniectis. Hoc Ciceronis deplorando ſtatu ciues boni, praeſertim ex equeſtri ordine viginti propemodum Romanae iuuentutis millia, veſtibus mutatis comisque promiſſis, per vrbem pro tanto publicae ſalutis vindice precibus interceſſerunt. Senatus ipſe frequens conuenit cenſetque veſtem velut in publico luctu mutandam eſſe: *a)* quod conſules vetant, et Clodius, qui cum armis ad curiam properat. Inde viri conſulares non pauci, veſtibus diſciſſis magnoque ſublato clamore ex ſenatu ſe proripuere. *b)* Maluit igitur Cicero de rep. bene meritus, nunc vero a Conſulibus et ipſo Pompeio proditus et derelictus ad Kalendas Aprilis DCXCV. vrbe cedere, quam ſeruis armatis bonorum vitam obiicere. Sic patriae conſeruatae precium exilii calamitas fuit. Volunt eum prius habuiſſe orationem ad populum et equites, vt liberos ſuos atque familiam illis commendaret: cuius etiamnum aiunt extare exemplum. Sed illa oratio, quae in operibus cum aliis nunc legitur, inelegans et tanto viro inepte ſuppo-

a) CICER. Orat. pro Sextio c. 12. et 14. *b)* Vid. PLVTARCHVS in vita Cicer, DIO. l. 38. CICERO orat. pro Sextio, et poſt reditum ad Quirites.

ſuppoſita eſt. *c)* Habuerat domi ſuae ſignum Mineruae, iamdiu religioſiſſime cultum, quod ex vrbe diſceſſurus delatum dedicauit in Capitolio, et ſubſcripſit: MINERVAE CVSTODI VRBIS. *d)* Clodius domum Ciceronis incendio dedit, aream Libertati conſecrauit, bona publicauit, praedia et quicquid Ciceronis erat, diripuit. Interea temporis de exilio ipſius lex fuit lata, vt aqua iſti et ignis interdiceretur, neue intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperetur: ne quis de eo ad ſenatum referret; ne decerneret quicquam aut diſputaret, vel etiam ſcribendo adeſſet: cetera quae praeter PLVTARCHVM, DIONEM et alios rerum Romanarum commentatores ipſe TVLLIVS in ſuis poſt reditum orationibus, ea praeſertim, quam pro ſua domo habuit aduerſus Clodium ad Pontifices, diſertis verbis deſcripſit. Legis vero non habita ratione Tullium exulantem omnes comiter exceperunt, cauſſam ipſius, quantum potuere, promouentes. Siciliam verſus per Lucaniam pedibus iter fecit. Naryce Locridis fuit VI idus Aprilis. *e)* Inde Vibonem venit Lucaniae oppidum: vbi Vibius quidam, homo Siculus, qui multa ex Ciceronis amicitia perceperat commoda, et praefectus fabrum fuerat eo conſule, illum quidem in aedes non recepit, ſuum tamen ipſi fundum aſſignauit. *f)* Siciliam

c) Ita quoque LAMBINVS et ex eo FREIGIVS in ſuis ad iſtam orationem notis, item DIONYS. GOTHOFREDVS, et ex eo G. HORNIVS in notis ad Sleid. de quattuor ſummis imperiis et plures alii ſcripſerunt, quod *inelegans* ea ſit, *inconcinna*, *inſulſa atque inepta denique vix Latina. Itaque qui eam Ciceroni adſcribant, eadem opera, regi alicui opulento veſtem aliquam craſſo filo tritam ac laceram circumdent.* *d)* PLVTARCH. et DIO: ll. cc. Eiusd. ipſe meminit ad famil. l. 12. epiſt. 25. et de legibus lib. 2. *e)* Ibi ſcripſit ad Atticum l. 3. epiſt. 2. *f)* Vid. epiſt. 2. et 4. lib. 3. ad Attic.

liam, quam Cicero petebat, tum temporis C. Virgilius praetor tenebat, qui ad Ciceronem scripsit, ne in Siciliam veniret. Mutato igitur consilio, Vibone Brundusium proficiscitur: quo itinere III. idus April. Thurii ad Atticum *g*) scripsit; rursum XIV. Kalend. Maii Tarenti: *h)* quo die etiam Brundusium venit. *i*) Vrbem tamen ipsam non ingreditur, sed in hortos M. Lenii Flacci se contulit, apud quem tredecim dies fuit *k*) Pridie Kalendas Maii Brundusio venit Dyrrachium: vbi cum egrederetur e naui, terrae motus et maris conuulsio extitit: vnde Haruspices coniiciebant, illius exilium non diuturnum fore. *l*) Hinc in Macedoniam perrexit, ac X. Kal. Iunii Thessalonicam peruenit, vbi Cn. Plancii liberalitate per septem menses detentus est: quo temporis spatio plures ad Atticum epistolas scripsit, *m*) item ad Q. Fratrem *n*) et Terentiam vxorem. *o*)

§. VII.

Vti vero solis radii in obscuro diu latere nequeunt, et pressa nunquam opprimitur virtus: exilium tanti viri continuo in ciuitate sequebatur admirabilis bonorum omnium expectatio et desiderium, vt publicae salutis reparator et patriae pater e continenti Senatus Consulto in patriam restitueretur. Neque exilium, illi hostibus inuitis et potentissimis obstantibus, diuturnum esse potuit. Kalendis Iunii DCXCV. frequens senatus de reditu Ciceronis decreuit, ac resistente Clodio, ipsis consularibus viris placuit in rep. nihil decernere, nec quicquam agere, nisi ab exilio Marcus Tullius no-

 ster

g) l. 3. epist. 5. *h*) l. 3. epist. 6. *i*) Ad Attic. l. 3. epist. 7. *k*) Ad famil. l. 14. epist. 4. *l*) PLVTARCH. in Cicer. *m*) Vid. CICER. orat. pro Plancio. ad Attic. lib. 3. epist. 8--21. *n*) l. 1. epist. 3. seq. *o*) Ad famil. l. 14. epist. 2.

ſter reuocaretur. *p*) Sed in cauſſa Lentulus fuit, quocum arctius coniuncti fuerant Conſules, quin Tullius in Patriam reuocari potuerit. Anno ſequenti DCXCVI. conſules facti ſunt P. Cornelius Spinther et Q. Caecilius Metellus Nepos, quorum ille Ciceronis ſui cauſſam ſtrenue egit, adeo vt niſi perfecta re non conquieuerit de eo: *q*) nec ſine magno Clodii tumultu atque caede *r*) res tandem eo rediit, vt facto S. C. ex vniuerſa Italia conſularibus literis conuocarentur omnes, qui ſaluam remp. vellent. *s*) Cum igitur vno tempore populi confluxus eſſet ex omnibus Italiae prouinciis: Lentulus conſul in capitolium conuocauit ſenatum frequentiſſimum. *t*) Tum Cn. Pompeius vni Ciceroni patriae conſeruatae teſtimonium dedit: cuius ſententiam vno Clodio excepto frequentiſſimus ſenatus (aderant vero CCCCX. ſenatores et omnis magiſtratus) ſequebatur et Ciceronem ab exilio reuocabat. *v*) Ita decimo poſt menſe, quam patria eiectus fuerat, conſulis vtriusque et ſera quamuis Pompeii cura, et virtute Annii Milonis tribuni plebis, et actione Quinti Fratris, votis item cunctae Italiae et ſenatus vniuerſi decreto ſuae dignitati atque patriae, cum maxima populi gratulatione reſtituitur; aere publico magnificentius eius villae atque domus a Clodio combuſtae reparantur, *x*) ſuisque laudibus ciuitates exornan-

p) Vid. ipſius oratio pro Sextio cap. 31. In Piſonem c. 13. Ad Attic. lib. 3. epiſt. 24. *q*) CICERO ad famil. l. 1. epiſt. 1. *r*) Idem orat. Miloniana c. 14. *s*) Orat. in Piſon. c. 15. pro Sextio c. 60. poſt redit. in ſenat. c. 9. pro domo cap. 27. *t*) Orat. in Piſon. c. 15. poſt redit. in ſenat. c. 10. *v*) Orat. poſt redit. in ſenatu c. 10. pro Sextio c. 61. pro Milone c. 15. *x*) Orat. in Piſon. c. 22. et ibi ASCONIUS. Superficiem aedium conſules aeſtimarunt HS. vicies, Tuſculanam villam HS. quingentis millibus, Formianum HS. ducentis quinquaginta millibus. epiſt. 2. l. 4. ad Attic.

ornantur, cum quae in exilio fouerant. Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies Non. Septemb. ſenatui gratias egit ea oratione, quam *poſt reditum in ſenatu* inſcripſerunt; gratias egit quoque Romano populo alia oratione *poſt reditum ad Quirites* inſcripta. Vtraque vehementer inuehitur in eos, quorum inuidia pulſus fuerat; amicorum contra laudat beneficia, ſuaque in Rep. officia et ſummum ſtudium pollicetur.

§. VIII.

Ipſi tunc temporis contentio relinquebatur de domo, quam Clodius Libertati conſecrauerat, centuriatis vero comitiis populus eo iure eſſe iuſſerat, quo ante fuiſſet. Eam cauſſam ſenatus ad Pontificum collegium referebat. *y*) Cum ergo Tullius videret, magnam in plerisque virtutis ſuae inuidiam ſupereſſe etiam poſt reditum ſuum, calamitate quaſi adactus Caeſaris et Pompeii, ſummorum in rep. virorum, qui rerum tum potiebantur, partibus fauebat. Pompeio quidem, concitata propter annonae caritatem multitudine, vt per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariae toto terrarum orbe daretur, ſenatui perſuaſit: *z*) et pridie Kalendas Octobris apud pontifices ſuam pro domo dixit orationem, in qua primum Clodio reſpondet, qui actionem eius de poteſtate rei frumentariae Pompeio danda reprehenderat; deinde ſuam ab omni religione vacuam eſſe domum prolixius demonſtrat. *a*) Caeſari cum decem legatis ſtipendium decreuit, neque voluit, vt Galliae

 prouin-

y) Vid. Cicer. orat. de haruſp. reſp. c. 6. *z*) Orat. pro domo c. 3. ſeqq. confer. epiſt. 1. lib. 4. ad Attic. Asconivs in Milon. c. 14. Dio lib. 39. Plvtarch. in Pompeio. *a*) Cum ipſa oratione conferatur epiſt. 1. lib. 2. ad Quint. Fratr. et Dio lib. 39.

prouinciae ipsi adimerentur, quoad bellum confecerit. *b*) Inde nimia Imperatoris poteſtas, quæ publicam imperii libertatem oppreſſit. Cn. Pompeio tertium conſule, anno adeoque ab V. C. DCCI. Clodium, quo nemo perniciosior reip. neque bonis inimicitior ciuium quisquam fuerat, ex occurſu rixam ſibi contrahentem Milo interficit; et reus hinc parricidii factus, defenſorem ſibi atque patronum Ciceronem conſtituit: damnatur vero, non tam inuidia facti, quam Pompeii voluntate; et quamuis a M. Catone ſententia lata palam, aſt ſero nimis, fuerit abſolutus, exulare iubetur.

§. IX.

His actis, teſte PLVTARCHO *c*) Tullius *pro Craſſo iuniore, qui apud Parthos obierat, augur deſignatur. d) Deinde Proconſul prouinciam ſortitus Ciliciam, exercitum duodecim millium peditum, duorumque millium ſexcentorum equitum traiicit, iuſſus Cappadociam Ariobarzani Regi e) reconciliare, eiusque voluntati reducere. Haec ipſe placide et absque congreſſu pugnae compoſuit: ac Cilices, qui ob cladem Romanorum a Parthis illatam, Siriaeque tumultus efferebantur, adminiſtrationis ſuae manſuetudine placat. Munera ibidem a Regibus ſibi oblata renuit. Praeterea prouinciae populos ab epularum ſtipendiis ſoluit* etc. Tenuit Cicero Praeconſul etiam Cyprum inſulam, Ciliciae oppoſitam, et praeterea tres dioeceſes Aſiaticas, Cibyraticam, Syn-

b) Orat. de prouinciis conſularibus cap. 11. pro Balbo c. 27. Ad famil. l. 1. epiſt. 7. *c*) In vita Ciceronis. *d*) Confer. epiſt. 4. l. 15. Ciceron. ad famil. *e*) Eum praeſentibus inſidiis liberauit: quod ipſe prolixe deſcribit Famil, l. 15. epiſt. 2. et 4.

Synnadenſem et Apameenſem. *f)* Adeoque ait *g)* ſe nationibus Cilicum, Piſidarum et Pamphyliae praefuiſſe. Poſtquam Ariobarzanem opera ſua iuuerat, confeſtim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas, et Tarſum venit a. d. III. Non. Octobr. *h)* Tarſo Amanum verſus profectus eſt, *i)* qui mons erat hoſtium ſempiternorum plenus. Hic a. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hoſtium caecidit, caſtella munitiſſima cepit, incendit, et imperator appellatus eſt. *k)* Deinde caſtra in radicibus Amani habuit, ea ipſa, quae apud Iſſum Alexander aduerſus Darium habuerat: et Pindeniſſum, oppidum munitiſſimum Eleutherocilium, omnibus machinis diu oppugnatum, ſeptimo et quinquageſimo die cepit. *l)* Ideoque Ciceroni pro re bene geſta ſupplicationes ſunt decretae. *m)* Prouincia ſua decedens Rhodum nauigat. Inde Athenas traiicit: vbi veteris clariſſimorum virorum conſuetudinis deſiderio captus, eruditiſſimorum colloquiis aliquod tempus tranſigit: tandemque reuertitur Romam, ad quam pridie Non. Ianuarii DCCIV. acceſſit, et obuiam ei proditum eſt, vt honoratius fieri non potuerit.

§. X.

Incidit vero in ipſam acerrimae ciuilis diſcordiae, vel ipſius belli potius flammam, quo ciuitatem iamiam haud parum vexatam reperit. Quamuis tunc patriae huic peſti mederi ſummo conatu ſtuduerit; ipſi tamen ceterorum cupiditates reſtiterunt, quae continuo ſaluberrimis conſiliis impedi-

f) Vid. CICER. ad Atticum l. 5. epiſt. 21. l. 6. epiſt. 1. et 2. *g)* Diuinat. lib. 1. c. 1. *h)* Ad Attic. l. 5. epiſt. 20. *i)* Famil. l. 3. epiſt. 8. *k)* Ad Attic. l. 5. epiſt. 20. Fam. l. 2. epiſt. 10. et l. 15. epiſt. 4. *l)* Ad Attic. l. 5. epiſt. 20. Famil. l. 15. epiſt. 4. *m)* Ad. Attic. l. 7. epiſt. 1. Famil. l. 8. epiſt. 11. l. 15. epiſt. 4. 10. 11. et 13.

prouinciae ipsi adimerentur, quoad bellum confecerit. *b*) Inde nimia Imperatoris potestas, quæ publicam imperii libertatem oppressit. Cn. Pompeio tertium consule, anno adeoque ab V. C. DCCI. Clodium, quo nemo perniciosior reip. neque bonis inimicitior ciuium quisquam fuerat, ex occursu rixam sibi contrahentem Milo interficit; et reus hinc parricidii factus, defensorem sibi atque patronum Ciceronem constituit: damnatur vero, non tam inuidia facti, quam Pompeii voluntate; et quamuis a M. Catone sententia lata palam, ast sero nimis, fuerit absolutus, exulare iubetur.

§. IX.

His actis, teste PLVTARCHO *c*) Tullius *pro Crasso iuniore, qui apud Parthos obierat, augur designatur. d) Deinde Proconsul prouinciam sortitus Ciliciam, exercitum duodecim millium peditum, duorumque millium sexcentorum equitum traiicit, iussus Cappadociam Ariobarzani Regi e) reconciliare, eiusque voluntati reducere. Haec ipse placide et absque congressu pugnae composuit: ac Cilices, qui ob cladem Romanorum a Parthis illatam, Siriaeque tumultus efferebantur, administrationis suae mansuetudine placat. Munera ibidem a Regibus sibi oblata renuit. Praeterea prouinciae populos ab epularum stipendiis soluit* etc. Tenuit Cicero Praeconsul etiam Cyprum insulam, Ciliciae oppositam, et praeterea tres dioeceses Asiaticas, Cibyraticam, Syn-

b) Orat. de prouinciis consularibus cap. 11. pro Balbo c. 27. Ad famil. l. 1. epist. 7. *c*) In vita Ciceronis. *d*) Confer. epist. 4. l. 15. Ciceron. ad famil. *e*) Eum praesentibus insidiis liberauit: quod ipse prolixe describit Famil, l. 15. epist. 2. et 4.

Synnadensem et Apameensem. *f*) Adeoque ait *g*) se nationibus Cilicum, Pisidarum et Pamphyliae praefuisse. Postquam Ariobarzanem opera sua iuuerat, confestim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas, et Tarsum venit a. d. III. Non. Octobr. *h*) Tarso Amanum versus profectus est, *i*) qui mons erat hostium sempiternorum plenus. Hic a. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hostium caecidit, castella munitissima cepit, incendit, et imperator appellatus est. *k*) Deinde castra in radicibus Amani habuit, ea ipsa, quae apud Issum Alexander aduersus Darium habuerat: et Pindenissum, oppidum munitissimum Eleutherocilium, omnibus machinis diu oppugnatum, septimo et quinquagesimo die cepit. *l*) Ideoque Ciceroni pro re bene gesta supplicationes sunt decretae. *m*) Prouincia sua decedens Rhodum nauigat. Inde Athenas traiicit: vbi veteris clarissimorum virorum consuetudinis desiderio captus, eruditissimorum colloquiis aliquod tempus transigit: tandemque reuertitur Romam, ad quam pridie Non. Ianuarii DCCIV. accessit, et obuiam ei proditum est, vt honoratius fieri non potuerit.

§. X.

Incidit vero in ipsam acerrimae ciuilis discordiae, vel ipsius belli potius flammam, quo ciuitatem iamiam haud parum vexatam reperit. Quamuis tunc patriae huic pesti mederi summo conatu studuerit; ipsi tamen ceterorum cupiditates restiterunt, quae continuo saluberrimis consiliis impedi-

f) Vid. Cicer. ad Atticum l. 5. epist. 21. l. 6. epist. 1. et 2. *g*) Diuinat. lib. 1. c. 1. *h*) Ad Attic. l. 5. epist. 20. *i*) Famil. l. 3. epist. 8. *k*) Ad Attic. l. 5. epist. 20. Fam. l. 2. epist. 10. et l. 15. epist. 4. *l*) Ad Attic. l. 5. epist. 20. Famil. l. 15. epist. 4. *m*) Ad. Attic. l. 7. epist. 1. Famil. l. 8. epist. 11. l. 15. epist. 4. 10. 11. et 13.

pedimento fuere. *n*) Qualis tunc reip. ſtatus, in huius tractationis volumine primo prolixius demonſtratum iuimus: vbi ex profeſſo nobis de Pompeio atque Caeſare verba facienda fuerunt. Tullius noſter ex Aſia in Patriam redux cum videret, ſummorum Imperatorum animos nullo modo reconciliari poſſe: cum reliquis ſenatoribus adverſus Caeſarem egit, ac partes ſuſcepit Pompeii, cuius caſtra ipſe in Aſiam ſequebatur: nihil vero memoratu dignum belli molitus, iam tum valde lubricus et inconſtans dicteriis ſuis videbatur infelicem belli exitum diuinari: vt rebus aduerſis, gratiam ſibi victoris conciliaret. Verſipelles adeo fuerat in tota ea cauſſa timidusque: vt quo ſe ipſe verteret aliquando incertus maneret. Pompeio, cui adhaeſit, non veritus eſt palam obiicere negligentiam et abiectionem animi: ſuumque conſilium amicis probare abiectius. Ita *ſuſceptum*, ait, *bellum eſt, quieſcente me: depulſum Italia, manente me, quoad potui. Sed valuit apud me plus pudor meus, quam timor. Veritus ſum deeſſe Pompeii ſaluti, cum ille aliquando non defuiſſet meae o*) Caeſarem, cuius, vt ipſi videbatur, impotentem dominationem ferre minime gentium poterat, et quem occulte habebat odio, laudibus palam ad coelum extulit. In epiſtolis vero ad amicos, cum gereret bellum, vocat eum tyrannum atque monſtrum: et Attico *p*) ſcribit: *Intelliges, id regnum vix ſemeſtre eſſe poſſe.* Magis videbatur applaudere C. Caeſari, cum vicerit Pompeium ac naeci dederit: vt

n) Vid. CICER. ad famil. l. 6. ep. 6. l. 7. ep. 3. l 16. epiſt. 10. et ſeq. epiſt. 11. Orat. pro Marcello c. 5. Ligario c. 9. et Deiotaro c. 10. *o*) Ad famil. l. 6. epiſt. 6. confer. CORN. NEPOS Attic. cap. 7. *p*) Lib. 10. epiſt. 7. Confer. ad Attic. l. 7. epiſt. 19. et 20. l. 8. epiſt. 3. et 9. lib. 10. epiſt. 4.

vt noſter in ſummo periculo verſaretur. Tum enim pro ratione ſtatus atque temporis, e continenti vertebat ſtilum, et quem vituperiis modo clam exagitauerat, diuinis proſequebatur laudibus, *q)* nec irrito conatu tanti herois gratiam merebatur.

§. XI.

Interea temporis, cum Tullio noſtro parum ſupereſſet negotii, et curam, quam pro rep. habebat, videret eſſe vanam, iſta propemodum in monarchiam transformata: plurimum in Tuſculano ſuo vitam degens, philoſophicis vacabat ſtudiis, quae ab ineunte aetate cum ceteris eum maximopere delectauerant. *r)* Tum etiam iuniores in philoſophia erudiuit; *s)* dialogos ſuos philoſophicos condidit; ſingularia dialecticorum et phyſicorum vocabula, adhuc inſolita primus Latinitate donauit, adeoque nota et appellanda exhibuit: vt ſunt v. gr. phantaſia, atomus, continuum, indiuiduum, vacuum. Qua de re luculenter ſcripſit ad M. Catonem: *t)* *Extremum illud eſt, vt quaſi rationi meae, philoſophiam ad te allegem, qua nec mihi charior vlla res vnquam in vita fuit, nec hominum generi maius a Diis munus vllum datum. Haec igitur, quae mihi tecum communis eſt, ſocietas ſtudiorum atque artium noſtrarum, quibus a pueritia dediti ac deuincti, ſoli propemodum nos philoſophiam illam veram et antiquam, quae quibusdam otii eſſe ac deſidiae videtur, in forum atque remp. atque in ipſam aciem pene deduximus* etc.

§. XII.

q) Vide orationes pro Ligario, Marcello et Deiotaro. *r)* Ad famil. l. 4. epiſt. 4. Confer. eiusdem de natura Deorum lib. 1. cap. 4. *s)* Confer. ALEX. ab ALEX. dies geniales l. 1. c. 23. cum Andreae Tiraquelli annot. an Cicero aliquando ludum aperuerit. *t)* Famil. l. 15. epiſt. 4. circa fin. confer. ad Q. Fratrem l. 3. epiſt. 3.

 v) Phi-

§. XII.

Mutato reip. ſtatu, quam Caeſar victricibus armis ad ſui vnius principatum redegit, in tantum victorem coniurationes, quæ hucusque inter cineres ſopitae giſcebant, tandem exarſerunt adeo; vt idibus Martii DCCX. quinto poſt menſe, quam Romam veniſſet, in curia ad Pompeii ſtatuam, ab illis ipſis, quos recenti beneficio ſibi deuinxerat, quibusque fecerat delicti gratiam, quod Pompeii caſtra ſecuti aduerſus eum militaſſent, tribus et viginti vulneribus confoſſus interierit. Conſpirantes inter Brutus et Caſſius principes fuerant: et ipſe Tullius noſter, ſi huius caedis non particeps, quod Plutarchus teſtatur, mirus tamen iſtius fautor fuit. Praeterquam enim quod Bruto Caſſioque familiariſſime vteretur, Caeſare interfecto admodum laetari viſus eſt et exultare; et parricidas v) eam gloriam conſecutos eſſe dixit, quae vix coelo capi poſſe videretur: et caedem Caeſaris diuinum in remp. beneficium vocauit. x) Ipſe etiam M. Brutus ſtatim ac illum necauerat, cruentum pugionem alte extollens nominatim Ciceronem exclamauit, eique libertatem recuperatam gratulatus eſt. y) Et Antonius poſtea in ſenatu Caeſarem Ciceronis conſilio interfectum fuiſſe dixit. z) Percuſſores e foro ſe in Capitolium recipiunt, eoque Cicero cum multis aliis aſcendit: pacis item fundamenta iecit, atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna cenſuit eſſe delendam. a)

§. XIII.

v) Philippica oratione 2. x) Ad famil. l. 9. epiſt. 28. confer. ad Attic. l. 14. epiſt. 6. y) Confer. Dio lib. 44. z) Philipp. orat. 2. c. 11. a) Philipp. orat. 1. c. 1.

§. XIII.

C. Octauius, qui Apolloniae tum erat, certior factus de obitu Caesaris sui auunculi magni, Romam properauit; ab Antonio vero consule satis superbe exceptus est: qui crudeliter et acide omnia agebat: ille nihilominus inuidiosam Caesaris haereditatem adiit. Quibus in locis atque villis tum Cicero fuerit rusticando, ex epistolis discimus, quas eo tempore ad Atticum *b*) scripsit. Pristinae libertatis recuperandae maximo flagrabat desiderio; et multis superatis erroribus Romam redux eam sibi auctoritatem parabat vt dictis philippicis orationibus in senatu optime staret ac reip. inhiantem Antonium, Caesarisque extincti dominationem et omnia nefarie molientem patria pelleret. *c*) Quod vt ex animi sententia obtinere posset: ipsi opus fuerat amicitia et ope C. Caesaris Octauiani, qui successionis iure caedem auunculi vindicare et illius percussores quouis modo persequi conabatur simul atque aduersus M. Antonium, regni aemulum, arma sumebat. Quod priori huius tractationis volumine, in vita Augusti, ex probatis Romanae historiae monumentis, prolixe narrauimus. Illi ex odio, quod aduersus Antonium habebat, et singulari maioris gloriae desiderio, vel ex timore et diffidentia caussae, adeo semetipsum submisit: vt eum, quamuis puerum, aliquando patrem appellauerit: certa spe fretus, fore vt sola illius potentia et ope ciuitati praeficeretur. Neque minus Caesar Octauianus tum visus est fauere Ciceroni, quem vicissim nominauit patrem, laudauit palam, ipsique omnia retulit atque

I 2 gratias

b) Toto libro 14. *c*) Vide praeter omnes historiae Romanae scriptores CORNEL. NEPOT. Attic. c. 9.

gratias egit. *d)* Ita Tullius non fine omnium applausu M. Antonium, rebellionis auctorem et hostem ferme iudicatum proscripsit, ac vrbe non sine ignominia eiectum continuo philippicis orationibus suis persecutus est. C. Octauianum contra viginti annorum adolescentem diuinis laudibus ad coelum efferens *e)* eum senatui ac populo Romano commendauit, suasitque vt, aetatis non habita ratione, consul crearetur, multis ex memoria temporum adductis exemplis, commode id fieri posse; ac refutatis omnibus, quae obstare illi videbantur. Neque dubitauit senatoribus affirmare suamque dare fidem, illum semper talem fore ciuem, qualem optare sibi aut promittere possint. Eiusmodi suasionibus Cicero stomachum fecit Bruto, qui eum increpauit, quod Antonii metu Caesari blandiens, non libertati studere, sed domesticum sibi Dominum facere videretur. *f)* At reuera omnis commendatio a Cicerone fuerat simulata, fictaque adulatio, quod perdita propemodum sua et desperata consiliorum ratione, ad haec pro Caesare Octauiano dicenda adigeretur: quem clandestino habebat odio, haud veritus dicere, ***puerum illum esse laudandum et tollendum.*** Sed et Ciceronem consilia sua fefellerunt. Ad XVII. Kalendas Maii DCCXI. Antonius proelio ad Mutinam superatus est. *g)* Paucis diebus post Romae P. Appuleius tribunus plebis habuit concionem, qua cum Ciceronem fascium suspicione liberare vellet, vna voce omnes declara-

d) De quibus quid sentiat Brutus, patet ex ipsius epistola ad Atticum: quae est in systemate Ciceroniano ad Brutum epist. 23. ***scribis mihi*** etc. Illius diuinatio quid valuerit, breui post euentus ipse comprobauit. *e)* Philippica oratione tertia. *f)* Ad Brutum epist. 22. cuius init. ***particulam literarum tuarum.*** *g)* Vide huius tractationis partem primam c. 2. p. 135.

clarauerunt, nihil esse a M. Tullio vnquam de rep. nisi optime cogitatum. Duabus vel tribus horis post nuncii et literae de victoria Mutinensi venerunt: quo tempore maximus ad Ciceronem concursus est factus eorum, a quibus insigni clamore atque plausu deductus in Capitolium, collocatus in rostris, atque domum reductus est. *h*) X. Kal. Maii Philippicam orationem decimam quartam habuit, qua nomine trium imperatorum Pansae, Hirtii et Caesaris, propter Antonium hostem superatum, quinquaginta dierum supplicationem *i*) decernit; laudat eos, qui in proelio ceciderant.

§. XIV.

V. Kal. Maii senatus habitus est de iis, qui fuerant hostes iudicati, bello persequendis. *k*) Cicero tum temporis plures ad D. Brutum et L. Plancum literas dedit, vt fusum Antonium persequerentur. *l*) Antonius vero trans Alpes fugit et receptus a militibus cum M. Lepido se coniunxit ad diem IV. Kalend. Iunii DCCXI. *m*) Lepidus propterea hostis iudicatus est a senatu pridie Kalend. Iulii, cum omnibus, qui a rep. defecerant: ita tamen vt ipsis ad saniorem mentem redire ante Kalendas Septembris liceret. *n*) At ipse Octauianus Caesar, vt cognouit Antonium a Lepido receptum, ceterosque exercitus eorundemque duces pro partibus consentire; suam contra potestatem concursu militum auctam magis magisque ab senatu deduci in inuidiam, adeo

h) Vid. Philipp. orat. 14. c. 6. Ad Brutum Epist. 2. 6. et 7. Ad famil. l. 10 epist. 30. l. 12. ep. 6. *i*) Confer. APPIANVS l. 3. *k*) Ad Brutum epist. 9. *l*) Quae exstant ad famil. lib. 10. et 11. *m*) CICERO ad famil. l. 10. epist. 23. APPIANVS l. 3. PLVTARCHVS in Antonio. VELL. PATERCVLVS l. 2. c. 63. *n*) Ad Brutum epist. 16. et 19. Ad famil. l. 12. epist. 10. DIO lib. 46.

vt metu adacti eam scindere aliquomodo tentauerint; nec Ciceroni confidens amplius, quod de iniquis illius moliminibus fuit persuasus: vt imperium sibi stabiliret, aliam iniit viam, et sine cunctatione causam optimatium deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque nonnullorum calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque iactassent. *o*) Adeoque per literas cum Antonio egit, effecitque vt milites inter se iureiurando conuenirent, bellum se nunquam gesturos cum exercitu, qui C. Caesaris fuisset. Tum quadringentos milites Romam misit ad senatum: vt consulatum sibi deposcerent. *p*) Qui cum re infecta ad Octauianum reuerterentur, Antonium et Lepidum in Italiam arcessiuit, ac ipse legiones ad vrbem hostiliter adduxit, et consul statim cum Q. Pedio factus est, qui Pediam legem tulit, vt Caesaris interfectoribus igni et aqua interdiceretur. *q*) Octauianus Consul factus Ciceronem, qui ad eum venit, valere iussit; inita cum Antonio et Lepido pace, copias omnes in vnum locum contraxerunt, ac ibi Romanum imperium, quasi possessionem aliquam inter se diuiserunt ita, vt Caesar vtramque Africam cum Sicilia et Sardinia; Lepidus Hispanias et Galliam Narbonensem; Antonius reliquas Gallias haberet. *r*) Ita ille, cui nimium confidit Tullius, cum hostibus, quos habuit, acerrimis triumuiratum constituit, iunctisque Remp. armis oppressit, interfectis et proscriptis hostibus suis omnibus.

§. XV.

Cicero sub triumuirorum in vrbem aduentum perterritus

o) Sveton. August. c. 12. Velleivs l. 2. c. 62. Ad famil. l. 11. epist. 20. *p*) Vide huius tractationis part. 1. c. 2. p. 136. *q*) Velleivs l. 2. c. 69. *r*) Dio lib. 46. Appianvs l. 4.

ritus quid faceret diu multumque animo pendebat, an fuga ſaluti vitaeque conſulere properet; an ipſimet ſibi mortem violenta manu conſciſcat; an hoſtium immanitates exſpectet; an Philippicis orationibus ſuis exuſtis vitam ab Antonio redimat, eiusque gratiam imploret. Ipſe quidem primum primam iniit ſuae conſeruationis viam, et Roma ſe in Tuſculanum ſuum fuga recepit: ſed audita proſcriptione ſua, *s*) transuerſo itinere in Formianum proficiſcitur, vt nauim conſcenderet. Sed venti aduerſi eum prouectum in altum aliquoties retulerunt: vt nauis iactionem inter fluctus non dotuerit diutius ferre. Mox eum fugae vitaeque taedium cepit, et *moriar*, inquit, *in patria ſaepe ſeruata.* *t*) Ita ad ſupra memoratam villam, paulo plus mille paſſibus a mare ſitam rediit. Serui autem Herennii centurionis et Popillii tribuni militum, quem parricidii reum Cicero defenderat olim, *v*) percuſſorum venientium rumore perterriti precibus atque vi, vt ad mare deferrent, eum lectica excipiunt: qui procul ſicarios ſuos imminere videns deponere lecticam, et quid fors iniqua ferat, quietos pati iuſſit; leuae genam triſtis impoſuit, ac hoſtes immotis proſpiciens oculis iugulum praebuit. Ipſi adeoque, cum eſſet tres et ſexaginta annos natus, *x*) VII. Idus Decembris IↃCCXI. caput ac manus, qua Philip-

s) Nam repugnante Octauiano, conditionem nullam accipere voluit Antonius, niſi Tullius interficeretur. *t*) Ex LIVIO haec refert SENECA lib. I. ſuaſoriar. 7. *v*) VALERIVS l. 5. c. 3. *x*) Referente EVSEBIO. LIVIVS ipſi annos LXIII. et PLVTARCHVS numero rotundo LX. tribuit. Confer. SENECA ſuaſor. 7. et quae ad Cornelii Seueri fragmentum THEODORVS GORALLVS ſiue IOH. CLERICVS notauit.

Philippicas orationes scripserat, truncantur *y)* Antonii iussu, atque Romam deferuntur ad istum forte comitia in foro habentem: qui, cum mutilata prospiceret, magna voce, *sic habeant*, inquit, *proscriptiones finem.* Popillium percussorem Antonius, quod opus adeo sibi gratum fecisset, tribunum coronauit militum, ipsique viginti et quinque coronatorum millia donauit. Fuluia coniux Antonii abscissum Ciceronis caput sumsit, illusionibus atque diris illud execrans, conspuens, postea furiosius inspiciens apposuit gremio, et linguam e faucibus extractam acula, qua tunc ad ornamentum capitis vtebatur, saepius compunxit. Infelix et mille ignominiis affectum caput, postquam diuturno spectaculo animum exatiasset, Antonius inter duas manus locari iussit in rostris, loco prae aliis eminenti atque conspicuo, vbi ille consul, vbi consularis, vbi et eo ipso anno saepius aduersus Antonium verba facere auditus fuerat. Ita z)

Abstulit vna dies aeui decus, ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Vnica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriae caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togaeque,
Publica vox saeuis aeternum obmutuit armis.

Infor-

y) Hinc IVVENALIS Sat. 10. v. 118. de Demosthene et Cicerone loquens:

Eloquio sed vterque perit orator, vtrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et ceruix caesa, nec vnquam
Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.

z) Ex mente CORNELII SEVERI cuius versus SENECA recenset suasoria 6. Confer. VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 66.

Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Caniciem sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus civis proiecta superbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aeuo.

Sed Livivs, natura candidissimus omnium magnorum ingeniorum censor, hoc epitaphium ei reddidit: *a) Vixit tres et sexaginta annos, vt si vis absuisset, ne immatura quidem mors videri possit: ingenium et operibus et praemiis operum felix: ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium aduersorum nihil, vt viro dignum erat, tulit praeter mortem, quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod eiusdem fortunae compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cuius laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit.*

§. XVI.

In matrimonio Terentiam habuit, quacum vixit coniunctissime et filium sui nominis Marcum, filiamque Tulliam procreauit. Extant epistolae ad eam plurimae, quibus fidem, prudentiam et amorem collaudat. Cum vero ab exilio in vrbem reuersus esset, annos iam natus LXII. ab V. C. DCCVIII. eius accusauit malam fidem in curanda familia et negligentiam: vt diuortium faceret. *b)* Ita dimittitur

a) Apud Senecam suasoria 6. *b)* Ad famil. l. 4. epist. 14. *Ego tam misero tempore nihil noui consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam remp. offendissem.*

tur Terentia, quae poſtmodum Vibio Rufo nupta *c*) tertium et centeſimum annum expleuit. *d)* Cicero autem Popilliam *e)* virginem formoſam et diuitem in matrimonium duxit, vt aes alienum, quo fuerat obrutus, diſſolueret bonis huius puellae, quae a Popillio patre moriente ipſius fidei commiſſa erat. *f)* Obiurgantibus, quod ſexagenarius Popilliam virginem duxiſſet, *cras mulier erit*, inquit. *g*) Breui poſt Tullia filia pariens deceſſit: *h)* cuius morte quod Popillia videretur laetari, etiam illam anno matrimonii primo repudiauit. *i*) Dotem igitur illam ſatis opimam non ſine animi aegritudine reddere debebat. *k*) Sed conſulto nunc potiora tractaturi, haec ſilentio praetermittere, vel vno verbo commemorare voluimus: de quibus, cui perplacet aliquid magis cognoſcere, Plutarchum adeat, qui illa omnia in Ciceronis vita copioſe proſequitur.

§. XVII.

Anno poſt Chriſtum natum CIƆIƆXLIV. Kalendis Decembris Angulus Apulus Minorita in Zacyntho Venetorum inſula, quae in mari Ionio Epiro adiacet, apud Sacellum D. Mariae Gratioſae, non longe a littore maris, coenobii fundamenta iacit, ac ſepulchrum antiquiſſimum reperit cum inſcriptione: M. TVLLI. CICERO. HAVE. ET. TV. TEPTIA. ANTΩNIA. in eodem ſepulchro inuentae ſunt duae vrnae vitreae, maior altera cinerum, minor altera lacrumarum,

c) DIO l. 57. *d)* VAL. MAX. l. 8. c. 13. *e*) *Publilia* nominatur, ad Attic. l. 12. epiſt. 27. *f)* Vid. PLVTARCHVS in vita Ciceronis. DIO l. 46. *g)* QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 6. c. 4. *h*) PLVTARCHVS l. c. ASCONIVS in Piſon. princip. CICERO ad famil. l. 6. epiſt. 19. l. 9. epiſt. 11. Ad Attic. l. 12. et 13. *i*) PLVTARCH. l. c. *k*) CICER. ad Attic. l. 13. et 16.

rum, vt coniiciebant; in maioris fundo, erat vitro inscriptum: AVE. MAR. TVL. Hoc monumentum Ciceronis magni oratoris nostri fuisse, quidam voluerunt: *l)* quam bene, quam male, aliis iudicandum relinquo. Sed operae fuerit pretium de academia Ciceronis eiusdemque in ea monumento audire PLINIVM: *m) Digna memoratu villa est ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu ac nemore, quam et vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua et monumentum sibi instaurauerat, ceu vero non in toto terrarum orbe fecisset. Huius in parte prima exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit e libertis eius, vt protinus noscatur etiam ministerium eius ex illa maiestate. Ponam enim ipsum carmen, dignum vbique, et non ibi tantum legi.*

Quo tua, Romanae vindex clarissime linguae,
Silua loco melius surgere iussa viret,
Atque academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.

K 2 Vt,

l) Quos inter DESIDERIVS LIGNAMINEVS Patauinus fuit, cuius epistola de inuento Ciceronis sepulchro in Zacyntho insula exstat Venetiis 1547. Dissentiunt FABRICIVS de Ciceron. vita extr. IACOBVS SPONIVS in itinerario, et GRONOVIVS ad citatum Fabricii locum. *m)* Hist. nat. lib. 31. cap. 2. confer. TVRNEBVS comment. in Ciceron. academ. quaestion. lib. 1. ab exord.

Vt, quoniam totum legitur fine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.

§. XVIII.

Plura videantur apud illos, qui vitam Ciceronis ex professo descripserunt. Ex antiquis omnibus innotuit PLVTARCHVS, qui vt aliorum, ita quoque summi oratoris nostri vitam elegantissime et ita exposuit, vt vehementer conducat ad intelligentiam illarum rerum, quae in operibus ipsis continentur. *n*) Attamen cum ab eo multa omissa deprehendisset LEONARDVS ARETINVS, supplenda censuit illa et librum de vita Ciceronis peculiarem conscribendum, quem Ciceronem nouum vocabat. *o*) SEBASTIANVS CORRADVS in libro eruditissimo de Quaestura *p*) vitam M. T Ciceronis per dialogum, Marci item Ciceronis filii, Quinti fratris, eorum denique, ad Ciceronem qui scripserunt, res gestas memoriae tradidit: quibus multa inprimis afferuntur, quae ad scripta Ciceronis pertinent. HENR BVLLINGERI narrationem de vita Ciceronis Romae repertam 1553. edidit Wolffgangus Peristerus Bonfsus. CONSTANTIVS FELIX Durantinus libris duobus de exilio et glorioso reditu Ciceronis egit. Lipsiae 1535. 4. SIM. VALLAMBERTVS vitam Ciceronis vulgauit Parisiis 1587. 8. Exstat etiam M. Tullii Ciceronis viri consularis historia a FRANCISCO FABRICIO Marcodurano praeclare ex omni genere scriptorum collecta et in annos LXIV. scite

n) Conferri omnino merentur DIO, APPIANVS, SALLVSTIVS, FLORVS, VELLEIVS PATERC. vterque SENECA. Ipse TVLLIVS. PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 30. AVRELIVS VICTOR cap. 81. *o*) Ille liber inter Plutarchi parallelas latine editas saepius excusus est. Vid. MORHOFIVS polyh. liter, lib. 4. cap. 11. §. 7. pag. 846. *p*) Qui prodiit Bononiae 1535.

ſcite digeſta: quae ſeparatim edita eſt ſaepiſſime, et cum ad lectionem Ciceronis vtiliſſima ſit, recentiſſimis operum editionibus praemitti ſolet. Poſt eum compendioſam Ciceronis hiſtoriam ſcripſerunt CHRISTOPH PREISIVS Pannonius, Baſileae 1535. 8. BENEDICTVS HERBESTVS Polonus, 1568. et IAC. ANGELVS de SCARPARIA, aliquoties iunctim editi: PETRVS RAMVS in Ciceroniano, Pariſiis 1556. IOH. BRANTIVS cum elogiis virorum illuſtrium e Cicerone collectis Tullii vitam chronologico ordine digeſſit. Antwerp. 1612. 4. RVDOLPHVS CAPELLVS in Protheoria Ciceroniana Hamb. 1683. fol. IACOBVS MASENIVS quinque prioribus libri ſecundi capitibus in palaeſtra oratoria. CASP. SAGITTARIVS quoque commentarios edidit de vita, ſcriptis et imitatione Ciceronis, Plauti atque Terentii: quibus nihil venuſtius fieri potuit Altenburg 1671. 8. Vitam Ciceronis a ſe conſcriptam eius operibus etiam praemiſerunt DIONYSIVS LAMBINVS et CHRISTOPH. CELLARIVS. Videantur quoque FRANCISCI PETRARCHAE epiſtolae 2. ad Ciceron. epiſtolis ad Q. Fratrem ſubiectas: POLITIANVS Miſcell. cap. 1. PETRVS LAMBECIVS l. 2. de biblioth. Vindob. p. 726. ſeq. NICOLAVS HARSCHERVS de diuinatione Ciceronis diatribe eruditiſſima. WALCHIVS hiſtoria critica L. L. das Baſeliſche neu vermehrte Hiſtoriſch- und Geographiſch-allgemeine Lexicon P. 1. pag. 926. ſeqq.

§. XIX.

Scripta Ciceronis diuino beneficio nobis conceſſa, quatuor diſtinctis voluminibus digeſta ſunt hoc modo. Tomo primo habentur libri Rhetorici I. *Libri quatuor Rhetoricorum ad Herennium*, ab aliquibus Ciceroni adſcripti: illos vero cuiusdam Cornificii eſſe, alibi demonſtratum iuimus. q)

q) Huius tractationis parte priori cap. 6., §. 7.

Cuiuscunque illi ſint, praecepta Rhetorica cognitu maxime neceſſaria, breuiter ac perſpicue dictione Latina tradunt: et quae in oratoris poſita ſunt munere atque officio, complectuntur omnia. Libro enim primo oratoris indicatur officium; materia oſtenditur; quot ſint exordiorum genera, et qua ratione ſingulis in cauſarum generibus fiant; narrationum ſpecies atque virtutes, tum diuiſionis, contentionis atque ſtatuum praecepta traduntur. Secundo libro inuentionis ad vnamquamque conſtitutionem accommodandae ratio aperitur; argumentationum virtutes atque vitia notantur, et praecepta perorationum explicantur. Tertio libro agitur de genere deliberatiuo et demonſtratiuo, tribus etiam officii oratorii partibus, diſpoſitione, pronunciatione et memoria. Quarto libro doctrina inſtituitur de elocutione, eius virtutibus atque vitiis. II. *Libri duo de inuentione*, qui ſoli ſuperſunt e quatuor libris, quos de arte Rhetorica vnum et viginti annos natus inchoatos et rudes edidit. *r*) Vnde non mirum, ſi quae in illis contraria aliis in Rhetoricis ſcriptis reperiantur. Continent vero multa praeclara de materia, officii oratorii partibus, cauſarum generibus, atque res alias notatu dignas. III. *Topica ad C. Trebatium* Ariſtotelica, quae Velia proficiſcens, cum libros ſecum non haberet, memoria repetita, in ipſa nauigatione conſcripſit, et Rhegio librum ad Trebatium ICtum miſit v. Kalend. Sept. DCCIX. *s*) In illis argumentorum ſedes aperiuntur,

r) Quod ipſe teſtatur lib. 1. de oratore ab initio. QVINTILIANVS l. 3. c. 1. confer. VOSSIVS de natura Rhetoricae cap. 13. et FABRICIVS Ciceronis hiſtoria ad ann. vrbis 666. circa finem. et MELCHIOR IVNIVS eloquentiae methodo c. 5. p. 48. *s*) Videatur ipſe in Topicorum prooemio, et lib. 7. ad famil. epiſt. 19.

riuntur, et quibus ex locis ſententiae ſint eruendae, docetur: et vno velut in faſciculo comprehenduntur ea, quae in topicis Ariſtoteles prolixe perſecutus eſt: maxime vero iuris atque legum ſtudioſis proſunt, quod ſcripta ad Trebatium IC. ex iure ciuili exempla deſumta habent. IV. *De partitione oratoria dialogus*, quo filius a patre Cicerone Latine accipit, quae eidem de ratione dicendi Graece tradiderat. Videtur eum dialogum ſcripſiſſe, Iulio Caeſare III. conſule cum M. Aemilio Lepido cum in ſtudiis conquieſceret. *t*) Agit de oratoris vi, oratione et quaeſtione dilucide atque perſpicue: vt ab illis partitionibus oratoriis merito ſumenda ſint initia in praeceptis dicendi Ciceronianis. V. *De oratore dialogi tres ad Quintum Fratrem* de quibus ipſe ad Lentulum: *v*) *ſcripſi Ariſtotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione ac dialogo de oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, ac omnem antiquorum et Ariſtoteleam et Iſocrateam rationem oratoriam complectuntur.* Libro primo demonſtrat, quae ſit eloquentiae dignitas, praeſtantia, vtilitas, materia, finis et cauſſa efficiens; ſecundo indicat probandi, delectandi atque mouendi rationes, etiam de collocatione et memoria agit; tertio elocutionis, actionis et pronunciationis doctrinam tradit. Praeter illa pulcherrima et vtiliſſima artis oratoriae praecepta iſtos dialogos commendant modus in vtramque partem diſputandi, methodus doctrinam erudite, et eleganter tradendi, decorum in perſonis ad diſſe-

t) Ad famil. l. 9. epiſt. 6. confer. FABRICIVS de vita Ciceronis ad annum 707. *v*) Ad famil. lib. 1. epiſt. 9. al. 10. confer. ad Attic. l. 4. epiſt. 12. et l. 13. epiſt. 19. et prooemium l. 2. de oratore.

differendum productis obseruatum et alia scitu valde necessaria. VI. *Brutus siue de claris oratoribus liber*, quem ipse Tullius *x*) libris de oratoribus subiecit: quoniam parum aut nihil in omnibus disciplinis praecepta prosunt, nisi ad imitandum clarissimorum virorum proponerentur exempla. Oratores igitur, tam Graecos, quam Romanos, recenset, ac laude quod est dignum et imitandum, aut quod vitiosum ac fugiendum in singulis ostendit. VII. *Ad Marcum Brutum orator*, siue de optimo genere dicendi, *y*) in quo velut in compendio exhibentur omnia, quae tribus dialogis de oratore persecutus est. Exposita primo instituti ratione, quandam oratoris ideam et perfectionem proponit: deinde quorundam imperitorum de Lysia, Thucydide, Xenophonte et aliis iudicia reiicit: Quamobrem orator plurimarum artium cognitione instructus esse debeat, ostendit: postremo de partibus officii oratorii, praesertim de elocutione agit, et quomodo a philosophorum, historicorum, poetarum et aliorum oratione differat: quae dicendi genera, et quibus in rebus sint vsurpanda: cuiusmodi verborum structura, compositio et numerus esse debeat, vt numerosa et apta sit oratio, quae peritum ab imperito seiungere solet. VIII. *De optimo genere oratorum* breuis disputatio, quam instar prologi praemiserat orationibus contrariis Demosthenis atque Aeschinis a se in linguam Latinam conuersis, vt exemplar Atticae et consummatissimae eloquentiae Romanis ad imitandum proponeret. Haec vero Ciceronis translatio cum aliis praeclaris operibus interiit. Memorato fragmento per-

x) De Diuinat. l. 2. c. 1. *Ita tres erunt de oratore, quartus Brutus, quintus orator.* *y*) Vid. ad famil. l. 6. epist. 19.

to perhibet, quodnam Atticum et optimum dicendi genus: qui sint in numero bonorum oratorum habendi; scilicet non tenues, non sicci, non ieiuni, non aridi, non etiam tumidi et inflati, sed qui auditores docent acute, delectant argute, mouent grauiter, humilia submisse, mediocria temperate, magna oratione magnifica proferunt.

§. XX.

Tomo secundo continentur superstites Ciceronis orationes quinquaginta nouem. I. *Pro Publio Quintio*, quam natus annos viginti quinque z) ab V. C. DCLXXIII. post idus Martias coram Aquilio Gallo Iudice in caussa priuata dixit. Scilicet Sex. Naeuius ante biennium, cum Quintius in Galliam profectus esset, a Burrieno praetore ex edicto postulauit possessionem bonorum, quod ille sibi pecuniam debeat, ac vadimonium deseruerit. Cum bona Quintii absentis per triginta dies possedisset, ea praescribi iussit. Venit tandem Quintius Romam ad vadimonium. Naeuius vero per annum et sex menses quietus nihil petit. Tum in ius ventum ad Dolabellam Praetorem, et Naeuius desiderauit, vt Quintius iudicatum solui satisdaret. Adeoque decretum est, vt satisdaret, aut sponsionem faceret, ni bona sua ex edicto possessa non essent. Sponsione facta, C. Aquilius iudex datus est: apud quem Cicero contendit, Quintii bona ex edicto a Naeuio possessa non esse. II. *Pro Sexto Roscio Amerino* parricidii reo, anno aetatis vigesimo sexto ab V. C. DCLXXIV. dicta. *a)* Bona Roscii patris proscripti

z) Teste EVSEBIO in Chronico. et GELLIO noct. Attic. l. 15. c. 28. sexto et vigesimo aetatis anno. *a)* Vid. A. GELLIVS l. c. et QVINTILIANVS instit. orat. l. 12. c. 6.

fcripti ideoque occiſi Sulla ſubiecit haſtae, et Chryſogonus eius libertus emit duobus millibus nummum; cum iam proſcriptionis nulla fieret mentio, atque etiam redirent, qui ante metuerant. Sed cum filius et heres Roſcii bona patris ita vendita eſſe, aegre ferret, eaque ſexagies eſſe demonſtraret: Sulla perpeti non poterat ſe coargui, et Chryſogoni opera, Roſcii filii nomen de parricidio deferendum curauit. Roſcius adoleſcens, ob Sullae metum ab omnibus deſertus, ad Ciceronem confugit: qui ratus initium gloriae ſplendidius haberi non poſſe, aduerſus Sullae dominantis opes eum defendit: *b*) ac orationis tria capita fecit. Primo conuincit multis argumentis falſo parricidii crimen obiectum fuiſſe Roſcio; ſecundo Capitonis et Magni Roſciorum audaciam accuſat, in quos parricidii crimen ita confert, vt multis ſuſpicionibus arguerentur; tertio potentiam Chryſogoni varie inſectatur. Cauſam Cicero victor obtinuit, magnaque poſthac in admiratione fuit: propter Sullam vero in Graeciam aufugere debuit. III. *Pro Quinto Roſcio Comoedo* oratio non exſtat integra. Dicta eſt anno Ciceronis trigeſimo ab V. C. ıↄ.LXXVIII. quo ille Quaeſtor creatus fuit. C. Fannius Chaerea ſeruum ſuum Panurgum communem cum Roſcio ea lege fecit, vt is ab Roſcio arte hiſtrionica inſtitueretur, et quaeſtus inter eos communis eſſet. Panurgum artificio comico inſtitutum Q. Flauius quidam Tarquinienſis interfecit. Cauſae cognitor a Roſcio Fannius factus vt Flauium iudicio damni iniuria dati, Roſcii nomine perſequeretur, ac ſi res eſſet ſua. Interim ſine Fannio

b) Confer. Ipſe de officiis l. 2, c. 14. Bruto c. 9. Plvtarchvs in Ciceron.

Fannio. Roſcius cum Flauio H S. centum millibus decidit: Fannio autem pro opera et labore certam dedit pecuniae ſummam, ea lege, vt partem ſibi diſſolueret dimidiam, ſi quid pro ſua parte ſerui interemti a Flauio exegiſſet. Triennio poſt Fannius Roſcium in ius vocauit, nihil dicens a Flauio ſe accepiſſe, quod Roſcius de tota re cum eo pro ſocietate decidiſſet. Quinquaginta ergo H S. millia petiit a Roſcio, adeoque dimidiam pecuniae partem, quam a Flauio abſtulerit. Datur Iudex a Praetore C. Piſo. At Tullius cauſarum enumeratione debitum negat; neque ſocietatis nomine quidquam a Roſcio peti poſſe, multis rationibus probat. IV.-X. *Septem libri accuſationis in C. Verrem. c) Oratio prima* eſt aduerſus Q. Caecilium de accuſatore in Verrem conſtituendo diuinatio. *d)* Tenuit Verres ex Praetura Siciliam prouinciam per triennium, atque in ea fuerat libidinoſe, auare crudeliterque verſatus. Succeſſit tandem L. Metellus; Verres autem repetundarum a Siculis poſtulatus eſt: qui praeter Syracuſanos et Mamertinos omnes M. Tullium, illo tempore maxime florentem compulerunt ad iſtum accuſandum. Suſcepto patrocinio Q. Caecilius Niger, domo Siculus, homo libertinus, confeſſione Iudaeus *e)* contendebat, ſe potius accuſatorem conſtitui oportere, quod a Verre laeſus, iure illi inimicus eſſet, eiusque crimina ceu Quaeſtor optime ſciret, ac Siculus pro Siculis com-

 modius

c) Ita has orationes vocat ipſe CICERO in oratore c. 29. *d)* Quoniam in ea diſquiritur num recte Cicero ex defenſore accuſator factus ſit. vid. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 7. c. 5. A. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 4. *e*) Vnde CICERONIS in eum ſcomma: *Quid Iudaeo cum Verre?* conſtat enim Romanos porcum non caſtratum nominare *verrem.*

modius agere posset. Adeoque Tullius Verrinam orationem primam de accusatore constituendo dixit. Hac praesertim vtitur diuisione: spectandum, a quo maxime agi velint ii, quorum de vltione quaeritur, a quo minime velit is, qui accusatur. *Oratio secunda* ipsius actionis prooemium velut quoddam constituit. Nam victo Caecilio et accusatione ad Ciceronem delata, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies cx. et cum L. Tullio fratre patruele, totam prouinciam colligendis literis in Verrem, et denunciandis testimoniis peragrasset diebus quinquaginta; Romam reuersus id agi videbat, vt a M. Glabrione Praetore, et ab aliis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque praetorem res tota transiret, atque reus sibi eriperetur patrocinio Hortensii ac Metelli, qui consules tunc futuri erant. Adeoque longam praetermittebat orationem de Verris criminibus, ac testes solummodo citabat ad crimen vnumquodque expositum, quos interrogandos ipsi Hortensio dabat. *f*) Hoc suum consilium exponit ac iudices ad iustitiam adhortatur; minas contra in aduersarios dirigit, qui nihil non tentabant, vt iudicium corrumperent. Quod ipse testatur, *g*) hac oratione assecutus est, vt vna hora, qua dicere coepit, reo praecideret spem iudicii corrumpendi. Primo die magnum citauit testium numerum; altero Verris amicis non modo spem victoriae, sed etiam voluntatem defensionis abstulit. Hortensius vero, teste Asconio, Ciceronis arte fatigatus est ita, vt nihil inueniret, contra quod diceret. *h*) Verres itaque conuictus sponte sua in exilium abiit:

f) Vid. ASCONIVS ad h. o. et QVINTILIANVS instit. orat. l. 6. c. 6.
g) Verrina oratione 3. c. 7. *h*) Confer. CICERO in oratore cap. 37.

abiit: in quo illum consenuisse, donec ab Triumuiris post obitum Ciceronis proscriptus perierit, LACTANTIVS *i)* et SENECA *k)* testantur. Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit; sed, cum vellet omnem vim ac rationem accusandi in vno reo ostendere, ab se domi conscriptas edidit. *l)* Et est in *tertia oratione*, quae extremo ad nos mutila peruenit, actio prima de praetura vrbana: vt exponeret ea, quae Verres ante praeturam Siciliensem in quaestura, legatione et praetura vrbana commisit. In *quarta oratione* actio secunda de iurisdictione Siciliensi, et Verris in ea commissis criminibus. In *quinta oratione* actio tertia de re frumentaria ac Verris circa eam delictis. *m)* In *sexta oratione* actio quarta de signis et statuis antiquis aliisque monumentis e Sicilia a Verre ablatis. In *septima oratione* actio quinta et vltima de suppliciis. XI. *Pro M. Fonteio* oratio, quae mutila et trunca ad nos peruenit, dicta est aetatis anno XXXVIII. vrbis DCLXXXV. quo aedilitatem gessit. Fonteius ille per triennium Praetor tenuerat Galliam prouinciam. In vrbem redux a Gallis repetundarum factus est reus, quod eo praetore prouincia aere alieno fuerit oppressa; quaestum ipse fecerit e viarum munitione, et portorium vini recens instituerit. Adeoque aduersus M. Pletorium Accusatorem Cicero eius defensionem suscepit. XII. *Pro A. Caecina* oratio eodem anno dicta. M. Fulcinius Tarquiniensis moriens Cae-

i) Lib. 2. c 4. *k)* Suasor. lib. 1. confer. PLINIVS histor. natur. l. 34. c. 2. *l)* Hi sunt quinque contra Verrem *secundae actionis* libri, de quibus QVINTILIANVS instit. orat. l. 11. c. 2. et auctor dialogi de oratoribus cap. 20. et ipse TVLLIVS in oratore cap. 62. Verrinam sextam *quartam accusationis* appellat. *m)* Inde oratio frumentaria AVSONIO epist. 22. aliisque praesertim veteribus Grammaticis nominatur.

fenniae vxori legauit vſum fructum bonorum omnium, vt frueretur vna cum filio herede inſtituto. Cum et ille diem obierit ſupremum, ex publica bonorum auctione fundum emere conſtituit: negotiumque illud Sex. Aebutio dedit, cui fundus Caeſenniae pecunia emtus addicebatur. Caeſennia non multo poſt A. Caecinae nupſit ac vita decedens heredem fecit. Tum Aebutius fundum, quem emerat aere ac mandato Caeſenniae, ſuum eſſe dixit; occupat fundum, et Caecinam in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu prohibet. Caecina repulſus interdictum de armatis a Dolabella praetore impetrauit; vt vnde deiectus eſſet, eo reſtitueretur. Ideoque dantur Recuperatores a Praetore, qui, Tullio Caecinam defendente, cauſam cognouerunt. *n*) XIII. *Pro lege Manilia* oratio de Pompeio imperatore deligendo ad populum Romanum dicta cum Cicero eſſet Praetor anno aetatis XLI. vrbis DCLXXXVIII. Scilicet C. Manilius, vt magni Pompeii gratiam iniret, promulgauerat legem, vt Pompeio, qui tum in Cilicia belli maritimi perſequebatur reliquias, Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor, cum omni apparatu belli piratici, ac omnibus copiis, quae ſub Lucullo meruerant, bellumque Mithridaticum, quod Lucullus iam ſeptem annis geſſerat, committeretur. *o*) Eam legem Q. Catulus et Hortenſius diſſuaſerunt; Tullius vero elegantiſſima oratione commendauit. XIV. *Pro A. Cluentio Auito*, eodem anno dicta oratio apud Q. Voconium, cum veneficii a T. Atio accuſa-

n) Meminit huius actionis CICERO in oratore cap. 29. *o*) Vid. PLVTARCHVS in Pompeio. DIO l. 36. APPIANVS in Mithridatico.

accusatus esset. *p)* XV. *Pro C. Cornelio* maiestatis reo quaedam fragmenta vt supersunt cum scholiis Asconii Pediani habemus. XVI. In toga candida *contra C. Antonium et L. Catilinam* competitores consulatus etiam non nisi fragmenta cum Asconii Pediani scholiis ad nos peruenerunt. XVII. Sequuntur Consulares octo *q)* habitae ab Tullio cum gereret consulatum aetatis anno supra quadragesimum quarto, V.C. DCXCI. *De lege agraria* in senatu dixit Kal. Ian. contra P. Seruilium Rullum Tribunum plebis. Ille scilicet sub finem anni praeteriti magistratu inito promulgauerat legem agrariam, vt decemuiri summo cum imperio crearentur, qui totam Italiam, Syriam vniuersam eaque omnia, quae Pompeius virtute sua recens imperio Romano adiecerat, in sua potestate haberent; venderent quicquid populi Romani publicum esset; iudicarent de omnibus, de quibus ipsi vellent; exules eiicerent; colonias deducerent; pecuniam ex aerario caperent; milites conscriberent, cetera. *r)* Eam contra Cicero

p) Sidonivs l. 8. epist. 10. *M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, pro A. Cluentio ipse se vicit.* *q)* Duodecim quidem Cicero Consul orationes habuit, de quibus epist. 1. l. 2. ad Atticum scribit, se curasse, vt quemadmodum Demosthenis Philippicae, ita suae quoque essent orationes, quae *consulares* nominarentur, *quarum vna est in Senatu Kal. Ian. altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta cum prouinciam in concione deposui, septima qua Catilinam misi, octaua quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit, nona in concione quo die Allobroges innocarunt, decima in Senatu Non. Dec. Sunt praeterea duae breues quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo vt habeas.* Sed ex illis injuria temporum tertia, quinta, et sexta et altera ex breuioribus de lege agraria periere. *r)* Vide praeter ipsam orationem Plvtarchvm in Cicerone.

cero dissuadet, et orationis parte quidem ea, quae ad nos peruenit, contra venditionem rerump. emtionem agrorum et deductionem coloniarum disputat. Teste vero PLVTARCHO, id egit, vt legis auctores perterriti nihil contra dicerent. Consules tamen rursus in concionem vocabant. Tum Cicero senatum se iubens sequi progreditur et XVIII. *alteram orationem de lege agraria* ad populum dirigit, legem illam Seruiliam antiquandam esse suadet, quod per eam Rullus tyrannidem constituat largitionis simulatione; cum et decemuiris creandis populo libertatem eripiat, et in agrorum venditione atque emtione, coloniarum item deductione ipsis potestatem tyrannicam permittat. Ita non solum abrogauit legem, verum etiam tribunos coniecit in desperationem illorum, quae adhuc moliebantur. s) Hanc secutae sunt eiusdem generis duae perbreues orationes, quarum altera exstat XIX. *de lege agraria contra Rullum oratio tertia ad populum*, qua se defendit contra tribunorum accusationem, quod Sullanarum assignationum possessoribus faueret, et in gratiam illorum se legi agrariae opposuerit. Sed orationibus illis perfectum est vt legem agrariam, i.e. alimenta sua, abdicauerint tribus. t) XX. *Pro C. Rabirio perduellionis reo ad Quirites.* Ab V. C DCLIV. C. Mario VI. et L. Valerio Flacco Coss. L. Appuleius Saturninus tribunus et C. Seruilius Glaucia praetor quod nefaria in rep. molirentur, in tumultu fuerant interfecti. v) Tum Rabirius ex Senatoribus quidam per conuiuia Saturnini caput circumtulit. x) Tandem Cicerone Consule

s) Hanc orationem RVDOLPHVS AGRICOLA pertractauit, de inuentione l. 3. c. 4. t) PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 30. v) Vid. CICER. pro Rabir. c. 7. Catil. 1. c. 2. Philipp. 8. c. 5. Bruto c. 62. x) Auctor de viris illustribus.

Consule C. Iulius Caesar T. Labienum subornauit, qui C. Rabirium perduellionis accusaret. *y*) In hac causa C. et L. Caesares Duumuiri a praetore dati Rabirium condemnarunt, et conuocarunt comitia centuriata, in quibus de perduellione i. e. summo imminutae maiestatis crimine iudicari solebat. In illis Cicero Rabirium defendit, quod senatus paruisset imperio, neque fidem violasset publicam, quam Marius sine S.C. dare non potuisset. z)

XXI. *Oratio Catilinaria prima* VI. Idus Nouembris anno ab V. C. IϽCXCI. Ciceronis XLIV. Cicerone et Antonio Coss. habita est coram senatu in Iouis Statoris aede, ipso Catilina praesente, cuius subselliorum partem, ad quam iste accesserat, principes ordinis Senatorii nudam atque inanem relinquebant. Haec est consularis septima *a*) extemporalis primum, deinde scripto consignata, vt Catilinam nefaria quaequae molientem ceteraque coniurationis membra vrbe pelleret.

XXII. *Oratio Catilinaria secunda*, consularis octaua, postridie, quam Catilina profugit, ad populum habita est. qua reip. gratulatur de Catilina eiecto, simul atque etiam ad confirmandos bonorum animos ac infringendos coniuratos, partis vtriusque copias inter se comparat.

XXIII. *Oratione in Catilinam tertia*, quae consularis est nona, *b*) sub noctem progressus in concionem, populo, qui frequens aderat, quicquid de coniurationis principibus et illis in custodiam traditis in Senatu fuerat actum, exposuit.

XXIV. *Oratione Catilinaria IV.* et consulari decima in

y) SVETONIVS Caesar. c. 12. DIO. l. 37. *z*) Vide praeter ipsam orationem TVLLIVM in oratore c. 29. et in Pisonem c. 2. Ad Attic. l. 2. epist. 1. *b*) CICERO l. c.

in ſenatu nonis Decembr. habita, c) quum D. Iunius Silanus, conſul deſignatus, extremum in captiuos coniurationis reos decreuerit ſupplicium, Caeſar autem, deſignatus Praetor, exiſtimauerit, iſtos bonis publicatis per municipia in vinculis habendos eſſe, Tullius ſurgens in vtramque partem diſſeruit defenditque modo Silani, modo Caeſaris ſententiam: ita quidem vt in ſeueriorem Silani magis inclinaret. XXV. *Pro L. Murena*, Conſule deſignato, quem defendit, cum Catilina bellum adhuc gereret neque illius ſocii eſſent in vrbe deprehenſi. De ambitu Murenam accuſarunt Ser. Sulpicius, eius in conſulatu competitor, qui repulſam tulerat, M Porcius Cato et Cn. Poſtumius; defenderunt Q. Hortenſius, M. Craſſus et Cicero, qui cum Hortenſium, eloquentiae laude tum florentem, ſuperare conte nderet, nullam partem noctis conquieuit; adeo vt nimium curis vigiliisque afflictus, inferior quam ille in actione viſus fuerit. d) XXVI. *Pro L. Flacco*, qui ex praetura, quam Cicerone Conſule geſſerat, Aſiam prouinciam obtinuit, ac repetundarum a D. Laelio accuſatus eſt. Defendit eum etiam Q. Hortenſius. e) XXVII. *Pro Publio Cornelio Sulla* quem D. Iunio Silano et L. Licinio Murena Coſſ. ab V.C. DCXCII. Ciceronis XLV. anno L. Torquatus de duplici coniuratione poſtulauit. De altera f) Hortenſius, de altera Tullius eum dicta oratione defendit. XXVIII. *Pro A. Licinio Archia Poeta* dixit anno V. DCXCIII. aetatis XLVI. g) cum ipſi Gracchus quidam ciuitatis controuerſiam mouerit. Eum igitur

c) CICER. ad Attic. l. 2. epiſt. 1. d) PLVTARCHVS in Cicerone. e) CICERO ad Attic. l. 2. epiſt. vlt. f) Cuius mentionem facit SVETON. Caeſar. c. 9. et LIVIVS lib. 101. g) Eam orationem expoſuit DRESSERVS Rhetoricae l. 4.

igitur ciuem esse probat, ac tantis laudibus effert, vt ciuitate Romana dignus esse videatur. XXIX. In aliquibus est oratio sub nomine Ciceronis *ad populum et equites Rom. antequam iret in exilium*; sed insulsa, inepta et vix Latina cuilibet vel mediocriter docto apparet: vt eam non sine iniuria Tullio eloquentiae parenti adscriberemus. XXIX. *Post reditum oratio ad Quirites* dicta anno aetatis L. Vrbis DCXCVII. vt pro insigni fauore gratias ageret populo, cuius opera et amore ab exilio in patriam reuocatus erat. XXX. *Post reditum in Senatu* oratio nonis Sept. dicta cum superiori multis in locis conuenit. Quatuor eius partes fecit. Prima senatui gratias agit; secunda in eos inuehitur, quorum inuidia pulsus fuerat; tertia laudat amicorum beneficia; quarta summum studium et officia in remp. pollicetur. XXXI. *Pro domo sua* ad Pontifices aduersus Clodium dixit eodem anno pridie Kal. Octobr. primo de potestate rei frumentariae Pompeio danda; secundo de domo sua propter Clodii consecrationem non sacra, sed ab omni religione vacua et pura. XXXII. *De aruspicum responsis* aduersus Clodium dicta in senatu, anno aetatis LI. Vrbis DCXCVIII. Facta passim erant prodigia, vt fulmina, terrae motus, alia *b*) quae cum aruspices expiari vellent, responderunt, iratos esse Deos, quod loca sacra et religiosa haberentur profana. Eam occasionem Clodius Aedilis arripit, ac habita concione de sacris et religionibus conatur probare, inter ea loca Ciceronis domum esse. Itaque Senatus ex aruspicum responso decreuit, vt Consules de locis sacris et religiosis referrent. Tum Cicero in senatu oratione aruspicum responsa aduersus Clodi-

M 2

b) De quibus Dio. l. 39.

Clodium interpretatur. XXXIII. *Pro Cn. Plancio* causam dixit anno aetatis LIII. Vrbis DCC. cum aedilitatem peteret criminumque variorum a M. Iuuentio Laterense accusaretur, et C. Flauius ad litem dirimendam quaesitor esset. XXXIV. *Pro P. Sestio* vel *Sextio* i) dixerat biennio ante natus annos LI. ab V. C. DCXCVIII. cum lege Lutaria a M. Tullio Albinouano de vi postulatus esset, propter caedem factam superiori anno ad VIII. Kal. Febr. in foro, vbi de reditu Ciceronis agebatur. Sed oratores perfecerunt, vt Sextius ad diem II. Idus Martii absolutus esset. k) XXXV. *In Vatinium testem* eodem anno dixit. Sextium enim P. Vatinius maxime oppugnauerat, ac testimonium dixerat in illum. Quapropter Cicero testem Votinium perpetua interrogatione accusauit. l) XXXVI. *Pro Marco Caelio* dixit eodem anno coram Cn. Domitio. m) Iste Lutatia lege de vi accusatus propter seditiones Neapolitanas et Alexandrinorum pulsationem Puteolanam defendebatur a M. Crasso; de auro, quod a Clodia accepisse dicebatur, et veneno, quod eiusdem Clodiae necandae causa parauerit, a Cicerone defendebatur. Nam Alexandrinae legationis princeps Dio Academicus, cuius interficiendi causa Caelium a Clodia sumsisse aurum, aduersarii arguebant, superiori anno fuerat occisus. n) XXXVII. *Pro L. Cornelio Balbo* eiusdem anni oratio Balbi defensionem continet, qui, cum esset Gadibus in Hispania natus, post confectum bellum Sertorianum, propter bene merita, ciui.

i) Idem defensus est cum ab aliis, tum a Q. Hortensio. k) CICERO ad Q. Fratr. l. 2. epist. 4. l) Vid. QVINTILIANVS instit. orat. l. 5. c. 7. CICER. ad famil. l. 1. epist. 9. m) Vid. ipsa oratio. Eiusd. ad Q. Fratr. l. 2. epist. 12. n) Confer. DIO l. 39. & STRABO l. 17.

ciuitatem Romanam obtinuit a Cn. Pompeio. Huius vero et Caesaris inimici hoc tempore ciuitatis controuersiam mouent, ac Tullio simul atque Marco Crasso et Cn. Pompeio dicendi occasionem praebent. XXXVIII. *De prouinciis consularibus* orationem habuit eodem anno in senatu, cum prouinciae consulares consulibus futuris lege Sempronia essent decernendae: suasit autem rogatus sententiam, vt Syria et Macedonia futuris decernantur consulibus, sed Galliae Caesari non adimantur. XXXIX. *In Pisonem* dixit anno sequenti. L. Calpurnius Piso, Ciceronis sententia reuocatus e Macedonia in Senatu conquestus fuerat de iniuria Ciceronis: illi adeoque respondet, ac multa crimina vituperatione ob oculos ponit. *o*) XL. *Pro M. Scauro* orationis fragmenta tantum exstant nobis ab Asconio Pediano conseruata. XLI. *Pro T. Annio Milone* causam dixit annos natus LV. ab V. C. DCCII. P. Clodio summae inimicitiae intercesserant cum Milone. Hic cum ad diem XIII. Kal. Febr. Clodio fieret obuiam, forte suboritur rixa et pugna, qua Clodius interfectus est. Milonem III. Idus Apr. Appius Maior, M. Antonius et P. Valerius Nepos, de vi, de ambitu, et de sodalitiis accusarunt: quibus respondit vnus Cicero. Sed cum dicere inciperet, ita exceptus est Clodianorum acclamatione, vt non ea, qua solitus fuerat, constantia perorarent *p*) Igitur Milo condemnatus intra paucissimos dies Massiliam proficiscitur in exilium. Post haec Cicero, quam dixerat, orationem diligentius scripsit ac elegantius: ita vt

o) Confer. QVINTIL instit. orat. l. 3. c. 9. *p*) Vid. ASCONIVS ad hanc orat. et QVINTIL. l. 4. c. 3. confer. ipse TVLLIVS de optimo genere oratorum cap. 4.

Milo negaret, se tantos mullos in exilio pranſurum fuiſſe Maſſiliae, ſi eam ita dixiſſet in iudicio Tullius, qualem deinde edidit et ad Milonem miſit. *q*) Hanc orationem Aſconius Pedianus ita perfecte ſcriptam dicit, vt iure prima haberi poſſit. XLII. *Pro C. Rabirio Poſtumo r*) habuit orationem anno DCC. cum eſſet lege Iulia de repetundis a C. Memmio accuſatus. XLIII. *Pro M. Marcello* anno DCCVIII. *s*) M Claudius Marcellus, qui ante annos quinque Caeſarem palam in conſulatu oppugnauerat, bello ciuili partes Pompeii ſecutus, eo victo Caeſarem metuens Mytilenas conceſſit et bonis artibus dedit operam: *t*) Suadente Tullio, vt Caeſari ſe ſubmitteret. *v*) In Senatu L. Piſo mentionem facit de Marcello et C. Marcellus ad Caeſaris pedes ſe abiicit. Tum Senatus totus ſurrexit ac ſupplex ad Caeſarem acceſſit; Caeſar autem acerbitate Marcelli accuſata, praeter exſpectationem repente dixit, ſe roganti ſenatui de Marcello ne quidem ominis cauſa negaturum. Itaque omnes ante Ciceronem Caeſari gratias egerunt; tandemque iſte, qui in perpetuum tacere ſtatuerat, ſententiam rogatus Caeſari pluribus verbis adulari cauſamque Marcelli commendare ſtuduit. *x*) XLIV. *Pro Q. Ligario ad C. Caeſarem* eodem anno dixit orationem, in qua omnem vim eloquentiae, omne rhetoricum artificium, omne affectuum genus exhibere voluiſſe videtur. Q. Ligarius poſt victos in Africa Pompeianos vita a Caeſare impetrata in exilio extra Italiam degebat.

q) Vide DIO l. 40. *r*) Hic poſt mortem patris ſui C. Curtii natus, a C. Rabirio auunculo adoptatus id nomen accepit. *s*) RVDOLPHVS AGRICOLA hanc orationem explicat de inuent. l. 3. c. 3. *t*) SENECA Conſol. ad Albinam c. 8. *v*) Ad famil. l. 8. epiſt. 7. et 8. *x*) Ad famil. l. 4. epiſt. 4. 9. 10. et 11.

gebat. Tandem venit mane ad Caeſarem: et cum fratres eius atque propinqui ad pedes ipſius iacerent, Cicero ea locutus eſt, quae cauſa et tempus volebat. *y*) Poſtea reus a Q. Aelio Tuberone factus rurſum defenſorem Tullium habuit. Caeſar tum dixiſſe fertur, *z*) *quid eſt cauſae, cur Ciceronem orantem aliquandiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum et hoſtem eſſe, iampridem certum eſt.* Hic vero dicere ingreſſus mirificos excitauit motus, et oratio progreſſa, venuſtate admirabilis et affectibus varia, diuerſis coloribus induit vultum Caeſaris, eiusque animum omnibus modis commutauit. Tandem Pharſalici proelii facta mentione, incitatus immodicis perturbationibus corpore contremuit, et quos manibus tenebat, libellos abiecit. Ita Caeſar victus orationis vi et facundia Ligarium crimine liberauit. XLV. *Pro Rege Deiotaro* Tetrarcha Galatarum ad C. Caeſarem oratio dicta DCCIX. Fuerat Deiotarus Tetrarcha pene Gallograeciae totius, atque Rex Armeniae minoris ab ſenatu conſtitutus. Sed Pharnace deuicto Caeſar eum aliqua tetrarchiae multauerat parte, ſuamque ipſi Armeniam abſtulerat: *a*) attamen literis Tarracone datis eum bene ſperare, ac bono animo eſſe iuſſerat. Poſtea Caſtor, Deiotari ex filia nepos, Philippum medicum ſubſtituit ad Deiotarum dominum ſuum accuſandum, ac ſi domi ſuae Caeſarem interficere voluiſſet. Eum Cicero, hoſpes qui fuerat olim, defendit, cauſamque licet tenuem ac inopem, tamen perſcriptam ad Dolabellam miſit. *b*) XLVI.. LIX. Sunt qua-

y) CICERO ad famil. l. 6. epiſt. 15. *z*) Teſte PLVTARCHO Cicerone. *a*) Vid. CICER. Philipp. 2. c. 37. HIRTIVS de bello Alexandrino cap. 78. *b*) Ad famil. l. 9. epiſt. 12.

quatuordecim *orationes in M. Antonium*, quas Demosthenis exemplo ipse Tullius *Philippicas* appellauit. Caesare interfecto et M. Antonio, qui consulatum gerebat, summam rerum obtinente, crudeliter et auare *primam* orationem philippicam habuit in senatu, qua primum suae profectionis ac reuersionis caussas exponit; deinde multis modis de Antonii iniuria, actisque Caesaris disquirit; extremo Antonium et Dolabellam Coss. ad remp. moderate regendam cohortatur: Antonius contra in Ciceronem absentem, quod variorum criminum esset reus, orationem habuit. Cui respondet scripta *c)* Philippica *secunda*, qua scelera obiecta sibi auertit atque totam Antonii vitam describit. Haec omnium optima fuit et maxima, *d)* nobilis et diuina. *e)* *Tertia* rogatus de praesidio decernendo sententiam exponit, vt Caesaris Octauiani, acta confirmentur auctoritate publica; milites, qui ab Antonio transierint ad Caesarem, praemiis afficiantur; D. Brutus ceterique prouincias suas retineant; neque tradantur cuiquam, nisi qui ex S. C. successint. Facto in sententiam suam Senatus consulto, *Quarta*, populo exponit, quae in senatu actu essent. *Quinta*, quod Piso et alii mitiorem de Antonio sententiam dixissent, legatosque voluissent ad eum mitti, legationem dissuadet, quod iste libertatis et patriae hostis potius bello persequendus, et honoribus afficiendi sint, qui aduersus eum rem defendant. *Sexta*,

c) Falluntur, qui hanc in senatu Antonio praesente habitam fuisse autumant: habita enim prima, reliquas maximus orator scriptas euulgauit ita, ac in praesentem Antonium dictae fuissent. *d)* Teste PLINIO l. 1. epist. 20. *e)* IVVENALIS Sat. 10. v. 126.

- - *Conspicuae diuina Philippica famae*
Volueris a prima quae proxima - -

Sexta expoſuit Senatusconſultum , quod pridie Nonas Ianuarii factum eſt , vt Seru. Sulpitius, L. Piſo et L. Philippus *f*) ad Antonium cum mandatis proficiſcerentur. Cum legati ad Antonium miſſi expectarentur , et amici eius reſponſa confingerent; Cicero metuit, ne pacem Senatores amplecterentur, et *Septima* eam diſſuadet, quod turpis et periculoſa, neque eſſe poſſit. Cum in legatione Seru. Sulpicius diem obierit ſupremum; Piſo autem et Philippus ab Antonio poſtulata intolerabilia retulerint ad ſenatum *g*) tumultus decernebatur, quod belli nomen in ſententia poni quibusdam non placeret. Id Cicero reprehendit *Octaua* et grauiter inuehit in Q. Fuſium Calenum, qui Antonio fauebat. *Nona* ſuadet vt Sulpicio defuncto ſtatua pedeſtris aenea in roſtris poneretur. *h*) *Decima* Brutum defendit aduerſus Fuſium Antonii amicum. *Vndecima* C. Trebonii caſum deplorat; Dolabellae ac Antonii crudelitatem accuſat, denique ſuadet vt C. Caſſius Dolabellam bello perſequatur. *Duodecima*, cum ſenatus decreuerit M. Ciceronem et P. Seruilium pacis conſtituendae gratia ad Antonium mittere, eam legationem diſſuadet, ac ſe demonſtrat idoneum non eſſe ad illam obeundam. Panſa deinde in bellum profecto, M. Aemilius Lepidus e Gallia Senatui Romano perſuaſit, vt pacem cum Antonio faceret. Tum Cicero *decima tertia* illam diſſuaſit, aduerſariorum confutauit rationes, et animum Antonii ex literis ad Hirtium et Octauianum miſſis declaravit.

f) Confer. Cicer. ad famil. l. 11. epiſt. 8. l. 12. epiſt. 4. et 24. *g*) Dio lib. 46. Cicer. ad famil. l. 12. epiſt. 4. *h*) Eam ſuo tempore excitiſſe pro roſtris Auguſti Pomponivs teſtatur de originae iuris.

clarauit. *i)* *Decima quarta* ſupplicationem quinquaginta dierum Panſae, Hirtii et Caeſaris nomine, ob Antonium hoſtem ſuperatum decernit, et laudat eos, qui in proelio ceciderant. *k)* Orationum Ciceronis antiquiſſima editio prodiit anno poſt Chriſtum natum 1472. fol. ſine loci notatione, adſcripto in calce diſticho:

Hoc ingens Ciceronis opus, cauſasque forenſes,
Quas inter Patres dixit et in populo,
Tu quicunque leges: Ambergau natus ahenis
Impreſſit formis ecce magiſter Adam.

Eam exceperunt Venetа 1477. fol. cum commentario Aſconii Pediani et Antonii Luſci Vincentini; et Mediolanenſis 1498. fol. et innumerae aliae. Orationes, quae maximam famam ei dederunt, ſunt pro Milone, in Catilinam, in Verrem, in Antonium, quas Philippicas inſcripſit *l)* Ac vulgo celebratum: ***maximam quamque eius orationem, optimam eſſe*** *m)*

§. XXI.

Tomo tertio eſt elegantiſſimum, maximam partem Ciceronis, epiſtolarum ſyſtema. Haud infima perfectionis, quam in lingua ſua Romani hoc aeuo ſenſerunt, frequens literarum commercium fuit. Ita non ſolum principes viri in ea Rep. ſed inferioris etiam conditionis homines ſua inter ſe conferebant negotia, res geſtas gerendasque nunciabant

i) Confer. ad famil. l. 10. epiſt. 27. *k)* Exſtant quoque Ciceronis et Saluſtii orationes mutuae, quae nomen oratoris noſtri perperam mentiuntur; putidae enim ſunt et barbarae, ab ſciolo quodam compoſitae: quod primum Petrus Victorius et Seb. Corradus animaduerterunt. *l)* Auctor dialogi de cauſſis corruptae eloq. cap. 37. *m)* PLINIVS l. 1. epiſt. 20.

bant inuicem non ſine magno ſuae gentis ſplendore; publica, priuata, domeſtica, ſingularia, quicquid ſcire aliorum intereſſe videbatur, patrio ſermone commode, eleganter et perquam aſſidue ſcribebant: vt magnum atque excellens commodum, imo vero communis vitae et vſus neceſſitatem in literis conſignandis poſuerint. Omni quidem tempore mortales ſtuduere ad abſentes ſcribere animi ſenſa; et gentes vernacula quaeque ſua vt rerum ita etiam literarum ex immemorabili antiquitate commercia habuerunt. Et quis inficias ire facile poterit, ipſos etiam Romanos ab initio imperii ſolitos fuiſſe ſcribere epiſtolas, quibus magnam vitae humanae partem regi, aeque omnibus patet? Sed in ea, qua verſamur nunc, adulta Latinae linguae aetate, literas frequentius tantaque cura et ſolicitudine dediſſe, vt in illis propemodum eloquentiae et ſapientiae exercitium habuerint, exemplo nobis eſſe poteſt elaboratiſſimum aeque ac prolixum epiſtolarum opus, quod in ſcriptis Ciceronianis comparet, diuino quodam beneficio ex hac aetate nobis conceſſum, quo clarius nullum, aut antiquius, aut elegantius magisue cultum poſſidemus. Epiſtolas non paucas orator ille maximus nobis reliquit, libris XVI. ad familiares, *n)* libro vnico ad Brutum, libris III. ad Q. Fratrem, libris XVI. ad Atticum. *o)* Plures ſine dubio ſcripſit,

quae

n) Vulgo *ad familiares* inſcribuntur, ſed P. Victorio et viris doctiſſimis aliis conſentientibus, citra veterum codicum et ſcriptorum auctoritatem. Liber octauus non Ciceronis, ſed M. Coelii Rufi epiſtolas complectitur, cum Ciceronianis quidem ratione ſtili non comparandas, ſed tamen quae in eo laudandae ſunt, quod praeſertim ad hiſtoriam faciant, vt inprimis eſt epiſtola decima ſexta. *o)* Inde SENECA epiſt. 21 *Nomen Attici perire Ciceronis epiſtolae non ſinunt. Nihil illi profuiſſe gener*

quae iniuria temporum periere. Priores ſedecim libri nomine generaliori *familiares* vocantur, quod ad diuerſos fuerint ſcripti, quos eo nomine comprehendit omnes: non quod ſolae ob ſtilum in iis familiarem ab ceteris diſtinguantur. Ita forent etiam reliquae ad Brutum, Q. Fratrem et Atticum familiares dicendae: ſed voluit iſtos ſigillatim nominare, ad quos libri proſtant integri: non quod diuerſo ſtilo fuerint ſcripti, aut eos ex familiarium numero excludere voluerit. Supervacaneum itaque eſt, quod viri docti cenſent, rectius epiſtolas ad Atticum fuiſſe familiares dicendas: cum earum plerasque Cicero videatur eo ſermonis genere ſcripſiſſe, quo ipſe domi vtebatur, vel certe non admodum diuerſo. *p)* Fuerat autem linguae tum maxima dignitas. Ecquis dubitat, quod ſimul omnes epiſtolae Ciceronis ſint elegantiſſimae, ac puriſſimae, rerum ac verborum delectu praeſtantes, vel ad amuſſim genuinae Latinitatis factae, *q)* inter epiſtolas omnino omnes principem teneant locum, ad quas reliquae maiori cura examinandae veniant. Artificioſiſſime cauſis aptauit argumenta, argumentis elocutionem, elocutioni numeros; ac omnia decenti copia exponere nouit ita, vt ſimilem ipſi reperias neminem. Vnde Latinae linguae integritatem, rectam ſcribendi formam atque in rebus gerendis prudentiam vix melius aut facilius quam ex

gener Agrippa et Tiberius progener, et Druſus Caeſar pronepos. Inter tam magna nomina taceretur, niſi Cicero illum applicuiſſet. p) Eo reſpicit ipſe TVLLIVS ad famil. lib. 9. epiſt. 21. *vbi plebeio ſe* dicit *ſermone ſcribere, ac epiſtolas quotidianis verbis texere.* q) Ita HENR. STEPHANI in comment. de varia ſcriptione epiſtolarum Ciceronis: *Qui in epiſtolis Ciceronis, vel ad familiares, vel ad Atticum, artificia oratoria verborum delectu non deprehendit, infans eſt, et Latinitatis ignariſſimus.*

ex literis istis sibi quisquam acquirere poterit. Sed tamen obseruari meretur, pro re nata et studio Ciceronem in scriptis suis sibi aliquando dissimilem ac ipso stilo varium deprehendi, vt non omnia perinde, quae literis consignauit, eiusdem auctoris esse videantur. *r)* Non attendo in formis et characteribus diuersis stili diuersitatem, quam summus orator pro sapientia et eruditione sua plurimum rebus accommodauit: facili et aperto sermone in philosophicis et rhetoricis operibus, grandi, exornato magis et circumducto in orationibus, familiari et quotidiano in epistolis vti solitus. *s)* Sed in epistolis ipsis non eadem semper Minerua, verum nude interdum, interdum ornatius et maiori cura pro rerum aut personarum ratione scripsit. Ita ex. gr. epistolam dedit ad Octauianum Caesarem Augustum, *t)* quae tanta grauitate pollet, vt parum absit, quin ad orationum procellas euehatur. *v)* Quid vnquam exquisitius, quid quod maiori cura aut arte reliquit elaboratum, quam prolixam illam ad Lentulum epistolam? *x)* Rursus illam, qua Curioni Milonem commendat, *y)* et plerasque ad M. Varronem, *z)* praesertim suasoriam ad Luceium, *a)* vt Ciceronis res gestas literis mandet, quam ipse velut accurate feliciterque scriptam Attico suo legendam commendat. At quanta differentia has inter et eas, quas ad Terentiam, Ciceronem tyronem, Acilium, ceteros familiares scripsit. *b)* Fuerat prae-

r) Vid. POLITIANVS epist. 1. lib. 5. *s)* Vid. CICER. ad famil. lib. 9. epist. 21. *t)* Quae est vltima libri 3. ad Q. Fratrem. *v)* Confer. ERASMVS de conscrib. epist. cap. 3. *x)* Famil. lib. 1. epist. 9. *y)* Famil. l. 2. epist. 5. *z)* Ad famil. lib. 9. *a)* Ad famil. lib. 5. epist. 12. *b)* Lib. 14. et alibi passim. Confer. ERASMVS de conscrib. epist. cap. 2.

terea Ciceroni in prima aetate musa et vena longe alia, quam in aetate virili et senectute. Iuuenis cum esset postea et famae studiosus, erat suauis, facetus, lenis, et ingens gloriae sectator: quem senectus amariorem, seuerum atque taediosum fecit. c) Hinc multa iuuenis scripsit, quae senex improbauit. d) His non obstantibus, epistolae sunt elegantissimae et iucundissimae et vtiles tam verbis, quam rebus et ipsa in illis pertractata materia. e) Vt iam, quod in lectione tironibus praecipuum esse potest, sua copia varias et optimas vel consolandi, vel gratulandi, vel petendi, vel excusandi, vel obiurgandi, vel in quocunque tandem verseris negotio, formulas silentio transeam: amicos nunc inter se iocantes, mox serio agentes, iterum colloquentes de publicis ac domesticis rebus nunc inuicem sibi committentes atque in aurem dicentes arcana licebit audire: tum secreta consilia et sententias ciuili prudentia plenas comprehendes. Nec id solum; verum etiam luculenter circumstantiis suis exhibent historiam eius temporis, non solum quae ad ipsam Romanam Remp sed etiam quae ad cetera orbis terrarum regna, ex pristino suo statu in alium longe diuersum transmutata attinet; simulatque intestina et ciuilia bella variasque conuulsiones commonstrant. Id quod sigillatim

c) Quod ipse in epist. 18. l. 14. ad Atticum, cuius initium: *Quum paulo ante dedissem* etc. aperte fatetur. *d)* Vid. PETRVS VICTORIVS comment. in Aristotelis artem dicendi lib. 1. pag. 86. SEBAST. CORRADVS in quaestura et MORHOFIVS de ratione conscrib. epistolarum lib. 1. cap. 1. *e)* Adeo etiam Hermannus Buschius e Ciceronis epistolis se facundiam extemporalem obtinuisse fatetur. Teste FREINSHEMIO orat. 4. et MORHOFIO polyhist. lit. lib. 1. c. 23. n. 19.

tim CORNELIVS NEPOS *f)* de sedecim voluminibus epistolarum a consulatu Ciceronis ad extrema vsque eius tempora scriptarum ad Atticum memoriae prodidit: *Si quis*, inquit, *ea legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reip. perscripta sunt, vt nihil in iis non appareat: et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse diuinationem. Non enim Cicero ea solum, quae viuo se acciderunt, futura praedixit: sed etiam quae nunc vsu veniunt, cecinit vt vates.* Ecquis omnem omnis eloquentiae ac scientiarum certissimi fontis vsum et foecunditatem satis eloqui ac praedicare potest? Multus in hoc negotio est IACOBVS PONTANVS, qui singularem de praestantia epistolarum Ciceronis dissertationem conscripsit, ac eius eloquentiam

f) In Attici vita cap. 16. Confer. MVRETI orat. 16. vol. 2. Cl. Dom. HARSCHERVS, elegantissima diatribe de diuinatione Ciceronis ab exordio. MORHOFIVS de ratione conscrib. epistolarum l. 1. c. 1. *In bellis vero* inquit, *ciuilibus, est ne super hoc argumento amplius vllibi disquisitum quam in epistolis Ciceronis, praesertim ad Atticum? qui ipse exemplum hominis feliciter medii quietique incomparabile haberi debet. Inter ciuiles autem epistolas a Cicerone scriptas et splendore argumenti et dignitate sermonis prorsus egregia est atque illustris ea, quae ad Q. Fratrem, Asiae Propraetorem, de prouincia recte administranda, exstat. -- Vbi et praecepta regundae prouinciae, et regulae bene agendi, et complexio verborum elegans atque grauis continentur, et merito aestimantur. Vt verbo dicam: ex intimo reip. et prudentiae Romanae sinu in Ciceronis epistolis multa euoluuntur, quae praeter illum scire aut iudicare pauci potuere. Vnde, quae ad hominum voluntates, consiliorum proposita, occultas reip. labes, conuersionis publicae momenta pertinent, nemo solertius, nemo disertius in literas retulit.*

tiam contra nouatores, quos vocat Erafmum, *g*) Politianum et Belgam quendam anonymum defendit, et quod vnus in multiplici et vario epiftolarum genere triumphet, pluribus afferit atque demonftrat. De vario epiftolarum Ciceronianarum genere etiam HENRICVS STEPHANI commentarium edidit, MORHOFIO iudicante, *h*) laboriofum, nec indoctum. Prae ceteris vero iunioribus commendari merentur epiftolae ad familiares, in quibus felectiffima funt argumenta, felectis etiam verbis artificiofius faepe cum viris in rep. maximis pertractata: cum illae ad Atticum fcriptae magis politico ftatui caufisque difficilioribus fint accommodatae, in quibus abrupta multa et hiantia, multa ὥς ἐν αἰνίγματι *i*) dicta eft ftudio multa latenter prolata lectorem incertum relinquunt; nec adeo numeri ac periodorum accurata menfura, quam in iftis ad varios miffis vbique confpicere licet. *k*) De vfu et qua ratione difcendi cupida iuuentus illas imitari poffit, praeter artis rhetoricae fcriptores; *l*) POLITIANVS *m*) et MANVTIVS *n*) legi merentur. De ordine atque locis epiftolarum vel emendandis vel reftituendis, idem POLITIANVS *o*) videatur. HIERONYMVS RAGAZONIVS in

g) Erafmus, aduerfus quem differit Pontanus, quaedam adhuc iuuenis fcripfit, non tam contra Ciceronem, quam contra malos Ciceronis imitatores in dialogo, quem *Ciceronianum* infcripfit. In eo difputationis feruore abreptus quaedam in Ciceronem licentius dixerat, quorum poftea ipfum poenituit adeo, vt temeritatem fuam alibi non femel accufaret. *h*) Polyhift. lit. l. 1. c. 23. n. 13. *i*) Ipfe TVLLIVS ad Attic. l. 7. epift. 13. *Aenigma Oppiorum de Velia non intellexi: eft enim numero Platonis obfcurius.* *k*) Confer. LVDOV. VIVES de confcrib. epift. cap. vltimo. MORHOFIVS polyh. lit. l. 1. c. 23. pag. 274. *l*) Quos inter eminet IOH. STVRMIVS de imitatione oratoria. *m*) Lib. 8. epift. 16. et 17. *n*) Lib. 1. epift. 4. *o*) Vt paffim in operibus fuis, ita maxime mifcell. cap. 25.

in epiſtolas Ciceronis familiares commentarium dedit, in quo breuiſſime, quo quaeque earum ordine ſcripta ſit, ex ipſa potiſſimum hiſtoria demonſtratur. *p*) Et nuper Doct. IOH. MICH. HEVSINGERVS cum Fabricii hiſtoria Ciceronis ſimul edidit opuſculum CELLARII poſtumum, quo continetur hiſtoria explicandis epiſtolis Ciceronis accommodata. *q*) FRANC. PETRARCHA reperit Vercellis epiſtolarum Ciceronis ad diuerſos libros XVI primum editos Romae 1467. fol rurſum 1473 1475. et 1477. Hinc editiones vix numerari poſſunt, quae paſſim locorum cum animaduerſionibus notisque variorum, vel ſine notis prodierunt. In illis caſtigandis, perpoliendis illuſtrandisque deſudarunt, et magnam ſibi nominis gloriam acquiſiuere Petrus Victorius, Paulus Manutius, Antonius Iouianus, Sebaſtianus Corradus, Leonardus Malaſpina, Hadrianus Turnebus, vt multos alios ſilentio tranſeam, quos ex hiſtoria literaria nemo ignorare poteſt. Cum variorum atque ſuis notis tandem prodiit conſummata Ioh. Georgii Graeuii editio Amſtelodami 1677. rurſum 1693. 8. duobus voluminibus. Epiſtolas ad Atticum reperit idem Petrarcha; quibus inuentis, exclamauit: *ſe tandem Ciceronem agnoſcere praecipitem ac calamitoſum ſenem.* Opus hoc poſt editiones plurimas etiam Graeuius dedit Amſtelodami 1684. 8. duobus voluminibus. Sed epiſtolarum ad Q. Fratrem libros tres et alium ad M. Brutum epiſtolarum librum ſaepiſſime cum iſtis ad Atticum epiſtolis editos, metuens nimiam voluminis molem, cum tanti viri cura et lucubrationibus fuiſſent digni, omiſit. §. XXII.

p) Comparet ille in epiſtolarum Ciceron. familiarium editione Pariſienſi 1557. fol. Ordine chronologico etiam digeſtae nouisque argumentis illuſtratae ſunt ab ADAMO THEODORO SIBERO 1611. 8. Saepius deinde Brunſuigae et Goslariae. *q*) Budingae 1727. 8.

§. XXII.

Tomo quarto continentur opera philosophica, quibus eximiam prae se fert animi constantiam, eamque ex vsu rationis prudentiam, quam nemo satis admirari potest. Inter Latinos nemo ante Ciceronem de philosophia scribere aliquid ausus est: ille vero suis politis et varia eruditione refertis commentationibus ea videtur esse complexus, quae ad implendas oratoris cellulas vel vtilia vel necessaria requiruntur. Ipse enim philosophiam in Hortensio commendat: ecquis eam non in omnibus siue oratoribus, siue bonarum artium studiosis desiderat. Sunt autem Ciceronis nostri in hoc genere scripta: I. *Academicarum quaestionum libri duo,* quorum primus e quatuor secundo editis, nec is totus, superest; alter editionis primae liber secundus a quibusdam Lucullus inscribitur. Cum enim philosophiae non vnum genus esse videret: quodnam minime arrogans, maximeque constans et elegans, quatuor academicis libris ostendit. *r*) Scripserat primum libros duos, et vnum Catulum, alterum Lucullum appellauerat: deinde quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, eosdem illos sermones ad Catonem atque Brutum transtulit: sed monitus ab Attico totam illam academicam σύνταξιν ab nobilissimis hominibus ad M. Varronem conuertit, et quatuor ex duobus libris fecit. *s*) Ciceronis argumenta S. Avgvstinvs tribus libris contra Academicos scriptis confutauit. Etiam Ioh. Castellani disputatio aduersus academicas Ciceronis quaestiones prostat. *t*) II. *De finibus bonorum*

r) Confer. eiusdem de Diuinatione l. 2. cap. 1. *s*) Vid. Cicer. ad famil. l. 9. epist. 8. ad Attic. l. 13. epist. 12. 13. et 15. Tuscul. quaest. l. 2. c. 2. Plinivs hist. natur. l. 31. c. 2. Plvtarchvs in Lucullo. *t*) Bonon. 1558. 8.

rum et malorum ad Brutum libri quinque: quibus, quod fundamentum philoſophiae poſitum eſſet in finibus bonorum et malorum, diuerſas autem diuerſorum de ſummo hominis bono et felicitate ſententias eſſe videret; quid a quoque, et contra quem dicatur in hac quaeſtione planum facit. *v)* Ita vero confecit quinque libros περὶ τελῶν, vt Epicurea L. Torquato, Stoica M Catoni, περιπατητικὰ M. Piſoni daret. *x)* Epicuri ſententia libro primo exponitur, ſecundo refutatur; Stoicorum dogma explicatur tertio, refellitur quarto; Doctrina peripatetica denique vltimo expenditur. Prodierunt primum Romae 1471. fol. III. *Tuſculanarum quaeſtionum ad M. Brutum libri quinque*, quorum primo de contemnenda morte, ſecundo tolerando dolore, tertio de leniendа aegritudine, quarto de reliquis affectibus, quinto αὐταρκείᾳ agit et eum locum complectitur, qui totam philoſophiam maxime illuſtrat, docet enim ad beate viuendum, virtutem ſemetipſa contentam eſſe: cum mortis metus, dolor corporis, aegritudo et aliae animi perturbationes demonſtratam in illis de finibus hominis beatitudinem obſcurent ac euertant. *y)* Hi libri primum Romae 1468. fol. et Venetiis 1499. fol. cum Philippi Beroaldi et Omniboni Vicentini comment. prodierunt. IV. *De natura Deorum ad M. Brutum libri tres*, *z)* quibus gentium ſuperſtitionem refellit, ita vt, teſte ARNOBIO, *a)* fuerint, qui iudicarent oportere ſtatui per Senatum vt aboleantur haec ſcripta, quibus religio

v) Confer. CICER. de Diuinatione l. 2. c. 1. *x)* Ad Attic. l. 13. epiſt. 18. *y)* Contenta quaeſtionum illarum commemorat ipſe TVLLIVS de Diuinat. lib. 2. cap. 1. *z)* Illorum etiam meminit TVLLIVS l. c. *a)* Lib. 3.

gio Christiana comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas. V. *De Diuinatione libri duo*, quorum priori Quintus Ciceronis frater inducitur, pro diuinatione, quam Graeci μαντικὴν appellant, i. e. praesensione, et rerum futurarum scientia disputans: posteriori Cicero diuinationis omne genus euertit atque tollit, etiam contra somnia et enthusiasmum disputat. Editiones antiquissimae sunt Veneta Beroaldi 1487. et Mediolanensis 1498. fol. Conscriptos esse post Caesaris necem, ipsius verba docent: *b*) *Quid vero Caesarem putamus, si diuinasset fore, vt in eo Senatu quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis ciuibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, vt ad eius corpus non modo amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse?* Sed NICOL. HARSHERVS Vir Clarissimus, cum in Marburgensi academia Praeceptor meus literas elegantiores doceret, historicam dissertationem edidit de diuinatione Ciceronis, qua ciuile bellum inter Caesarem et Pompeium gestum longe ante praedixerat. VI. *De fato liber vnus* et mancus ad nos peruenit: *c*) qui pertinet ad illam philosophiae partem, quae hominum mores atque studia conformat. Erant duae philosophorum scholae, de quibus magnis contentionibus altercabantur, vna περὶ εἱμαρμένης, i. e. de fato, quae ad mores pertinebat altera περὶ δυνατῶν, i. e. de eo, quod fieri potest, aut non potest, quae ad dialecticam spectabat. Vtraque Cicero-

b) De diuinat. lib. 2. cap. 9. *c*) Meminit illius CICERO de diuinat. l. 2. c. 1.

ceronem ad ſcribendum impulit. *d)* VII. *De ſomnio Scipionis* excerptum ex vltimo ſiue ſexto Ciceronis libro de Rep. ſeu de optimo Reip. ſtatu, quod nobis conſeruauit Macrobius, ac libris duobus copioſe illuſtrauit. VIII. *De legibus libri tres.* Nam editis de Rep. libris, exemplo Platonis ſcribere de legibus inſtituit, ſuaeque Reip quam ex populi poteſtate, et optimatum auctoritate temperauerat, iura dare conſentanea. Diſputationis principium non ex ratione populari, ſed ex philoſophia Stoicorum repetit: quorum inſtituto emendationem vitiorum, commendationemque virtutum lege contineri tradit: totamque legis vim et poteſtatem primi libri explicatione complectitur. Secundus liber conſtitutionem relig onis et ſacerdotum, tertius magiſtratuum deſcriptionem continet. Sequentibus libris, qui temporum iniuria interciderunt, de iure populi Romani diſputauit. Quod coniicere licet ex fine libri tertii, et Macrobio, qui libri de legibus quinti mentionem fecit. *e)* IX. *Libri tres de officiis* ad Marcum filium viginti annos natum *f)* et in diſciplina Cratippi Athenis verſantem, maximam partem ex Panaetio et Hecatone Graecis philoſophis Stoicis expreſſi pulcherrimum praeceptorum iuris naturalis et moralis diſciplinae corpus repraeſentant. *g)* Primum pro-

 dierunt

d) Vid. TVRNEBVS comment. ad Cicron. de fato ab exord. *e)* Confer. pl. TVRNEBVS comm. ad libros Ciceronis de legibus. *f)* De officiis l. 2. extremo. Ad Attic. l. 16. epiſt. 11. *g)* Exquiſitiſſimos de officiis Ciceronis libros CAELIVS CALCAGNINVS veritus non eſt variis calumniis aggredi, ſuisque aduerſus illos diſquiſitiones edidit 1543. Ciceronem contra M. ANTON. MAIORAGIVS et IACOBVS GRIFOLVS defenderunt. Vide GRAEVII officiorum editionem.

dierunt sub initia inuentae typographiae Moguntiae 1466. *b)* Deinde Mediolani 1474. Neapoli 1483. Venetiis 1484. et 1506. fol. Post multas editiones obtinent Graeuii cum variorum notis Amstelodami 1688. 8. eiusdem cum suis notis ibid. 1691. et 1699. 8. et Thomae Coekmanni Oxon. 1695 8. X. *Cato maior, vel de senectute ad T. Pompon. Atticum* liber vnus, quo illum et semet ipsum iam vrgentis, aut certe aduentantis senectutis onere leuari voluit. Ipsi quidem, quod in praefatione testatur tam iucunda fuit illius libri confectio, vt non omnes modo absterserit senectutis molestias, sed mollem etiam et iucundam senectutem effecerit. Vnde non satis potuit laudare philosophiam, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia degere possit. XI. *Laelius, vel de amicitia* liber vnus ad T. Pompon. Atticum. Sicut de senectute Catonem induxerat senem disputantem; quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute prae ceteris floruisset: ipsi maxime idonea visa est persona Laelii, quocum summa P. Scipioni familiaritas intercessit, vt de amicitia dissereret, quae ex ore Scaeuolae magistri sui Tullius olim audiuerat. Scripsit hunc librum Caesare interfecto, cum omnes cogitationes suas in concordia ciuium defixas haberet, ac omnium, etiam Antonii amicitiam retinere vellet. *i)* XII. *Paradoxa* Stoicorum sex ad M. Brutum: *k)* primum, quod honestum sit, id

b) GRAEVIVS testatur hanc editionem, licet primam, non esse ex meliore exemplari descriptam. *i)* Confer. eiusd. ad famil. l. 16. epist. 23. *k)* M. ANTON. MAIORAGIVS, qui modo eius officia defendit, paradoxis Tullii *anti-paradoxa* opposuit, illum demonstraturus philosophiae plane

id ſolum eſſe bonum: ſecundum, in quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beate viuendum: tertium, quod aequalia peccata: quartum, omnes ſtultos inſanire: quintum, omnes ſapientes liberos eſſe, et omnes ſtultos ſeruos: ſextum, quod ſolus ſapiens diues ſit. *l*) XIII. Pars interpretationis *Timaei*, qui eſt dialogus Platonis, *de vniuerſitate.* XIV. *Q. Ciceronis de petitione conſulatus ad M. Tullium fratrem liber* lectione dignus nec iniucundus, licet eius dictio ad ſummam Marci Tullii eloquentiam non aſpiret. *m*) Inter opera Ciceroniana vulgo etiam circumfertur XV. *de re militari* fragmentum, ineptiis plenum, et Ciceronis nomine indignum. XVI. *Arati phaenomenon* heroico carmine ab Tullio noſtro admodum adoleſcente *n*) expoſitum fragmentum. Quamuis enim ille non eadem Muſa ſcripſerit verſus, qua orationes: ab adoleſcentia tamen his ſtudiis valde delectatus eſt. *o*) Ita enim ipſe *p*) *Scripſi*, inquit, *carmina quaedam: nam ab orationibus diſiungo me interdum, referoque ad manſuetiores Muſas, quae me maxime, ſicut iam a prima adoleſcentia*

ne ignarum, et totius dialectices expertem. Quam foediſſimam calumniam refutat SANCTIVS in Minerua. *l*) SANCTIVS in Minerua, Pauli Manutii oſcitantium caſtigat, qui titulos paradoxorum ipſimet Ciceroni adſcripſit: cum nugae ſint ea lemmata ab imperitis Grammaticaſtris praefixa: velut omnes iſtiusmodi tituli ad Martialis epigrammata, ad Horatii odas, et ad Valerium Maximum: non ſolum alieni ab inſtituto auctorum, ſed et alieniſſimi haud raro. *m*) Ita H. STEPHANVS in pſeudo Cicerone p. 180. *Dictionem eius cum fratris ſermone collatam, non minus radere delicatas aures, quam filii Ciceronis et Coelii et Aſinii Pollionis, aliorumque Tullii aequalium, quorum ad illum epiſtolae exſtant.* *n*) Vid. CICER. de natura Deorum l. 2. c. 41. *o*) Confer. huius tract. part. 1. c. 4. §. 3. *p*) Ad famil. lib. 1. epiſt. 9. fin. in aliis 10.

tia, delectarunt. Paulo post: *Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem,*

§. XXIII.

Multa alia scripsit, quae temporum iniuria periere: vt sunt I. *Orationes* 1. pro M. Tullio. 2. pro L. Vareno. 3. cum Quaestor Lilybaeo decederet. 4. pro P. Oppio. 5. pro C. Manilio. 6. pro M. Fundanio. 7. pro Q. Gallio. 8. de L. Othone. 9. de proscriptorum liberis. 10. contra concionem Q. Metelli. 11. de consulatu suo. 12. in Clodium et Curionem. 13. de Rege Ptolomaeo. 14. pro P. Vatinio. 15. pro A. Gabinio. 16. pro L. Coruino. 17. in deponenda prouincia. 18. de L. Bestia. 19. in Gabinium. 20 pro Crispio. 21. pro Q. Mucio. 22. breuis oratio de lege agraria. II. *Commentarii caussarum,* quarum liber decimus tertius a Diomede allegatur. III. *Epistolae* ad M. Titinnium, ad Cornel. Nepotem libri duo, ad C. Caesarem libri tres, ad Caesarem iuniorem libri tres, ad C. Pansam libri tres, ad A. Hircium libri nouem, ad M. Brutum libri octo, ad M. filium libri duo, ad Licinium Caluum, ad Q. Axium, ad Catonem, ad Cereliam ad L. Plancum, epistolae Graecae. IV. *De gloria libri duo.* V. *Oeconomica* ex Xenophonte libri tres. VI. *Protagoras* ex Platonis dialogo translatus. VII. *Demosthenis et Aeschinis orationes* contrariae de corona translatae. VIII. *Laus M. Catonis*, quam C. Caesar impugnauit. IX. *Hortensius*, seu de philosophia liber. X. *Catulus* academicus liber primus editionis primae, secundus, tertius et quartus editionis secundae. XI. *De iure ciuili.* XII. *Liber de consiliis suis.* XIII. *De auguriis.* XIV. *Consolatio*, seu de luctu minuendo

endo, cum Tulliola exſpirauerit. q) XV. *Chorographia.* XVI. *Poemata*, Alcyones, Limon, Marius, de Conſulatu ſuo, vel de ſuis temporibus libri tres, Tamelaſtis, libellus iocularis, Pontius Glaucus. XVII. *Anecdota*, multa alia.

§. XXIV.

Ex operibus Ciceronis merita, dictionis item nitor et eloquentia abunde patent: ac vulgo conſtat eius laudem nec ſine ratione maiorem eſſe, quam vt noſtra commendatione indigeat. Ecquis non videt, illius ſtudio et opera linguam Latinam perueniſſe ad eam perfectionem atque gloriam, vt nihil poſtea quisquam addere potuerit? Adeoque habendus eſt pro regula et norma, ad quam ſermonis Latini caſtitas et elegantia referatur. Omnes ſtili characteres atque virtutes complectitur ita, vt neque ante, neque poſt eum videamus, qui cum illo comparari poſſit vel puritate, vel grauitate et elegantia, vel ſuauitate. Scribit omnia ſua neque cum nimia cura, neque prorſus ſine cura; nec verba formulasque nimis anxie quaerit ſectaturque, verum ita coniungit, quaſi ſponte ſua veniant: dictiones vero eandem rem ſaepe notantes vel illuſtrantes eleganter grauiterque commutat: vt recte atque ſignificanter omnia exprimat. De diuerſitate ſtili dictum eſt ſuperius, vbi epiſtolas oratoris noſtri recenſere inſtituimus. Praeterquam enim quod in ſcriptis ſuis vbique ſtuderet verborum proprietati, translationum ſuauitati, particularum et dictionis aptae menſurae, inciſis, membris, periodorum ſtructurae et numero:

q) Conſolatio haec a Carolo Sigonio conficta eſt, vt perſonata eloquentia ſua Doctis imponeret: irrito conatu, eius enim fucus haud diu, poſt ab naris emunctioris hominibus animaduerſus eſt.

 r) Vide

mero: omnium accuratiſſime et quadam velut naturali facilitate, pro circumſtantiis rerum atque perſonarum, triplici vſus eſt orationis forma, tenui, mediocri et ſublimi: ita tamen, vt ingenium magis ad illuſtrem dicendi copiam et maieſtatem, quam ad conciſum humilemque characterem applicaret. Adeoque vel nihil agendo, impendit omnem operam, vt in eius ſcriptis tres ſummae et Graecis ſummorum oratorum virtutes ſimul appareant, vis Demoſthenis, copia Platonis, iucunditas Iſocratis: quas inſeparabili nexu ita coniunxit: vt incomparabilis inde Latinae linguae vigor et eloquentia vbique ſe prodat. Hinc ille extra omnem ancipitis aleae iactum,, vnanimis omnium votis ſui populi Princeps, et reip. ornamentum, inter omnes eruditos eruditiſſimus, inter omnes eloquentes eloquentiſſimus habitus atque pronunciatus eſt. Ab hoc magiſtro vel ſolum formam Latine dicendi rectam eſſe hauriendam nec immerito volunt, quotquot de literis politioribus cenſendis iudicium ad ſe recipiunt Et reuera ſibi optime conſulunt, qui in optimo Latinitatis ſtudio, Ciceronis euoluunt opera, legunt, relegunt, obſeruant, concoquunt, ac ſibi velut in ſuccum et ſanguinem conuertunt. Nam quod ſol eſt inter reliquas ſtellas, id noſter orator plane videtur eſſe, compoſitus ad illos, qui literatis lucubrationibus ſuis et omni conatu Latinum ſermonem excolere et poſteritati conſecrare inſtituerunt: neque ad ſtupendam Latinae linguae principes accuratiſſimi et quam maxime circumſpecti maieſtatem, vbertate redundantis, ſubtilitate ingenioſi, iudicio ac rerum diſpoſitione ſimul atque tractatione prudentis, elegantia venuſti, facilitate liberi, grauitate praeſtantis, denique omni ex parte perfecti gloriam penetrare potuerunt. Quotus vero quisque mortalium absque Cicero-

Cicerone ac sedula eius aemulatione Latine sciret? Quem ex illis politioris disciplinae studiosis ad sui lectionem, admirationem, imitationemue dictionis Ciceronianae splendor non allicit, inuitat ac quodam velut instinctu trahit? Cum adolescens adhuc Rhodi coram Apollonio praeceptore suo tanta dignitate et maiestate Graece declamaret, vt attonito illum similem obmutescere coegerit, qui paulo post, amicis iudicium eius efflagitantibus, respondit: *non posse se quidem Ciceronem satis vel laudare, vel admirari.* Simul atque exclamauit: *cum dolore se videre, solam Graecis adhuc relictam dicendi gloriam per Ciceronem ad Latinos deferri.* r) Et ipse s) versum Ennii ad se applicat: *Quem adspectabant, cuius ob os Graii ora obuertebant sua.* Mox deinde, cum philosophiae lumen Latinis literis aperuisset, ac eloquentiam ad imperii maiestatem excoluisset, non modo *pater patriae*, sed *eloquentiae et literarum* etiam *parens* vocatus est. Quam feliciter hac sua eloquentia inimicorum impetum propellere, ciues tueri, innocentes iuuare, salutaria consilia genti suae dare, nobilium claustra perfrangere, suamque dignitatem stabilire potuit. Ab eo omnia praeclara, grata et iucunda nobis arrident; et nihil ex eo nisi rectum, emunctum, perpolitum, et omnibus numeris absolutum prodit.

§. XXV.

Praeceptores orator noster ab ineunte aetate Graecos habuit, quos deinde in ipsa Musarum sede visitauit, et omnem propemodum ab illis dicendi gloriam abstulit atque

 in

r) Vide quae supra ex Plutarcho commemorauimus. s) Ad famil. l. 9. epist. 26.

in Latium ſuum tranſportauit: quod prolixius in ipſius vita ex veterum Graecorum monumentis demonſtratum iuimus. Sunt tamen, et hos inter Budaeus, qui, cum Latinos omnes prae Graecis contemnunt, etiam de Cicerone haud poſſunt pro meritis et ſatis recte ſentire. Conſtat vero vel ex vno DION. LONGINI de ſubtilitate libro *t*) quid inter Demoſthenem ipſum atque Ciceronem interſit. Etiam de hac materia legi meretur elegantiſſima RENATI RAPINI tractatio, quam inſcripſit *La comparaiſon de Demoſthene et de Ciceron.v*) Comparet in ea 1. *Eloge de Demoſthene et de Ciceron pour donner idée de la grandeur de leur merite.* 2. *Les Sçavans n'ont oſé decider dans la comparaiſon de ces deux auteurs.* 3 *Etabliſſement de la regle ſur laquelle on doit faire la comparaiſon.* 4. *Comparaiſon de la capacité de ces deux auteurs.* 5. *De la ſeconde qualité pour perſuader qui eſt la probité.* 6. *De la probité de Demoſthene.* 7. *De la probité de Ciceron.* 8. *En quoy la reputation de ces deux orateurs fut attaquée.* 9. *Comparaiſon des autres qualitez de leurs perſonnes* 10 *Qu'il faut conſiderer la diſpoſition d'eſprit de ceux à qui l'on parle pour perſuader.* 11. *Quel eſtoit le caractere de l'eſprit des Grecs du temps de Demoſthene.* 12. *Le caractere de l'eſprit des Romains du temps de Ciceron.* 13. *De la troiſiéme partie neceſſaire a, la perſuaſion, qui eſt de la maniere dont on doit parler.* 14. *Le caractere de l'eloquence de Demoſthene.* 15. *Des effets de l'eloquence de Demoſthene et des éloges que les Anciens luy ont donnez.* 16. *Le caractere de l'eloquence de Ciceron.* 17. *Les effets et les éloges de l'eloquence de Ciceron.* 18. *La comparaiſon des caracteres*

---

t) Sect. 12. *v*) Operum diuerſorum tom. 1. pag. 1. ſeqq.

Steres des deux orateurs. 19. *Laquelle des deux manieres est la meilleure.* 10. *Eclaircissement de quelques difficultez qui restent sur cette comparaison pour la conclusion du discours.* ..quis ignorat FABII QVINTILIANI iudicium, *x*) vbi inter ..ana: *mihi*, inquit, *videtur M. Tullius cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima vbertate. - - Dono quodam prouidentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, mouere vehementius potest? cui tanta vnquam iucunditas affluit?* etc. tandemque Ciceronis laudem finit, omnia quasi vno verbo includens: *ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.*

§. XXVI.

Quamuis communi velut Doctorum consensu eloquentiae principatus Ciceroni datus sit, fuerunt tamen non pauci ex veterum ac recentiorum turba, qui Ciceronis eloquentiam, prudentiam, philosophiam, eruditionem, cetera et minuta quaeque examinare, recensere propemodum et illiberalius sub incudem reuocare conati sunt. Sed vereor ne plerique obtrectatorum potius, quam iudicum partes sustineant. vt Asinius vterque, ille Pollio qui Patauinitatem Liuio obiecit, eiusque filius Gallus, ipse Brutus atque Caluus. Ita enim QVINTILIANVS *y*) *transeo*, inquit, *illos, qui Ciceroni*

x) Instit. orat. lib. 10. c. 1. *y*) Instit. orat. l. 12. c 1. vid. etiam SENECA Suasoria 6. Tiberius Claudius Caesar Ciceronis defensionem scripsit aduersus Asinii Galli libros satis eruditam. teste SVETONIO in eius vita cap. 41.

roni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt; quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur esse perfectus, quem dormitare interdum dicit; nec Cicero Bruto Caluoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehenderunt; nec Asinio vtrique qui vitia orationis eius etiam inimice pluribus locis insequuntur. Et Auctor dialogi de oratoribus, z) *Legisti vtique et Calui et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere, Caluum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum; Brutum autem otiosum atque disiunctum: rursumque Ciceronem a Caluo quidem male audiuisse, tanquam solutum et eneruem; a Bruto autem, vt ipsius verbis vtar, tanquam fractum atque elumbem.* De Largio Licinio itemque Asinio illo iuniori GELLIVS a) haec memoriae prodidit: *nonnulli tam prodigiosi, tamque vecordes exstiterunt (in quibus sunt Gallus Asinius et Largius Licinius, cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix) vt scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie, atque inconsiderate locutum: atque alia quidem, quae reprehenderunt, neque dictu, neque auditu digna sunt.* De Chalcentero Didymo AMMIANVS MARCELLINVS: b) *in illis sex libris, vbi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incusat, vt immania frementem leonem putidulis vocibus vanus catulus longius circumlatrans.* E recentioribus praeter Petrum Ramum, Budaeum et alios Graecorum admiratores, c) nominandus est

z) Cap. 18. confer. eiusd. cap. 25. 19. 20. et 22. et ANG. POLITIANVS Miscell. c. 53. a) Noct. Attic. l. 17. c. 1. b) Lib. 22. extr. c) De quibus vid. MORHOFIVS polyh. lit. lib. 4. c. 11. §. 7. p. 846.

eſt Claudius Verdierius homo Gallus, ſed ineptus imo ſtolidus, illius Antonii filius qui ſupplementum in Geſneri bibliothecam ſcripſit. Ille cenſuram auctorum veterum et recentiorum edidit, qua phreneſin ſuam omnibus paginis teſtatus eſt. *d*) IANVS NICIVS ERYTHRAEVS *e*) aegre fert, obiectam Ciceroni ab Hieronymo imperitiam linguae Graecae, ac ſi vim eius ſermonis in vertendo parum feliciter eſſet aſſecutus. Ipſe vero ſe magna perfundi voluptate profitetur, quoties dulces ac perſpicuos locos illos perlegat. Neque videtur vllo modo credibile, Ciceronem, qui in ipſa Graecia a magiſtris optimis edoctus Graece toties declamarit atque commentatus ſit, Graecae linguae proprietatem ignoraſſe. Alii eum accuſarunt, quod ſua pleraque mutuatus ſit a Graecorum libris. Vnde Hieronymus eum doctiſſimis viris annumerat, aduerſus quos liuor exarſerit: *Marcus Tullius Cicero, qui in arce eloquentiae Romanae ſtetit, Rex oratorum, et Latinae linguae illuſtrator, repetundarum accuſatur a Graecis.* PLINIVS vero negat *f*) aeui ſui plagiarios Ciceronis ſimplicitatem ſecutos, qui in libris de Rep. Platonis ſe comitem profitetur; in conſolatione filiae Crantorem, inquit, ſequor; item Panaetium, de officiis. *g*) Omni tempore, vel ex inuidia, vel ex ignorantia, maximus orator noſter oſores ſuos habuit, qui liuore eum indigno et peſſimo proſequi, et mille conuiciis proſcindere non erubuerunt. Suo tempore quidam, maxime illi, quibus prae-

d) Stultitiae ſpecimina vide apud MORHOFIVM polyh. lit. lib. 1. c. 6. §. 13. l. 1. c. 16. §. 23. ſeqq. l. 1. c. 21. § 69. *e*) Pinacoth. 3. *f*) Hiſt. nat. l. 1. praefat. *g*) Vid. IAC. THOMASIVS de plagio literario §. 337. et 392.

praeclara ipſius fama et diuina in oratione maieſtas inuiſa erat, eum *inceſſere audebant, vt tumidiorem, et Aſianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exultantem, ac pene (quod procul abſit) viro molliorem. h)* In iocis nimius interdum viſus eſt quibusdam: vnde Tullius Tiro, Ciceronis libertus olim tres libros ſcripſerat. *i)* De ſalſe dictis atque iocis ipſe quaedam tradidit. *k)* Multa FRANCISCVS VAVASSOR *l)* ex Plutarcho *m)* Quintiliano *n)* Macrobio *o)* et aliis collegit. Etiam meretur legi IANI PASSERATII praefatio de ridiculis Ciceronis. PETRVS RAMVS *p)* ſciolus et perpetuus antiquitatis cauillator non veritus eſt nouam Aſiatiſmi notam inurere Ciceroni, quem, vt Mineruam Sus, docere voluit eloquentiam, allatrans eius omnia, e furioſo illo aduerſus Ariſtotelem odio: cuius veſtigia cum ſequeretur in aliquibus Cicero, eloquentiae princeps in tantam noui philoſophi reprehenſionem incurrit. Lepida eſt apud SENECAM *q)* hiſtoria de Ceſtio declamatore, qui apud diſcipulos ſuos in ſchola reſponſurus orationi Ciceronis pro Milone, hac vtebatur principio: *Si Thrax eſſem, Fuſius eſſem, ſi Pantomimus eſſem, Pantillus eſſem, ſi eques, Meliſon.* Quae cum Seneca pater audiret, non ſine indignatione alta voce exclamauit: *Si cloaca eſſes, magna eſſes.* Hinc riſu omnes

h) Vid. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 12. c. 10. *i)* Vid. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 1. c. 17. *k)* De oratore l. 2. c. 54. quem locum ADRIANVS TVRNEBVS erudite ſingulari commentario expoſuit. *l)* De ludicra dictione p. 328. ſeq. *m)* De Ciceronis vita. *n)* Inſtit. orat. l. 6. c. 3. *o)* Saturnal. l. 2. c. 3. *p)* In Brutinis quaeſtionibus. *q)* Epitomae declamat. lib. 3. praef. confer. Eiusd. ſuaſoria 7. QVINTIL. inſtit. orat. l. 10. c. 5.

omnes emori, et Caestius obmutescere. Posthaec Seneca illum in foro vexauit omni litium genere, vt homo iste, precario et vi adactus, Cicerone disertiorem vel serio vel ioco se profiteretur: sed nullo modo id efficere potuit: nam vetus ille error est, quod FABIVS olim de scholasticis dicebat: *neminem inter illos fuisse, qui non sibi persuaderet, se ante Ciceronem numerari debere.*

§. XXVII.

Singularia r) quaedam sed non sine maximo verborum nitore et significationis extrema vrgente necessitate in L. L. transtulit. Proinde νεωτερισμῶν accusatur a male sanis criticis, et mirifice calumniatur. s) Enim vero quod aliis ante et post eum semper datum est, vt aliquando animi caussa, non ad imitationem vel vsum linguae, aliquid fingant, ipsi integrum fuit: eandemque licentiam haud inconsulto sibi vindicauit. Quod clarum est voce *dextella* pro *dextra* t) quam nemo non videt, in modum diminutiui, ioco esse dictam. Pari modo *Appietatem* et *Lentulitatem* v) pro Appii et Lentuli nobilitate posuit. Alia necessario cum artibus Graecorum ex Graeca lingua inuexit: PLVTARCHVS enim testis est x) eius in philosophia studium fuisse dialogos condere, siue transferre: αὐτῷ ἔργον ἦν τὸ τῶν διαλεκτικῶν ἢ φυσικῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἰς Ῥωμαικὴν μεταβάλλειν

r) CHARISIVS l. 2. auctor est, Statilium Maximum *de singularibus Ciceronis* peculiarem librum scripsisse, qui periit. Et voces ex Cicerone minus vsitatas GEORG LVDOV. FROBENIVS collegit indice Grammatico, qui Ciceronis operibus ab Iano Guilielmo et Iano Grutero emendatis et in lucem publicam emissis subiectus est. s) Vid. MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. 13. Differt. p. 572. t) Ad Attic. l. 14. ep. 23. v) Ad famil. l. 3. epist. 7. x) In vita Ciceronis.

λειν διάλεκτον. *His enim*, pergit, *primus, vt aiunt, phantasiam, atomum, continuum, indiuiduum, vacuum, aliaque huiuscemodi complura vocabula, hactenus Latinis insueta, nota et appellanda dedit. Poetica interdum ex ingenii facilitate, ioci gratia vsus est* etc. Atque ita, vt in praecedentibus monuit, Ciceronis consilio non leuis περὶ τὰς λόγους καινοτομία facta est: ita quidem vt religio ipsi esset, voce non Latina vti. y) Quamobrem FABIVS: z) *Etymologia*, inquit, *quae verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est NOTATIO, quia nomen eius apud Aristotelem inuenitur* σύμβολον, *quod est nota: nam verbum e verbo ductum, i. e. VERILOQVIVM, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sunt, qui vim potius intuiti, ORIGINATIONEM vocent.* etc. SENECA: a) *Quid vocentur Latine SOPHISMATA quaesisti a me. Multi tentarunt illis nomen imponere, nullum haesit, videlicet quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in vsu erat; nemini quoque repugnatum est. Aptissimum videtur mihi, quo Cicero vsus est: CAVILLATIONES vocat, quibus quisquis se tradidit, quaestiunculas quidem vafras nectit, ceterum ad vitam nihil proficit.* etc. Ausus est, fateor, *mulierositatem* fingere b) sed vt Graecam vocem φιλογύνειαν interpretaretur, quam reddere nos vulgo solemus die Weibersucht i. e. femineae voluptatis cupiditatem. Porro ipsi ex epistola quadam SIDONII APOLLINARIS ad Polemium Ciceroni tribuunt vocis portentam *indolorantiam*, cuiusmodi nihil prorsus in illis, quae exstant hodie, eius operibus

y) Confer. huius differt. cap. 1. §. 33. seqq. z) Instit. orator. lib. 1. cap. 6. a) Epist. 111. b) Tuscul. quaest. 4. 11. confer. NONIVS c. 2. n. 570.

ribus reperire licet: ſed mendum eſſe poteſt in Sidonii textu, et iam dudum viri eruditiſſimi *indolentiam* iſti ſubſtituerunt, qua voce TVLLIVS aliquoties vſus eſt, non ſine adhibita caſtigatione, vt Graecorum ἀναλγησίαν ſiue doloris vacuitatem voluptatemque perpetuam exprimeret. Itaque *c)* *num*, inquit, *propterea idem voluptas eſt, quod, vt ita dicam, indolentia?* De *eſſentia*, qua voce Graecorum οὐσίαν primus expreſſerit, idem SIDONIVS *d)* et SENECA *e)* teſtantur, quamuis non meminerim alicubi illius veſtigium in ſcriptis Ciceronis, quae ſuperſunt, reperiſſe. Atqui etiam SENECA *f)* teſtis eſt, primum *reapſe* dici a Cicerone, pro reipſa; nec minus *ſepſe* pro ſe ipſe. Sed quamuis reperiamus iſtud apud CICERONEM *g)* egregie tamen fallitur, illum ita primum dixiſſe, quum locutionem iſtam vel vſu habere comprobatam, vel ex LVCRETIO *h)* PLAVTO *i)* PACVVIO *k)* antiquioribus haurire ipſe potuit. Enim vero, vt in viam reuertar, noua nouis rebus nomina imponenda erant, quod ipſe TVLLIVS *l)* prolixe demonſtrat. Adeoque ἐνέργειαν, quam Graeci, *perſpicuitatem*, inquit *m)* aut *euidentiam* nos, ſi placet, nominemus, fabricemusque, ſi opus erit, verba. Sic *officium* lingua vernacula καθῆκον, et *conuenientiam* ὁμολογίαν

c) De finib. l. 2. c. 4. *d)* Epiſtola epithalamio Polemii carm. 14. ſubiecta. *e)* Epiſt. 58. Confer. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 8. c. 3. Huius diſſert. part. 1. cap. 1. §. 34. *f)* Epiſt. 108. *g)* De finib. l. 5. c. 10. De Diuinat. l. 1. c. 37. *h)* Lib. 2. verſ. 658. *i)* Trucul. A. 4. S. 3. v. 41; Rud. A. 1. S. 3. v. 2. *k)* In armorum iudicio. apud FESTVM in voc. *Reapſe.* *l)* De finibus l. 3. c. 1. 4. Et diſerte libro de fato cap. 1. *nos*, inquit, *eam partem philoſophiae de moribus appellare ſolemus, ſed decet augentem linguam Latinam nominare moralem.* *m)* Acad. quaeſt. l. 2. c. 6. Confer. QVINTILIANVS inſt. orat. l. 6. c. 2.

λογίαν appellauit. *n)* In fragmento libri de vniuerſitate ex Timaeo Platonis diſerte inquit: *Quae Graece ἀναλογία, Latine (audendum eſt enim, quoniam haec primum a nobis nouantur) comparatio proportioue dici poteſt.* Paulo poſt: *vt in ſingulis*, inquit, *eſſent bina media. Vix enim audeo dicere medietates o) quas Graeci μεσότητας appellant, ſed quaſi ita dixerim ita intelligatur, erit enim planius.* Aduerbium *mirabiliter* valde ſuſpectum eſt POLITIANO *p)* qui *ruſticum*, inquit, *nimis et illepidum ſordidumque adeo plane vocabulum Ciceronis epiſtolam occupauit eam, quae eſt ad Brutum, q) iſto principio: mirabiliter, mi Brute laetor.* Atqui is etiam alibi: *r) familiares eius mirabiliter* (i. e. praeclare et honorifice) *de te et loquuntur et ſentiunt.* Et CORN. NEPOS *s) mirabiliter mutata voluntas.*

§. XXVIII.

Atque etiam pl. reuerend. REIMMANNVS *t)* putat, *anteceſſionis* vocabulum confinxiſſe, quod de homine *v)* commemorauerit, principia et cauſſas rerum videre, earumque progreſſus et *quaſi anteceſſiones* non ignorare. Sed mihi non videtur, illam enim particulam potuit propter alias rationes addidiſſe, quam alibi *x)* omiſit, vbi *in orbibus concurſiones anteceſſionesque* profert. Sufficit Scriptoris optimi ſuaeque linguae ſtudioſiſſimi auctoritas et norma in illis vocibus, quae

n) De finibus lib. 3. c. 6. *o)* Qua voce poſt Tullium vti vix dubitarunt Palladius et Apuleius, et his inferiores Ammianus, Eutropius, alii. vid. CELLARIVS curis poſter. p. 222. *p)* Miſcell. cap. 34. *q)* Ad famil. lib. 11. epiſt. 14. *r)* Ad famil. l. 4. epiſt. 13. *s)* Dion. cap. 10. *t)* Hiſtor. vocab. linguae Latinae pag. 30. *v)* De officiis l. 1. c. 4. *x)* De vniuerſ. c. 10.

quae criticis noſtri aeui hominibus Latinitati officere ac labem caſtitati afferre videntur. Ita inuiſum illis eſt *virgetum y)* locus virgis conſitus, ein Gebüſche. *Silua viridicata z)* viridibus conſita, ein grün ausgeſchlagener Wald. *Multiplicabile a)* quod multiplicari poteſt: illud vero ex poeta deſumſit. *Sportella b)* ſportula, ſportae diminut. ein Körblein. *Artolagani c)* ex ἄρτος et λάγανον, placenta, Brodkuchen. PLINIO genus panis delicati. *d)* *Diecula e)* ein kurtzer Tag. Sed ante Ciceronem TERENTIVS *f)* hac voce vſus eſt, vbi: *non ſatis habes, quod tibi dieculam addo. Diuaricare g)* pro diſtendere: atqui etiam VARRO: *h)* *ne cuius vngulae diuaricent.* *Beatitudo* et *Beatitas*, pro felicitate, ipſi TVLLIO excuſantur *i)* *At iſta*, inquit, *ſiue beatitas, ſiue beatitudo dicenda ſit (vtrumque omnino durum, ſed vſu nobis verba mollienda ſunt.)* *Sullaturire k)* pro Sullam imitari. *Proſcripturire l)* i. e. cupere alios proſcribere, zur Achts-Erklärung Luſt haben. *Tenebricoſus, m)* et *Tenebricoſiſſimus*, *n)* et *Tenebricus o)* maximus idem orator, nec ſine auctoritate dixit. *Noctuabundus p)* noctu

y) De legibus l. 2. c. 8. *z)* Ad Quint. Fratr. l. 3. epiſt. 27. *a)* Tuſc. Quaeſt. l. 2. c. 9. *b)* Ad famil. l. 9. epiſt. 20. confer. SVETON. Domit. c. 4. PETRON. c. 40. *c)* CICER. ad famil. l. 9. epiſt. 20. *d)* Hiſt. nat. l. 18. c. 11. ATHENAEVS l. 3. c. 29. ſcribit, in artolagano parum vini cum pipere, lacte et oleo ſeu adipe modico poni. *e)* Ad Attic. l. 5. epiſt. 21. *f)* And. A. 4. S. 2. v. 27. *g)* Verrina orat 4. c. 40. *h)* De re ruſtica l. 2. c. 5. Confer. NONIVS c. 1. n. 147. *i)* De natura Deor. l. 1. c. 34. confer. QVINTIL. inſtit. orat. l. 8. c. 3. Huius Diſſert. P. 1. c. 3. §. 34. *k)* Ad Attic. l. 9. c. 10. QVINT. l. c. Diſſert. noſtra l. c. *l)* Ibid. QVINT. inſtit. orat. l. 8. c. 6. *m)* In Piſon. c. 8. *n)* In Vatin. c. 5. pr. *o)* Tuſc. Quaeſt. l. 2. c. 9. ex poeta. *p)* Ad Attic. l. 12. epiſt. 1.

vagans vel iter faciens. *Opiniosissimus q)* qui abundat opinionibus. *Opinator r)* ein Zweifler. *Opinabilis, s)* quod opinione concipi potest. *Aedes male materiatae t)* passiuae notionis, ein Hauß daran das Holtz nichts nutzet: cum *materior* idem sit quod lignari, Holtz fällen / oder nach Holtz gehen. *v) Munitare x)* frequent. munire, fest stellen. *Quam*, inquit, *viam munitet, quod iter affectet, videtis:* ihr sehet / wo er hinaus gedenckt. *Turpificatus y)* beflecket. *Alsius z)* comparatiuus ab *Alsus*, frigidus. Atqui etiam LVCRETIVS: *a) Ignis enim curauit vt alsia corpora. Inficiatio b)* negatio. *Ieiunitas, c)* cui opponitur vbertas atque copia. Sed iam diu ante Tullium nostrum PLAVTVS: *d) ieiunitatis plenus, anima foetida. Fateri* verbum deponens, bekennen / CICERO semel vsurpauit passiue, *e)* vbi, *quae est*, inquit, *ista aequitas, hunc agrum excipere nominatim, qui publicus esse fateatur? Mulieraria manus f)* ein Haufen weibischer Leute. Eius furfuris multa alia cumulauit auctor dialogi, cui titulus Cicero relegatus, qui cum Vorstii libro de Latinitate selecta prodiit. *g)*

§. XXIX.

Calumniantur eum alii, quod, cum Latinae linguae et summi nitoris studiosissimus esse videri vellet, pessimo iure multas dictiones vsurpare fastidiuerit, aliis communes; ex odio

q) Academ. quaest. l. 4. c. 47. *r)* Ibid. c. 20. *s)* De diuinat. l. 1. c. 14. *t)* De officiis l. 3. c. 13. *v)* Vid. CAESAR bell. Gall. l. 7. c. 73. *x)* Orat. pro Roscio. c. 48. *y)* De officiis l. 3. c. 29. *z)* Ad Attic. l. 4. epist. 8. ad Q. Fr. l. 3. epist. 1. *a)* l. 5. v. 1014. *b)* De oratore l. 2. c. 25. QVINTIL. prooem. l. 8. *c)* Tusc. Quaest. l. 2. c. 1. *d)* Merc. A. 3. S. 3. v. 13. confer. NONIVS c. 4. n. 2. *e)* Contra Rullum c. 21. *f)* Pro Coelio c. 28. pr. *g)* Pag. 125. 126. 127. 128.

odio partium, vt esset, quod in illis carperet; vel ex superbia, cum esset homo longe arrogantissimus, qua sibi soli ius Latinae linguae vindicare posset. Exempli gratia proferunt Iouem Σωτῆρα, quem *h*) negauerit vnico Latino verbo exprimi posse: vt seruiret caussae, atque Verrem criminis magnitudine premeret. *i*) Sed frustra hoc illi obiiciunt, qui e continenti vocabulum istud Latine studuit reddere *qui salutem dedit:* quod magis innuit, quam si *conseruatorem* dixisset: *k*) id enim vocis ipse habuisset commune cum Ioue: quod per modestiam sibi tribuere noluit, cum scripserit alibi: *l*) *me conseruatorem et parentem huius vrbis nonnulli dixerunt.* Quamuis inficias ire nolim ab aliis Iouem *seruatorem* et *conseruatorem* dictum fuisse. *m*)

§. XXX.

Ita satis maleuole summam oratoris eloquentiam, cordatioribus ad vnum criticis omnibus mirifice laudatam, conuiciis atque detrectationibus nefandis in dubium vocare student; neque verentur ex tot voluminibus et prolixo tanti oratoris dicendi campo, verbula quaedam, quorum rationes non intelligunt, velut dubia vel minus decora protrahere. Quae si vel maxime praeter vsum atque vulgarem consuetudinem fuissent parce et raro vsurpatae: inter summas oratoris virtutes et elegantias, quod in formosissimis mulier-

h) Act. 4. in Verrem c. 63. *i*) Vid. CHRIST. DAVMII diatriben de caussis amissarum radicum linguae Latinae c. 26. p. 510. Et REIMMANNI histor. vocab. p. 30. *k*) *Saluatorem* potuisset dicere, si noluisset vitare insolentiam. confer. CAPELLA lib. 5. Neque in illius orat. in Pisonem c. 31. recte legitur: *me posse iterum remp. saluare.* *l*) Ad Attic. l. 9. epist. 11. confer. eiusd. orat. pro Sextio c. 24. *m*) Vid. GRVTER. inscript. p. 18. et 19.

mulierculis cernere licet, velut quaedam maculae, elegantiorem dictioni faciem induere, gratiamque illius multum augere potuerunt. Esto, praeter auctoris mentem, vitiosa quaedam esse. At errare humanum est, neque ex mortalibus est aliquis omni sua conditione et vbique perfectus. Nec ipsum Ciceronem voluisse ex communibus mortalium fatis exemtum vel censu liberum esse intelligo. *n)* Sed illius in omni dictionis genere virtutes ne graueris comparare cum vitiis, et ingenue, modo sine inuidia, fateberis, haec nulla esse. Lusus est haud inelegans hominis profecto elegantis in dialogo *o)* quem *Ciceronem relegatum* inscripsit: vt multis calumniis nec siue feruore illum ceu pessimum bonis omnibus inuisum redderet, atque adeo communi litteratorum suffragio igni et aqua interdiceret. Eundem vero mox altero, cui titulus *Cicero reuocatus* omni conatu nec immerito defendit, eaque, quam ipsi modo visus fuerat inferre, liberat macula, et pristinam velut suam in libertatem dignitatemque restituit.

§. XXXI.

Gloriae fuit noster percupidus sitiensque honorum. Nemo inficiabitur. Id enim Romanis in hoc maximo imperii sui et omnium disciplinarum flore innatum fuisse propemodum, nec vitio verti, iamdudum pluribus demonstrare nullus dubitaui. *p)* Neque is suae gentis solus ea ambitione populares captauit aures, ac laudis propriae buccinator fuit. Nam pro lege Manilia Romanos laudaturus, hinc commendationis

n) In eo argumento prolixus est DORNMEIERVS differt. de vitioso Ciceronis imitatore, quae prodiit cum Vorstii libro de Latinitate selecta et vulgo fere neglecta. *o)* Qui vulgatus est etiam cum laudato Vorstii tractatu Berolini 1718. *p)* Huius tractat. part. 1. cap. 1. §. 9.

dationis initium facit, quod plus quam ceterae nationes gloriae appetentes laudisque auidi essent. Caesaris de se iudicium, nec id obscurum, recitat, *q)* vel ex Bruti recensione repetit, quod se non solum principem atque inuentorem copiae dixerit, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et dignitate. Quo enim vno vincebantur a victa Graecia, id illis ereptum, aut certe cum Romanis fuerat communicatum. Quam gloriam, testimoniumque Caesaris Supplicationi multisque triumphis anteponi, Brutus asserit. Cicero vero satis modeste: rem ita se omnino habere, modo sit hoc Caesaris iudicii, non beneuolentiae testimonium. *Plus enim*, addit, *certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustrauit modo, sed etiam genuit in hac vrbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnauerunt, ex quibus multi sunt, vt scitis, triumphi.* Similis propemodum est illius iactatio *r)* quod Pompeium adduxerit in eam voluntatem, vt in senatu non semel, sed saepe, multisque verbis suis ipsi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit. *Quod*, inquit, *non tam interfuit mea (neque enim illae res aut ita sunt obscurae, vt testimonium, aut ita dubiae, vt laudationem desiderent) quam reip. quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex illarum rerum dissensione arbitrarentur.* Et vera laus fuit, quam sibi persuadet ex Dolabellae virtutibus, *s)* eamque sibi iucundam, ipsi vero consuli propriam, quod oratores faciunt, ex vtriusque necessitudine demonstrat: fore etiam vt homi-

q) De claris oratoribus c. 72. seq. *r)* Ad Attic. l. 1. epist. 14. *s)* Ad famil. l. 9. epist. 14.

hominum opinio se laudibus illius socium adscriberet; neminemque dubitare, quin suis praeceptis atque consiliis praestantissimum ciuem, singularemque se consulem praeberet. Et alterius auget gloriam, suum vero affectum prodit, quod liberalius de se loquens subiicit: *sum enim auidior etiam, quam satis est gloriae.* Ab Luceio id petit, quod facere iste dudum instituerat: vt voluntatem eius approbet ac maiorem ad perficiendam sui temporis historiam illi stimulum addat. *t*) Quod fieri etiamnum ab viris doctis in familiaribus colloquiis, maxime vero in epistolis cernere licet. Et magis ad Luceii laudem euehendam scribit: *ardeo cupiditate incredibili, neque vt ego arbitror, reprehendenda nomen vt nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis.* Ecquis non videt, quo literarum profecto elegantium ad M. Catonem *v*) spectet exordium? *Laetus sum laudari me, inquit Hector - - abs te, pater, laudato viro. Ea est enim profecto iucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. x*) Iniurius est valde, qui Christiani coetus et Spiritus Sancti exactum virtutis exercitium in homine non Christiano desiderat. Sed nec isti vitio fuisset vertendum, quod spiritus generosi fortisque semper habitum est. Certe magnus gentium Apostolus ipse, ille sancto afflatus spiritu, gloriatur, plus ceteris laborauisse; euangelium suum coelitus accepisse; panem non gratis manducauisse; Petro fortiter et in faciem restitisse. Eius quoque generis sunt calumniae, quod fuerit elatus, superciliosus et inter omnes maxime

t) Ad famil. l. 5. epist. 12. *v*) Ad famil. l. 15. epist. 6. *x*) Pl. vid. Ciceronem relegatum, dialogum a nobis supra laudatum pag. 94. 95. seq.

xime iactabundus. Quo referunt scriptam eius ad Atticum narrationem, quae facta sit consurrectio, vt illum circumsteterint iudices, et aperte iugula Clodio pro capitis sui salute ostentarint. Exempla petunt alia ex orationibus Catilinariis, pro lege Manilia, pro Caecinna, contra Rullum, Verrem, ceteris. y) Praeter omnem sanae mentis persuasionem: vt insignem calumniandi pruritum suamque maleuolentiam prodant. Nihil enim nisi pro re nata profert, suaque facinora, quorum ipsum non poenituit, ad exemplum aliorum, quin et nostram, qua vtimur, consuetudinem, enumerare potuit. Cetero tanta fuit in oratore nostro modestia, vt Lucullum amicissimum suum debito testimonio priuare maluerit, quam cum laude sua istud communicare. Et loca sunt praesertim in orationibus infinita, quibus praeclara pudoris suaeque extenuationis testimonia habemus. Sed maligni non quod laudent, illud potius quod detrahant atque calumnientur, semper conquirunt. Eius inconstantiam porro, nec feliciori motu, accusant; primo de finibus Latinam linguam dicere non modo non inopem, sed Graeca locupletiorem; contra in oratione pro Caecinna Latinam linguam vocare inopem; diuinationem modo tollere, modo confirmare; Deos habere inuisibiles, rursum visibiles; peregrinationem modo commendare, modo velut sordidam reiicere; eosdem homines nunc summis euehere laudibus, nunc vituperare et scelerum reos fa ere; eandemque rem affirmare tandemque, sui quasi esset immemor, negare. Isti nae intelligendo faciunt vt nihil intelligant. Noster enim orator ille mentis quam maxime compos, aliorum opiniones saepe recitat, et aliter sentit, quam

y) Confer, laudatus de Cicerone relegato dialogus pag. 110. seqq.

vbi ſententiam ſuam declarat. Interdum loquitur de perſuaſione ſapientum; interdum vulgi opinionem recitat. Et non raro, quis inficiabitur? perſonas easdem laudat, alibi vituperat. Ecquis mortalium omnibus horis ſapit? Quis tam perfectus atque beatus, vt, licet in multis laudandus, nihil prorſus habeat, quod in aliorum reprehenſionem incurrit? Alio tempore, alia in re, aliis circumſtantiis vnus idemque bonus et malus eſſe poteſt. Cetera z) ne tanti quidem: vt frigidis calumniis ſuis ſe ridendos aliis praebeant. Sed nihil turpius et minus e re, quam quod Ciceronis damnant eloquentiam, qua nulla magis eloquens vnquam fuit, nulla magis pura, magis ſimplex, varia, felix, ornata. Vel vbi ſimilis huic illa diuina et beata eloquentia? vbi tantus verborum cultus? Vbi eximius ille ſplendor ac totius orationis maieſtas, quae ad ſe omnes allicit, delectat, afficit atque mouet? Iſte vero liuor et hominum iniquitas eſt: vt quod imitari non poſſunt, inuidia multisque calumniis cumulare non vereantur. Conuiciorum non habita ratione, Ciceronis laus atque gloria, vel propter ſolam eloquentiam ſuaeque linguae culturam ſemper immota ſtetit: eiusque ſcripta bonos omnes integritate ſua, puritate et elegantia ad ſedulam lectionem nec iniucundam imitationem rapuit. Stilum Ciceronis calumniantur vt nimium redundantem, elumbem, vanum ac ſupra modum effluentem. Ego contra omnem orationem ſqualidam, male cohaerentem, impuram, et vitiis neſcio quibus reſperſam eſſe arbitror; niſi dictionem Ciceronianam exprimere conetur: atque periodos, nexum, rationem, omnem denique formam ad illius imitationem dirigat.

§. XXXII.

z) De quibus prolixe Cicero relegatus et reuocatus agit.

§. XXXII.

Scripta ſua Cicero ipſe, quamuis eſſet cupidiſſimus gloriae, ſuique ipſius admirator egregius, non omnia probauit; ſed ingenue prouectiori aetate lapſus iuueniles confeſſus eſt, et emendare, vel corrigere ſtuduit. Hinc Fabivs: *a)* *Marcus Tullius non dubitauit aliquos iam editos libros aliis poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut Catulum atque Lucullum, et hos ipſos, de quibus modo ſum locutus, artis Rhetoricae. Etenim ſuperuacuus foret in ſtudiis labor, ſi nihil liceret melius inuenire praeteritis.* Et auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *b)* *Primus excoluit rationem, primus et verbis delectum adhibuit, et compoſitioni artem, locosque laetiores attentauit, et quasdam ſententias inuenit: vtique in his orationibus, quas ſenior iam, et iuxta finem vitae compoſuit, id eſt, poſtquam magis profecerat, vſuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus eſt. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. Lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus, tarde commouetur, raro incaleſcit: pauci ſenſus optimi, et cum quodam lumine terminantur.* cetera. Habeo quidem ego, quod in hoc teſte non poſſum approbare: ſed quod de commutata prouectioris aetatis ratione dicendi et in illa virtutum augmento commemorat, nihil in eo mutandum puto. Apud Gellivm *c)* manifeſtus Ciceroni ex libro eius de gloria ſecundo tribuitur error, qui non ſit animaduerſus poſtea correctusque vel ab ipſo, vel a Tirone liberto eius, homine diligentiſſimo, et librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo: cum apud Homerum, cuius verſus citat, pro

a) Inſtit. orat. lib. 3. cap. 6. *b)* Cap. 22. *c)* Lib. 15. cap. 6.

Hectore, falso credat Aiacem de sepultura loquentem introduci. Sed in epistolis ad Atticum ipse fatetur, id genus memoriae errores non semel commissos; et crimen deprecatur hoc potissimum nomine, quod altissimis Philosophiae contemplationibus et reip. curis occupatus, non quiuerit se ad adminicula haec demittere. Similem in libro de diuinatione secundo errorem POLITIANVS *d)* obseruauit, quod Agamemnonem Homericum pro Vlysse nominauerit.

§. XXXIII.

Ad vnum omnibus eiusmodi calumniatoribus, reliquorum veterum pariter atque recentiorum, in laudando Cicerone, consensus et in vituperatores quosuis indignatio potest facile opponi. Vix enim quisquam dubitauerit cum FABIO *e)* confiteri, stetisse illum in fastigio eloquentiae, cui quid adiici debeat, dicere nemo potest. Licet etiam Fabius ille summam vereatur Ciceroni adscribere perfectionem, quippe cui non nihil vitiorum adhaesisse non dubitat, adeoque perfectum omnibus partibus oratorem adhuc quaerat; ipse tamen mox addit: *ego non audeam dicere, aliquid in hac, quae superest, aeternitate inueniri posse, eo quod fuerit perfectius.* VELLEIVS *f)* verissime prodidit, *perfectum prosae eloquentiae decus sub principe operis sui Tullio erupisse.* Et HIERONYMVS: *g) in arce eum Romanae stetisse eloquentiae.* Sic quoque PLINIVS: *h) Salue primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundiae Latiarumque litterarum parens:*

d) Miscell. cap. 53. *e)* Instit. orat. l. 12. c. 1. Confer. l. 10. c. 1. cuius testimonia supra dedimus. *f)* Lib. 1. c. 17. *g)* Prooem. in Q. Hebr. l. Genes. Tom. 4. oper. f. 90. *h)* Histor. natur. l. 7. c. 30. confer. IVVENALIS Satyr. 8. v. 244.

parens: atque vt dictator Caesar, hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promouisse; quam imperii. Ab eodem dicitur *i*) *vir extra omnem ingenii aleam positus.* ERASMVS, qui iuuenis non admodum probauerat magnificam Ciceronis orationem, mox rediit ad saniorem mentem, illumque sua virtute ductus et elegantia ambabus vlnis amplexus est. Quod ipse fatetur: *k*) *mihi*, inquit, *puero minus arridebat Cicero, quam Seneca: iamque natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam eius lectionem, cum ceteri poene omnes placerent. An aetatis progressu profecerim, nescio, certe nunquam mihi magis placuit Cicero, cum adamarem illa studia, quam nunc placuit seni: non tantum ob diuinam quandam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi sanctimoniam profecto meum afflauit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem, hortari iuuentutem, vt in huius libris euoluendis atque etiam ediscendis bonas horas collocent - - Me vero, etiamsi iam vergente aetate, nec pudebit, nec pigebit cum meo Cicerone redire in gratiam, pristinamque familiaritatem nimium multis annis intermissam, renouare.*

§. XXXIV.

Sub initia inuentae typographiae primum prodierunt Ciceronis libri tres de officiis *Moguntiae* 1466. fol. apud Ioh. Faust. In fine operis haec notantur: *praesens M. Tullii Ciceronis clarissimum opus Iohannes Faust, Moguntinus Ciuis, non atramento plumali, canna neque aerea, sed arte quadam per-*

i) Hist. natur. praefat. *k*) Prooemio, quod Tusculanis quaestionibus praemisit.

perpulchra, manu Petri de Gernsheim, pueri mei, feliciter effeci, finitum anno MCCCCLXVI. quarta die mensis Februarii. Hanc primam officiorum editionem secutae sunt aliae *Mediolani* 1474. fol. *Neapoli* 1483. fol. *Venetiis* 1484. fol. de officiis & de senectute cum comment. Petri Marsi, apud Bernard. de Nouaria et Bernard. Celerium de Lucre. 1487. fol. de officiis, de amicitia et de senectute cum P. Marsi comment. per Marinum Saracenum. Inuenti primum a Francisco Petrarcha Ciceronis ad diuersos epistolarum libri XVI. editi sunt *Romae* 1467. fol. Iterata impressio est 1473. 1475. et 1477. fol. *Mediolani* absque tempore notato. fol. *Venetiis* 1471. fol. per Nicolaum Ienson Gallicum. *Vicentiae* 1479. fol. per Hermannum Lichtesten Coloniensem. Loco non adscripto prodierunt epistolae Ciceronis ad familiares 1499. fol. cum comment. Hubertini Cressentinatis et Martini Philetici super epistolis electis: addita etiam sunt nonnulla alia loca per Angelum Politianum interpretata. Tusculanarum quaestionum libri quinque primum vulgati sunt *Romae* 1468. fol. *Venetiis* 1482. fol per Iohann. de Forliuio cum comment. et Venerii Salii epigrammate. 1499. fol. cum comment. Phil, Beroaldi et Omniboni Vicentini. Epistolae ad Atticum, Brutum et Q. Fratrem, primo lucem publicam viderunt *Romae* 1470. fol. per Arn. Pannartz et Conr. Svvynbeym in domo P. et I. de Maximis. *Venetiis* 1470. fol. cum ipsius Attici vita, per Nic., Ienson. De finibus bonorum et malorum editionem primam habemus *Romanam* 1471. fol. aut *Venetam* 1471. fol.; per Ioannem ex Colonia. De natura Deorum, de diuinatione, de fato, de legibus, liber ad Hortensium de disciplina militari, cum Ciceronis vita *Venetiis* 1471. fol. per Vindelin Spiram. Orationes Ciceronis omnes

omnes ſine loci annotatione 1472. fol. vt in fine verſus habent, ahenis impreſſit formis Magiſter Adam. *l*) Eam editionem antiquiſſimam excepit *Veneta* 1477. fol. cum Aſconii Pediani *m*) et Antonii Luſci Vincentini commentariis. *Mediolanenſis* 1498. fol. De diuinatione libri duo prodierunt *Venetiis* 1487. fol. *Mediolani* 1498 fol. Rhetorica ad Herennium *Venetiis* 1490. fol. per Gullielmum Tridinenſem, cum comment. De inuentione libri duo cum Fabii Marii Victorini Rhetoris antiqui commentariis *Venetiis* 1490. fol. *Mediolani* 1498. fol. De oratore dialogi tres ad Q. Fratrem *Venetiis* 1491. fol.

§. XXXV.

Seculis poſt Chriſtum natum decimo ſexto & ſequentibus, propter frequentiam non attendimus ſeparatas huius vel illius libri, verum vnas omnium operum editiones. Primo *Venetas* 1519. 1522. 8. nouem voluminibus, apud Aldum. 1537. fol. quatuor voluminibus ex officina Iuntae, editio nitidiſſima, aeque ac rariſſima, quam ex vetuſtiſſimo Mediceo codice primum adornauit Petrus Victorius, omnium ingeniorum ſui temporis princeps, et cui vni prae reliquis Cicero ſalutem debet. Poſtremas eiusdem curas optima editione 1571. Iuntae Florentini dederunt. Iterata editio Aldina 1554. 8. nouem voluminibus. 1578. 1583. fol quatuor voluminibus, cum exquiſitis Pauli et Aldi Manutiorum commentariis: itidem praeclara nec vbiuis obuia editio. Apud SCIOPPIVM *n*) male audiunt editiones Venetae, vbi *Ciceronis*, inquit, *editiones Venetae recentiores flammis aboleri*

l) Confer. ſup. §. 20. circa fin. *m*) Poggius Florentinus Aſconium primus in Heluetia, in monaſterio S. Galli, inuenit: Aldus Manutius poſtea typis impreſſit, quantum potuit, accuratiſſime. *n*) In ſyllabo Latinae linguae, paradoxis literariis adiecto.

oleri debebant, cruces vero figi typographis, vt documento sint aliis, ne tam deformem Veneto nomini maculam imprimant. Sed quam ille tam acerbi iudicii cauſſam habuerit, ex orbe literato dicere nemo potuit. Certe non ſugillare putant Aldi vel Pauli Manutiorum editiones, quorum ille primus opera Ciceronis iunctim edidit: hic vero inter praecipuos Ciceronis emendatores et commentatores omnium conſenſu numerari meruit. *o*) Prodierunt etiam iunctim Ciceronis opera *Pariſiis* 1522. fol. duobus voluminibus apud Badium Aſcenſium, 1543. ſeq. 8. octo volumin. apud Robertum Stephanum. 1555. fol. duobus volumin. apud Carolum Stephanum, editio nitida et luculenta. 1566. et 1584. fol. duobus volum. ex recenſ. Dionyſii Lambini. 1573. 8. novem volum. ex recenſione Lambini. *Lugduni* 1540. 8. 1548. 1559. 1571. 12. nouem volum. apud Sebaſt. et Anton. Gryphios, ex recenſ. Joh. Michael. Bruti. 1577. fol. 2. volum. ex recenſione Dionyſii Lambini. *Baſileae* 1528. fol. 2. volum. editio Cratandri. 1534. fol. 2. volum. Heruagiana. 1540. fol. 2. volum. ex recognitione Ioach. Camerarii cum Petri Victorii caſtigationibus. *Geneuae* 1596. 4. typorum minuto charactere ex recenſione Dionyſii Gothofredi, cuius in Ciceronem index BARTHIO *p*) ita placuit, vt multis eum Nizolianis praeſtantiorem habeat. *Argentorati* 1540. 1557. 1564. 1574. 8. nouem volum. ex recenſione Ioh. Sturmii: quibus Schori theſaurus Ciceronianus reſpondet. 1581. 8. nouem volum. ex recenſione Dionyſii Lambini.

§. XXXVI.

Decimo ſeptimo, a recuperata ſalute generis humani, ſeculo

o) Confer. MORHOFIVS polyhiſt. lit. l. 4. c. 11. §. 7. *p*) Aduerſ. l. 50. c. 9.

ſeculo Ciceronis opera vulgata ſunt *Hamburgi* 1618. fol. 2. volum. ex recognitione et cum notis Iani Guilelmii et Iani Gruteri, editio luculenta ſuisque capitibus diſtincta, quae ceteris facile palmam eripit. Adiectus eſt operi index, cui titulus: penu Tullianum decem cellis ſeu indicibus expromens, quicquid vſpiam diuitiarum in Ciceronis opibus habetur. *Geneuae* 1608. et 1624. 8. 2. volum. typorum minuto charactere, ex edit. Lambini. 1643. 4. cum annot. Lambini et Gothofredi. *Baſileae* 1682. 4. *Francofurti* 1609. 8. 10. volum. *Pariſiis* 1666. fol. e recenſ. Dionyſii Lambini. *Londini* 1681. fol. 2. volum. cum notis Iani Guilielmi et Iani Gruteri, neglecta capitum diſtinctione, quam in Hamburgenſi editione laudamus. *Amſtelodami* 1658. 12. decem volum. editio Blaeuiana. Tandem Ioh. Georg. Graeuius, abſolutiſſimam, Ciceronis editionem per partes ſibi adornandam ſumſit: et publicae luci dedit Amſtelodami 1677. et 1693. 8. duobus volum. epiſtolas Ciceronis ad familiares cum ſuis animaduerſionibus et notis integris P. Victorii, Pauli Manutii, Hier. Ragazonii, Dionyſii Lambini, Fuluii Vrſini, ſelectis Ioh. Frid. Gronouii, Bernhardi Rutilii, Iani Gebhardi, aliorum, et ineditis Mureti atque Valeſii. Ibid. 1684. 8. duobus voluminibus epiſtolas ad Atticum cum notis integris P. Victorii, Pauli Manutii, Malaeſpinae, Lambini, Fuluii Vrſini, Sim. Boſii, Franc. Iunii et Popmae, ineditis Iſ Caſauboni, Mureti et I. F. Gronouii, ſelectis Corradi et aliorum. Ibid. 1688. 8. libros de officiis cum ſuis notis et animaduerſionibus integris Lambini, Fulu. Vrſini, Car. Langii, Franc. Fabricii et Aldi Manutii, ſelectis Mureti, Rachelii et aliorum. Ibid. 1699. 8. Orationes ſex volum, cum ſuis animaduerſionibus et ſcholiis Q. Aſconii

Pediani ad MSS. emendatis, et anonymi veteris scholiastae, notisque integris Francisci Hottomanni, Dionysii Lambini, Fuluii Vrsini, Pauli Manutii, selectis Faerni, Mureti, Lauredani siue Sigonii, Nicolai Abrami et aliorum, ineditis Iac. Menardi in sex priores orationes et Ioh. Passeratii excerptis. Vtinam Graeuio et reliquas operum partes, qua instituit, methodo et cura insigni dare licuisset. *Lugduni Batauorum* 1642. 12. decem volum. editio Elzeuiriana. 1661. 4. cum notis var. accurante Cornelio Schreuelio. 1692. 4. duobus volum. ex recensione Iacobi Gronouii. Ille scilicet summus literator omnes male putat, in recudendis operibus Ciceronis, textum Gruterianum secutos esse, quem pro mendosissimo habet: ac inde occasionem arripuit nouam Ciceronis editionem, cum variis codicibus MSS. collatam, et emendatam a se publicandi. Praeter Gruteri et Guilielmii notas etiam suas adiecit; orationibus vero totum Asconii Pediani commentarium, et anonymum scholiasten addidit. Eiusdem editio ibidem eodemque anno forma minori, quinque voluminibus.

§. XXXVII.

Nostro seculo, quod est post Christum natum decimum octauum, opera Ciceronis omnia prodierunt *Amstelodami* 1724. fol. 2. volum. 4to quatuor volum. et 8uo sedecim volum. apud Wetstenios cum Asconio et scholiaste veteri, notis integris P. Victorii, I. Camerarii, F. Vrsini, et selectis P. Manutii, D. Lambini, I. Guilielmi et Iani Gruteri, Ioh. Frid. et Iacobi Gronouiorum, I. G. Graeuii et aliorum, Isaacus Verburgius recensuit et variantes lectiones apposuit. q)

CAPVT

q) Quid ille vir doctissimus noua Ciceronis editione praestiterit, vide Actis Eruditorum Lipsiensibus 1725. Mas. num. I. Neuen Zeitungen von gelehrten Sachen 1725. num. 43. pag. 411. seqq.

CAPVT III.
De Iure confultis.

§. I.

STudium iuris atque fori cum arte oratoria fuit coniunctum. 2. *Ex omnibus recenfendi, quorum hodie in corpore iuris fragmenta quaedam fuperfunt.* 3. *Quintus Mutius Scaeuola* 4. *quantus fuerit Ciceronis et Velleii elogio difcimus.* 5. *Scripta atque ex illis fragmenta notantur.* 6. *Quis Aelius Gallus.* 7. *Quid ex fcriptis illius fuperfit.* 8. *De Antiftio Labeone* et 9. *eius fcriptis.* 10. *De Publio Alfeno Varo eiusque* 11. *fragmentis.*

§. I.

Cum Pereximia dicendi peritia,, et fori ftudio, quod his temporibus maximum et incomparabile fuit, non potuit non effe coniuncta veteris et noui iuris prudentia: haec enim, ad res in omni cauffarum genere legitima ratione gerendas atque decidendas omnino neceffaria, quotidie dabatur vfui, et omnibus ita videbatur effe commendata: vt raro vel nunquam, nifi ea probe inftructi et imbuti, ad orandum prodire inftituerint. Certe iuris ad facta quaelibet applicandi negotium apud Graecos, Athenis praefertim, oratoribus datum fuit: qui dum cauffas agebant, leges obfcuras aut incertas explicabant ex vfu; eoque omnem ingenii vim conferebant, vt iudicis voluntatem ac populares affectiones ad clientum rerumque fuarum vtilitatem traducerent. Romae vero munus legum interpretandarum longe grauius atque fanctius fuit: vbi ad hoc tantum admitteban-

 tur,

tur, quibus summa doctrinae ac virtutis opinio auctoritatem non vulgarem tribuerat: vt nulla lucri cupiditate, sed ciuium iuuandorum studio id agere viderentur. *a*) Ab initio quidem e collegio pontificum legum latarum interpretationem, tanquam oracula, petebant. Deinde ad respondendum se applicabant publice, qui spectata fide et auctoritate ceteros in ciuitate anteibant. Vnde maximus ciuili Romae iuri dabatur honos: vt scientia haec praeclara peculiaris propemodum Romanis, vel ab istis inuenta esse videretur. Profecto iure consultis aeque ac oratoribus summisque exercituum ducibus in rep. gradus potiores patebant. Egregie de hoc negotio M TVLLIVS *b*) tantam Romanorum sapientiam fuisse in iure constituendo, quanta fuit in opibus maximis imperii comparandis. *Percipietis*, inquit, *etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, et Dracone, et Solone, nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim quam sit omne ius ciuile, praeter hoc nostrum, inconditum, ac pene ridiculum. - - His de caussis dixeram, Scaeuola, iis qui perfecti oratores esse vellent, iuris ciuilis cognitionem esse necessariam. Iam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris gratiae, dignitatis, quis ignorat? Itaque vt apud Graecos infimi homines mercedula adducti ministros se praebent in iudiciis oratoribus - - sic in nostra ciuitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir,* vt

a) Inde lusus CICERONIS ad famil. lib. 1. epist. vlt. vbi Valerium iurisconsultum temere vocat, eumque, vt aliquo numero sit in ipsa ciuitate, hortatur. *b*) De oratore lib. 1. c. 44. seq.

vt ille, qui propter hanc iuris ciuilis scientiam sic appellatus a summo poeta est, egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus, multique praeterea, qui quum ingenio sibi auctore dignitatem peperissent, perfecerunt, vt in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent. et quae sequuntur. Vnde discimus, quosuis nobilissimos vel cum oratoria facultate simul iurisprudentiam coniunxisse; vel si a clamoribus fori se studio quietis in iuuentute, aut negotiorum taedio in senectute auocaret, ad ius ciuile profitendum, se tanquam in portum recepisse. Adeoque iuris consulti absque oratoria, non oratores absque iuris saltem mediocri cognitione esse potuerunt. Ecquid caussae iudicialis orationes sunt aliud, quam iuris ad facta applicatio? Cuius adeoque omnes illi debent esse gnari, qui dicendo valent propemodum et actores coram iudicibus verba facere solent. Huc ergo referendi sunt, quos in prima huius tractationis rhapsodia ex magno oratorum numero recensere instituimus.

§ II.

Sed ex professo hac aetate etiam alii, vt sua nomina immortalitati consecrarent, de legibus et iurisprudentia libros vulgarunt. At ego minime nunc id ago, vt Iuris fata et historiam prosequar. Iliada post Homerum scriberem. Circa eamdem aut similem materiam, post operas POMPONII, virorum quorumque maximorum, et hos inter GOTHOFREDI, EBERLINI, HOFTERMANNI, GRAVINAE, STRVVII, HOFMANNI, RVTILII, BERTRANDI, GROTII, non vulgaria vulgo innotuerunt merita. Nuper etiam ABR. WIELINGIVS Antecessor Franequeranus celeberrimus, ac politioris doctrinae Vir amantissimus fidem fecit publice fore vt systematis historicae iurisprudentiae cum orbe literato communicare insti-

instituat: suique adeo laboris exspectationem ac desiderium excitauit: ille ipse, qui iam tum eximia quaedam in iurisprudentia restituta de istis commentatus est. Ego saltem hoc capite faciam illorum mentionem, qui sua Latinitatis monumenta aeuo felicissimo dederunt: ex quibus aurea passim fragmenta etiamnum prostant in digestis atque Romani, quod ciuile vocant, Iuris corpore, mortalibus concesso: vt quo pertineant, constare possit, ac suis quaequae locis restituantur.

§. III.

Primus omnium, quorum fragmenta supersunt, est QVINTVS MVTIVS SCAEVOLA, *c)* Pontifex Maximus, *d)* Publii filius, qui tribunatum plebis gessit, et cum L. Licinio Crasso Consul fuit anno ab vrbe condita DCLIX. *e)* Tunc legem tulit, ne non ciuis pro ciue haberetur: quae de peregrinis lex Mutia Licinia dicta est. Hinc TVLLIVS: *f)* *male*, inquit, *qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eosque exterminant - - nam esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere, quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus et Scaeuola.* Proconsul Asiam menses nouem rexit ea integritate, vt, teste ASCONIO, prouincia decedenti quaedam festa totius Asiae populi in eius honorem constituerint, quae *Mutia* dicerentur. Neque ista sustulit Mithridates in Asia,

c) Vitam Q. Mutii Scaeuolae ex professo descripserunt BERNARDINVS RVTILIVS viris ICtorum cap. 27. IOH. BERTRANDVS de Iurisperitis l. 1. c. 3. GVIL. GROTIVS de vitis ICtorum cap. 8. *d)* Dictus ad differentiam alius *Q. Mutii Scaeuolae Auguris*, qui etiam summus ICtus, Ciceronis praeceptor et consul fuit. De confusione personarum apud Pomponium in variis Scaeuolis vide COCCEIVM §. 40. et 41. l. 2. ff. de origine iuris. *e)* Vid. fasti consulares ad h. a. *f)* De officiis l. 3. c. 11.

Afia, quum eam prouinciam totam occupaffet. g) Atque etiam poft haec, quafi virtus omnis vnius viri effet imitatio, quisquis prouinciam recte adminiftraffet, Scaeuola dicebatur; et illius adminiftratio ex S. C. magiftratibus ceteris in prouinciam proficifcentibus pro exemplo atque forma proponebatur. Vnde fiebat, vt multi prouinciarum rectores ex edicto Mutiano multa in fuum transferrent. Cum ita prouinciae totius colligeret beneuolentiam fuaque auctoritate publicanorum rapacitatem coerceret, in offenfionem iftorum venit adeo, vt in eum virum omnibus ingenio, iuftitia, integritate praeftantem, afpere et ferociter et libere dictitarent omnia. h) Apud centum viros in iudicio Marci Curii et Marci Coponii acute ac vehementer pro iuris fubtili ratione pugnauit contra L. Craffum, pugnantem pro aequitate aduerfus iuris feueritatem. Quaeftio erat, an fubftitutus poftumo, fi is ante moreretur, quam in fuam tutelam veniffet, eo non nato, fuccederet. Scaeuola verbis fe continebat minime ferens vt duo cafus fub vno inuoluerentur, et nondum natus haberetur pro mortuo. Craffus vero contendebat, fubftitutum, mortuo filio, eadem voluntate vocari, eo non nato. Atqui ea fententia obtinuit ac feueritas aequitati ceffit. i) Cum poftulaffet aliquando, vt fibi fundus, cuius emtor erat, femel indicaretur, idque venditor ita feciffet, dixit fe pluris aeftimare. et addidit centum millia. k) Cum L. Craffo, viro confulari et cenforio adeo coniuncte vixit, vt praeter tribunatum, quem anno

g) Vid. Cicer. act. Verr. 4. c. 21. h) Cicero orat. pro Plancio cap. 13. Ad famil. lib. 1. epift. 10. circa finem. al. epift. 9. i) Cicero de oratore lib. 1. c. 39. de claris oratoribus cap. 52. k) Idem de officiis l. 3. c. 15.

no poſt quam Craſſus geſſit, & cenſuram, quam nemo vtique Scaeuolarum petiit, omnes cum Craſſo magiſtratus geſſerit. Cum Sullanis faueret partibus, fraudeque obſeſſi patres in ſenatu occiderentur, ipſe fugiens, aram Veſtae complexus eſt: vbi Caii Fimbriae hominis audaciſſimi & inſaniſſimi iuſſu vulneratur; et cum non omnem ſpiritum exhalaſſet, et Fimbria comperiſſet, eum poſſe viuere, diem illi apud populum dixit, ac rogatus, quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate, ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſet? vt erat furioſus, reſpondit: quod non totum telum corpore recepiſſet. Scaeuola vero cum partes ſuas extra vrbem ſequi potuiſſet, martem praeoptauit, vt conſilium ſuum in diſcordiis componendis populo praeberet; neue armatus ad moenia patriae obuerſaretur. *l)* Sic LVCANVS: *m)*

- - *Truncos lacerauit Fimbria Craſſos.*
Saeua tribunitio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectum violatae Scaeuola dextrae
Ante ipſum penetrale deae, ſemperque calentes
Mactauere focos: parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit iugulo, flammisque pepercit.

Quamuis Scaeuola noſter ſe nemini ad docendum daret, conſulentibus tamen reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat: quem ipſe Tullius audiuit, ac iuris ciuilis peritiam ſibi non vulgarem comparauit. *n)* Atque etiam illius familiaritate, tanquam ex communi iurisprudentiae ſchola Gallus

l) Vid. CICERO orat. pro Roſcio cap. 12. De nat. Deor. l. 3. c. 32. Liu. epit. 86. VELLEIVS hiſt. l. 2. c. 26. FLORVS lib. 3. cap. 21. *m)* Pharſ. lib. 2. *n)* CICERO de claris oratoribus cap. 89.

lus Aquilius, Lucilius Balbus, Sex. Papyrius, Caius Iuuentius, insignes alii eius aetatis Iure consulti prodierunt.

§. IV.

Summam ipsius eloquentiam prudentiamque Iuris Tullius saepe meminit, nunquam vero satis praedicare potuit. Cum dixerit pro Coponio, actione illius, inquit, nihil politius, aut elegantius, aut omnino melius exspectari aut fieri vnquam potuisse. *o*) Alibi *p*) hunc aequalem et collegam suum hominem vocat omnium et disciplina iuris ciuilis eruditissimum, et ingenio prudentiaque acutissimum, et oratione maxime limatum atque subtilem, atque vt dicere solitus esset, iuris peritorum eloquentissimum, eloquentium juris peritissimum. Alibi *q*) eum habet pro temperantiae prudentiaeque specimine. Et cum pro Roscio caussam diceret *r*) eius meminit, vt viri sanctissimi atque ornatissimi ciuitatis, de cuius laude neque locum esse vt multa dicantur, nec plura dici posse, quam populus Romanus memoria retineat. VELLEIO PATERCVLO *s*) diuini humanique iuris auctor vocatur.

§. V.

Quintus Mutius scripsit *librum singularem* ὅρων, *t*) ex quo desumtae sunt leges 64. de acquirendo rerum dominio. *v*) l. 8. de aqua cottidiana et aestiua *x*) l. 241. de verb. signif. *y*) l. 73. de diuers. reg. Iuris. *z*) Vulgauit etiam *libros*

o) CICERO de claris orat. cap. 52. *p*) De oratore l. 1. c. 39. *q*) De natura Deor. c. 32. *r*) Orat. pro Roscio c. 12. *s*) Hist. l. 2. c. 26. *t*) ὅροι sunt notationes, siue definitiones. ALCIATVS vero incomment. ad l. 241. de verb. sign. ex fide antiquorum codicum per ω hoc vocabulum esse scribendum existimat, vt ὥροι sint annales. Confer. celeberr. WIELINGIVS iurispr. restituta p. LXXXIV. *v*) Pandect. lib. 41. tit. 1. *x*) lib. 43. tit. 20. *y*) lib. 50. tit. 16. *z*) lib. 50. tit. 17.

bros decem et octo, quibus POMPONIVS *a*) ius ciuile constitutum esse scripsit: forte quod artem aliquam et ordinem primus ad eam doctrinam adiunxerit. Quod EBERLINVS *b*) multis rationibus impugnat. *Ex libro secundo iuris ciuilis* sunt digestorum leges 3. pr. de penu legata. *c*) l. 27. pr. de auro, argento, mundo etc. legatis. *d*) l. 55. pr. de legatis & fideicommissis 3. *e*) *Ex libro decimo quarto* l 30. pro socio. *f*) Citatur absque notatione libri l. 2. §. 41. 42. et 43. de origine iuris. *g*) l. 4. §. 1. de vsu et habitatione. *h*) l. 1. §. 11. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. *i*) l. 31. et 39 ad legem Aquiliam. *k*) l. 5. §. 2. commodati. *l*) l 48. mandati. *m*) l. 11. pro socio *n*) l. 59 et 66. §. 2. de contrahenda emtione. *o*) l. 13. pr. de indiem addictione. *p*) l. 75. de euictionibus et duplae stipulatione. *q*) l. 3. pr. de tutelis. *r*) l. 35. §. 3. de heredibus instituendis. *s*) l. 7. de annuis legatis et fideicommissis. *t*) l. 9. §. 2. de optione vel electione legata. *v*) l. 3. §. 6. et 9. de penu legata. *x*) l. 19. §. 9. l. 33. l. 34. pr. §. 1. et 2. de auro, argento, mundo et ornamentis legatis. *y*) l. 7. pr. et l. 18. de conditionibus et demonstrationibus etc. *z*) l. 1. §. 3. de aqua et aquae pluuiae arcendae *sc. actione*. *a*) l. 61. pr. de manumissis testamento. *b*) l. 29. §. 1. de statu liberis. *c*) l. 23. pr. de liberali caussa. *d*) l. 3. §. 23. de acquirenda vel amittenda possessione. *e*) l. 1. §. 5. l. 5. §. 8. 9. et 10. quod vi aut clam. *f*) l. 115. §. 2. de verborum obligatione. *g*) l. 76. §. 1.

a) l. 2. §. 41. de origine iuris. *b*) De origine iuris cap. 40. n. 5. p. m. 326. *c*) L. 33. t. 9. *d*) L. 34. t. 2. *e*) Lib. 32. *f*) L. 17. t. 2. *g*) L. 1. t. 2. *h*) L. 7. t. 8. *i*) L. 9. t. 1. *k*) 9. 2. *l*) 13. 16. *m*) 17. 1. *n*) 17. 2. *o*) 18. 1. *p*) 18. 2. *q*) 21. 2. *r*) 26. 1. *s*) 28. 5. *t*) 33. 1. *v*) 33. 5. *x*) 33. 9. *y*) 34. 2. *z*) 35. 1. *a*) 39. 3. *b*) 40. 4. *c*) 40. 7. *d*) 40. 12. *e*) 41. 2. *f*) 43. 24. *g*) 45. 1.

§. 1. de furtis. *h*) l. 3. de captiuis et de postliminio, et redemtis ab hostibus. *i*) l. 17. de legationibus, *k*) l. 25. §. 1. et l. 98. §. 1. de verborum significatione. *l*) *Seruius in notatis Mucii* citatur l. 30. pro socio. *m*) l. 29. §. 1. de legatis et fideicommissis 3. *n*) l. 39. pr. de statu liberis. *o*) l. 25. §. 1. de verborum significatione. *p*) Citatur etiam Q. Scaeuola pontifex maximus a Cicerone *q*) quod summam vim esse dixerit in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur ex fide bona, fideique bonae nomen existimarit manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitae societas contineretur. In his magni esse statuere praesertim quum in plerisque iudicia essent contraria, quid quemque cuique praestare oporteret. Alibi *r*) *postliminium* notat Scaeuolae iunctum esse verbum, vt sit in eo et post, et limen: vt quae a nobis alienata sunt, quum ad hostem peruenerint, et ex suo tanquam limine exierint, hinc quum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. VARRO: *s*) *pontifices* Scaeuolae nostro dictos esse a *posse* et *facere:* quos ipse mauult a *ponte* deriuare. A. GELLIVS *t*) ex libro eius de iure ciuili sextodecimo haec verba posuit: *Quod cui seruandum datum est, si id vsus est; siue, quod vtendum acceperit, ad aliam rem atque acceperit vsus est; furti se obligauit.* Idem *v*) iurisiurandi meminit, quod a Q. Mutio pontifice maximo conceptum in arrogando dici consueuerit.

h) 47. 2. *i*) 49. 15. *k*) 50. 7. *l*) 50. 16. *m*) 17. 2. *n*) Lib. 32. *o*) Lib. 40. tit. 7. *p*) 50. 16. *q*) De officiis l. 3. c. 17. *r*) Topic. cap. 8. *s*) De lingua Latina l. 4. c. 15. *t*) Noct. Attic. l. 7. c. 15. *v*) Lib. 5. cap. 19.

§. VI.

LVCIVS *x*) AELIVS GALLVS a POMPONIO, vbi veteres iureconsultos recenset, silentio praetermittitur: forsan ex nulla alia ratione, quam quod magis Grammaticae, quam sacrae Themidi operas nauarit. Confundendus non est cum *Gallo* poeta et Aegypti praefecto, qui primus Romanorum arma in Arabiam intulit, atque *Aelius* a STRABONE *y*) et PLINIO *z*) nominatur: cum verius isti nomen *Cornelii* fuerit: quod suo loco pluribus demonstratum iuimus. Neque vel ex hoc capite IOH. BERTRANDVS *a*) quis fuerit ausus est iudicare. Mihi, si quid video, hic L. Aelius non diuersus esse videtur ab *L. Aelio* Grammatico, qui et *Praeconinus* et *Stilo* fuit cognominatus. *b*) Certe, quem A. GELLIVS *c*) *L. Aelium Stilonem* vocat: ille apud VARRONEM *d*) est *Aelius Gallus*. Nec abludunt cetera. Varronis praeceptor erat, cuius auctoritate tantus Latinae linguae commentator saepe vsus est: *e*) et ipsum Tullium bonis artibus

x) Aliis vocatur *Cajus*, quod putant, sic vulgo apud GELLIVM noct. Attic. l. 16. c. 5. et MACROBIVM Saturn. l. 6. c. 8. ex literarum collisione *Cecilium* scribi pro *C. Aelio*, vid. ANTON. AVGVSTINVS de nominibus propriis pandectarum p. 16. GVIL. GROTIVS de vitis ICtorum l. 1. c. 9. §. 16. et ABR. WIELINGIVS, Antecessor Franequeranus politissimus Iurisprudentia restituta pag. LXXII. Sed iste librariorum error nihil mihi videtur probare: et pari modo apud eundem GELLIVM l. 1. c. 18. ex *L. Aelio* factus est *Laelius*. *y*) Geogr. l. 2. 16. et 17. confer. huius tractationis pars prima c. 4. §. 5. pag. 275. *z*) Hist. natur. l. 6. c. 28. *a*) De iurisperitis l. 1. c. 39. *b*) Vid. SVETONIVS de illustr. Gramm. c. 3. PLINIVS hist. nat. l. 33. c. 1. Et huius tractationis pars prima c. 5. §. 11. *c*) Noct. Attic. l. 10. c. 21. *d*) De lingua Latina l. 5. c. 7. *e*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 16. c. 8. confer. EBERLINVS de origine iuris pag. 309.

tibus instituit. Vtrumque summus orator *f*) disertis verbis testatur: *Fuit is*, L. Aelius, *omnino vir egregius, et eques Romanus cumprimis honestus, idemque eruditissimus et Graecis literis et Latinis, antiquitatisque nostrae, et in inuentis rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicauit.* Breui post: *his scriptis etiam ipse interfui, quum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose solerem.* A. GELLIVS non sine eruditionis insigni elogio illius mentionem facit, *doctissimum tunc ciuitatis hominem* et cum Varrone *literis ornatissimum g*) vocat. Mox *hominem eruditissimum. h*) Rursum *doctissimum eorum temporum. i*) Referente TVLLIO *k*) Stoicus esse voluit; sed oratorem esse nec studuit vnquam, nec ipse orator fuit. Scripsit tamen orationes, quas alii dicerent. Et Cicero miratur, Cottam summum oratorem, minimeque ineptum, Aelianas leues oratiunculas voluisse existimari suas. Etiam Cottae rogatu scripsit pro lege varia. *l*) Praeterea commentarium de proloquiis fecit, sui magis admonendi, quam aliorum docendorum gratia. *m*)

§. VII.

Inprimis vero notamus Aelium Gallum nostrum scripsisse de verborum, quae ad ius pertinent, significatione: ex cuius libro primo sumta est lex 157. de verborum significatione. *n*) Idem citatur libri neque addito nomine, neque

f) CICERO de claris orat. cap. 56. *g*) Noct. Attic. l. 1. c. 18. et l. 16. c 8. *h*) Lib. 3. cap. 3. *i*) Lib. 10. cap. 21. *k*) De clar. orat. c. 56. *l*) Haec CICERO l. c. *m*) GELLIVS l. 16. c. 8. *n*) Digest. lib. 50. tit. 16.

que numero l. 19. pr. de vſuris et fructibus: *o*) et l. 77. de verborum ſignificatione. *p*) Varro *q*) eum reprehendit, quod verborum antiquorum Graecorum, perinde atque eſſent Latina, falſas reddiderit cauſſas: exempli gratia ſecundum illius inſtitutionum dici *leporem*, quod eſt *leuipes*: cum illud vocabulum ſit antiquum Graecum. Alibi eius auctoritatem ſequitur: vt ſint *puticulae*, quod puteſcebant ibi cadauera proiecta: *r*) *intempeſtiuum* dici, cum tempus agendi eſt nullum *s*) Aelius Gallus *nouiſſimum* vt nimium nouum verbum vitabat. *t*) Ex Aelii libro ſecundo de ſignificatione verborum, quae ad ius ciuile pertinent, A. GELLIVS *v*) notat *veſtibulum eſſe non in ipſis aedibus, neque partem aedium, ſed locum ante ianuam domus vacuum; per quem a via aditus acceſſusque ad aedes eſt.* etc. Ex libro primo FESTVS: *x*) *poſtliminium receptum eſſe eum, qui liber ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatem redit eo iure, quod conſtitutum eſt de poſtliminiis. Item qui ſeruus a nobis in hoſtium poteſtatem peruenit, poſtea ad nos, redit in eius poteſtatem, cuius antea fuit, iure poſtliminii*, etc. Ex libro ſecundo: *y*) *Reus eſt qui cum altero litem conteſtatam habet, ſiue is egit, ſiue cum eo actum eſt.* Item *z*) *Saltus eſt vbi ſiluae et paſtiones ſunt* et quae ſequuntur. Item *a*) *aquam ipſam, quae fluit, flumen dici.* Et libro non adſcripto: *b*) *poſſeſſio eſt vſus quidam agri, aut aedificii, non ipſe fundus aut ager.* §.VIII.

o) 22. 1. *p*) 50. 16. *q*) Apud GELLIVM noct. Attic. l. 1. c. 18. *r*) VARRO de lingua Latina lib. 4. cap. 5. *s*) Lib. 5. cap. 2. *t*) VARR. lib. 5. c. 7. GELLIVS l. 10. c. 21. Huius tract. pars prima cap. 5. §. 11. *v*) Noct. Attic. l. 16. c. 5. Ita etiam MACROBIVS Saturnal. lib. 6. cap. 8. *x*) In verb. *poſtliminium*. *y*) In verbo *reus*. *z*) In verb. *ſaltum*. *a*) In verb. *torrens*. *b*) In verb. *poſſeſſio*.

§. VIII.

ANTISTIVS LABEO *c)* nobilissima familia ortus, patrem habuit eiusdem nominis, qui socius fuit Bruti in Caesaris caede, eiusdemque breui post in obitu infelicissimo comes. *d)* Nam cum exercitum ab Antonio fusum, Ducesque Brutum et Cassium voluntaria morte interemtos, suumque nomen inter suspiria Bruti exspirantis sonuisse, audiret: turpe sibi reputans amicorum fato ac libertatis vindicibus superesse, caput seruo truncandum praebuit. Hic vir iurisprudentia et fortitudine in tuenda libertate patria illustris cum ingenio excellenti summum libertatis amorem in filium transfudit: vt ciuibus oppressis atque patriae dicundo iure ac in fide constantia plurimum prodesset. Neque adduci potuit, vt communi rerum naufragio seruile illius aetatis ingenium susciperet, aut imperio reique publicae inhianti Augusto cum ceteris adularetur: cui potius, quoquo fieri potuit modo, resistere conabatur. Vnde HORATIVS *e)* in Augusti gratiam eum non dubitauit insanum vocare.

- - *Labeone insanior*, inquit, *inter*
Sanos dicatur? quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est.

Et Ateius Capito: *f) agitabat hominem libertas quaedam nimia atque vecors, vsque eo vt D. Augusto iam principe et remp.*

c) Antonius Augustinus, Eberlinus, ceteri eum praenomine vocant *Quintum Antistium Labeonem.* At Celeberr. WIELINGIVS Iurisprudentia restituta pag. LXXX. contendit *Marci* praenomen ipsi fuisse, ex veteri scholiaste Horatii ad lib. 1. Sat. 3. vers. 82. vbi corrupte *Martius* scribitur. *d)* APP. de bello ciuili lib. 4. *e)* Sermon. lib. 1. Satyr. 3. *f)* Apud GELLIVM noct. Attic. l. 13. c. 12.

g) Teste

remp. obtinente, tantum (lege *ratum*) *tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* Senatus lectione, cum vir virum legeret, Labeo veritus non est legere M. Lepidum, quamuis Augusti inimicum atque tum exulantem; et interrogatus ab Augusto, an essent alii digniores, *suum*, inquit, *quemque iudicium habere. g*) Atque insuper: *non videri sibi rem indignam hanc a se factam, quod eum virum in Senatu retinuisset, quem ipse Augustus adhuc pateretur esse pontificem maximum. h*) Augustus enim hunc olim triumuirum, ceteris ornamentis exutum, pontificatu priuare nondum ausus fuerat: vt principem hoc responso deliniuerit. Cum aliquando in senatu esset prolatum, conuenire, vt Augustum ipsi per ordinem singuli custodirent: Labeo neque contradicere, neque assentiri voluit; atque somnolentum se, et excubiis pro eo agendis inhabilem esse, dixit. *i*) Hanc libertatem aut contumaciam fraudi cuiquam fuisse TRANQVILLVS *k*) negat. Neque tamen isthanc Labeoni multum profuisse constat: cui Octauianus Caesar Augustus, egregius simulator, in Consulatus petitione Ateium Capitonem studiorum illius aemulum et laudis obtrectatorem praetulit. Ita TACITVS: *l*) *Capito Ateius - - principem in ciuitate locum studiis ciuilibus assecutus. Consulatum ei accelerauerat Augustus, vt Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem dignitate eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebra-*

g) Teste SVETONIO Aug. cap. 54. *h*) DIO lib. 54. pag. 326. in pr. *i*) DIO loc. cit. *k*) Aug. cap. 54. *l*) Annal. lib. 3. cap. 75. confer. DIO lib. 39.

lebratior: Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra ſtetit, commendatio ex iniuria; huic, quod conſulatum adeptus eſt, odium ex inuidia oriebatur. Sunt tamen, qui ſcribunt *m*) conſulatum et illi ab Auguſto fuiſſe oblatum, ſed illum quo ſuffectus fieret. honorem ſuſcipere noluiſſe. In demortui enim locum ſuffici ominoſum fuiſſe aiunt. *n*) Sic intra praeturam ſe continuit, ac virtutis laude ipſum conſulatum anteiuit. Nam plurimum ſtudiis operam dedit, et totum annum ita diuiſit, vt Romae ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet; reliquum ſemeſtre anni ſpatium ſecederet, et libris conſcribendis vacaret. *o*) Et tantae quidem auctoritatis in vrbe fuit, vt cum acerrime de recipiendo codicillorum vſu certaretur; illius exemplum omnes alios ad ſe traxerit. Poſtquam enim Labeo illis fuit vſus, nemo de codicillorum auctoritate dubitauit. Iuris ciuilis diſciplinam principali ſtudio exercuit, atque conſulentibus de iure publice reſpondit: neque expers fuit ceterarum bonarum artium; et in Grammaticam, dialecticam literasque antiquiores altioresque penetrauit. Latinarum vocum origines rationesque percalluerat: eaque ſcientia praecipue ad enodandos plerosque iuris laqueos vtebatur. *p*) Hinc legum atque morum populi Romani iurisque ciuilis doctus apprime fuit; *q*) ſuaque ſcientia et miro ingenii acumine ſublatus, longe ſibi plus indulſit, quam Iureconſulti, qui ante ipſum fuerunt: nam extra veterum traditionum fines euagatus, ſuffudit ius ciuile nouis luminibus, eaque

m) VT POMPONIVS l. 2. D. de orig. iur. §. 47. *n*) Confer. EBERLINVS de orig. iur. p. 356. *o*) Teſte POMPONIO l. c. *p*) Vid. AVLVS GELLIVS noct. Attic. lib. 13. cap. 10. *q*) Teſte Ateio Capitone apud A. GELLIVM noct. Attic. lib. 13. cap. 12.

prioribus nondum ausa tentauit. Ex eius nouitate doctrinae peculiaris iurisprudentiae schola extitit, et quasi noua secta ab illa diuersa, quam Ateius Capito instituit. *r)* Cum praeter humanum, etiam diuini iuris esset peritissimus; duos distinxit deorum ordines, malorum alterum, qui hominum aerumnis, alterum bonorum, qui ludis et voluptatibus placarentur: quod a Stoica et Platonica doctrina retulerat. *s)*

§. IX.

Scripsit multa, quamuis de numero librorum non conueniant. Apud Pomponium in aliquibus codicibus quadraginta volumina, in Cuiaciano vero quadringenta leguntur. Libri post mortem eius editi *posteriores* inscribuntur: quorum tres continui XXXVIII. XXXIX. et XL. pleni fuerunt id genus rerum ad enarrandam et illustrandam linguam Latinam conducentium. Praeterea in libris, quos ad Praetoris edictum scripsit, multa posuerat partim lepide atque argute reperta. *t)* In digestis memorantur libri octo *Pithanon*, ex quorum *primo* desumtae sunt l. 53. de actionibus emti et venditi. *v)* l. 62. locati, conducti. *x)* l. 29. de instructo, vel instrumento legato *y)* Ex libro *secundo* l. 34. depositi. *z)* l. 25.

r) POMPONIVS l. 2. ff. de orig. Iur. §. 47. *s)* AVGVSTINVS de ciuitate Dei lib. 2. cap. 77. lib. 8. cap. 13. Vitam Antistii Labeonis ex professo descripserunt BERNARDINVS RVTILIVS vitis ICtorum cap. 47. IOH. BERTRANDVS de Iurisperitis l. 1. cap. 7. GVIL. GROTIVS de vitis Iurisconsultorum l. 1. cap. 11. §. 12. *t)* Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 10. Vbi ex. gr. *soror* dicitur, quod quasi seorsim nascitur; separatur ab ea domo, in qua nata est, et in aliam familiam transgreditur. Vt Nigidio *frater* est dictus, quasi fere alter. *v)* Digest. l. 19. 1. *x)* 19. 2. *y)* 33. 7. *z)* 16. 3.

l. 25. de hereditate, vel actione vendita. *a)* l. 54. de actionibus emti et venditi. *b)* Ex libro *tertio* l. 42. de statu liberis. *c)* Ex libro *quinto* l. 22. de auctoritate et consensu tutorum. *d)* Ex libro *sexto* l. 65. §. 4. de acquirendo rerum dominio. *e)* Ex libro *posteriorum quarto* est l. 42. de liberali caussa. *f)* l. 13. §. 5. et 6. l. 17. §. 5. de heredibus instituendis. *g)* Ex libro *nono* l. 3. §. 2. de penu legata. *h)* Ex libro *trigesimo septimo* l. 9. §. 3. de dolo malo. *i)* Ex libro *trigesimo octauo* l. 9. §. 2. et 6. ad legem Iuliam peculatus. *k)* Citatur etiam, posteriorum libro non adscripto l. 2. §. 1. de vsu et habitatione. *l)* l. 6. pr. de condictione indebiti. *m)* l. 65. §. 5. pro socio. *n)* l. 45. de contrahenda emtione *o)* l. 47. de damno infecto. *p)* l. 21. pr. de statu liberis. *q)* Ex Labeonis Pithanon a Paulo epitomatorum libris desumtae sunt, *primo* l. 21. si seruitus vindicetur. *r)* l. 10. de lege Rhodia de iactu. *s)* l. 35. de pignoribus et hypothecis. *t)* l. 31. de legatis et fideicommissis. *v)* l. 13. de dote praelegata. *x)* l. 5. de instructo vel instrumento legato. *y)* l. 51. de bonis libertorum. *z)* l. 41. de statu liberis. *a)* Ex libro *secundo* l. 67. de donationibus inter virum et vxorem. *b)* l. 91. de furtis. *c)* Ex libro *tertio* l. 20. de vi, et de vi armata. *d)* Ex libro *quarto* l. 78 de rei vindicatione. *e)* l. 12. de suppellectile legata. *f)* l. 28. de captiuis et de postliminio reuersis. *g)* l. 144. de verborum significatione. *h)* Ex libro *quinto* l. 9. de nautico foenore. *i)*

V 3 l. 49.

a) 18. 4. *b)* 19. 1. *c)* 40. 7. *d)* 26. 8. *e)* 41. 1. *f)* 40. 12. *g)* 28. 5. *h)* 33. 9. *i)* 4. 3. *k)* 48. 13. *l)* 7. 8. *m)* 12. 6. *n)* 17. 2. *o)* 18. 1. *p)* 39. 2. *q)* 40. 7. *r)* 8. 5. *s)* 14. 2. *t)* 20. 1. *v)* 3. 32. *x)* 33. 4. *y)* 33. 7. *z)* 38. 2. *a)* 40. 7. *b)* 24. 1. *c)* 47. 2. *d)* 43. 16. *e)* 6. 1. *f)* 33. 10. *g)* 49. 15. *h)* 50. 16. *i)* 22. 2.

l.49.de vsurpationibus et vsucapionibus. *k*) l.23.de acceptilatione. *l*) Ex libro *sexto* l.79. de rei vindicatione. *m*) l.84 de iure dotium. *n*) l. 65.de acquirendo rerum dominio. *o*) l.23.de exceptionibus, praescriptionibus et praeiudiciis. *p*) l.91. de solutionibus et liberationibus. *q*) l.29. de captiuis et de postliminio reuersis. *r*) Ex libro *septimo* l. 28. de probationibus et praesumtionibus. *s*) Ex libro *octauo* l. 30. de captiuis et postliminio reuersis. *t*) Ex Labeonis posteriorum a Iauoleno epitomatorum libris desumtae sunt, *primo* l. 2. qui testamentum facere possunt. *v*) l. 9. de vulgari et pupillari substitutione. *x*) Ex libro *secundo* l. 20. de conditionibus institutionum. *y*) l.29. et 30. de legatis et fideicommissis. *z*) l. 17. de annuis legatis et fideicommissis. *a*) l. 31. de vsu et vsufructu etc. per legatum datis. *b*) l.6. de dote praelegata. *c*) l. 20. de optione vel electione legata. *d*) l. 22. de peculio legato. *e*) l. 31. de auro, argento, mundo etc. legatis. *f*) l. 14. vt in possessionem legatorum etc. *g*) Ex libro *tertio* l. 30. quando dies legatorum cedat. *h*) Ex libro *quarto* l. 19. de seruitutibus. *i*) l.78. de contrahenda emtione et venditione. *k*) l. 24. de hereditate vel actione vendita. *l*) l. 50. de actionibus emti et venditi *m*) l. 28. et 58. locati, conducti. *n*) Ex libro *quinto* l. 80. de contrahenda emtione. *o*) l. 51. de actionibus emti et venditi. *p*) l. 60. locati, conducti. *q*) l. 14. quibus modis pignus vel hypotheca soluitur. *r*) Ex libro *sexto* l. 43. de negotiis gestis. *s*) l. 33. depositi. *t*) l. 84. pro socio. *v*) l. 79. de iure dotium

k) 41.4. *l*) 46 3. *m*) 6.1. *n*) 23.3. *o*) 41.1. *p*) 44.1. *q*) 46.3. *r*) 49. 15. *s*) 22.3. *t*) 49. 15. *v*) 28.1. *x*) 28.6. *y*) 28.7. *z*) 3.32. *a*) 33.1. *b*) 33 12. *c*) 33.4. *d*) 33.5. *e*) 33.8. *f*) 34.2. *g*) 36,4. *h*) 36.2. *i*) 8 1. *k*) 18.1. *l*) 18.4. *m*) 19.1. *n*) 19.2. *o*) 18.1. *p*) 19.1. *q*) 19.2. *r*) 20.6. *s*) 3.5. *t*) 16.3. *v*) 17.2.

dotlum. *x*) l. 65. de donationibus inter virum et vxorem. *y*) Ex libro *primo ad edictum* l. 1. §. 5. de fugitiuis. *z*) Libri quarti A. GELLIVS *a*) meminit. Ex *libris epistolarum b*) l. 30. §. 1. de vsurpationibus et vsucapionibus. *c*) Ex libro *trigesimo Praetoris peregrini* l. 9. §. 4. de dolo malo. *d*) Ex libro *primo Praetoris vrbani* l. 19. de verborum significatione. *e*) Libro non indicato citatur l. 7. pr. de receptis. *f*) l. 2. §. 44. et 47. de origine iuris. *g*) l. 34. de adoptionibus et emancipationibus. *h*) l. 7. §. 1. de senatoribus. *i*) l. 6. de iurisdictione. *k*) l. 1. §. 3. si quis ius dicenti non obtemperauerit. *l*) l. 4. §. 3. et l. 11. de in ius vocando. *m*) l. 1. §. 1. si ex noxali caussa agatur. *n*) l. 2. §. 4. et l. 9. §. 1. si quis cautionibus non obtemperauerit. *o*) l. 1. §. 1. l. 4. §. 2. l. 6. §. 3. de edendo. *p*) l 2. pr. l. 7. §. 10. et 14. l. 25. §. 1. l. 27. pr. de pactis. *q*) l. 1. §. 5. de postulando. *r*) l. 2. §. 5. l. 4. §. 4. et l. 8. de his, qui notantur infamia. *s*) l. 33. pr. et l. 43. §. 6. de procuratoribus et defensoribus. *t*) l. 3. §. 9. l. 6. §. 3. et 6. l. 10. §. 1. l. 19. §. 2. de negotiis gestis. *v*) l. 9. pr. l. 14. §. 6. et 9. quod metus caussa gestum erit. *x*) l. 1. §. 2. et 6. l. 7. §. 3. 6. et 7. l. 11. §. 1. l. 13. §. 1. l. 20. pr. et l. 21. de dolo malo. *y*) l. 13. §. 1. l. 16. §. 1. l. 45. pr. de minoribus. *z*) l. 9. l. 13. pr. l. 17. §. 1. l. 2. §. 2. l. 26. §. 4. et 6. l. 28. §. 3. et 4. ex quibus caussis maiores viginti quinque annis in integrum restituuntur.

---

x) 23. 3. *y*) 24. 1. *z*) 11. 4. *a*) Noct. Attic. l. 13. c. 10. *b*) Sunt, qui Labeonem epistolarum librum edidisse non arbitrantur; sed in nomine erratum, ac pro Iaboleno Labeonem scriptum fuisse. vid. EBERHARDVS de origine Iuris pag. 361. *c*) 41. 3. *d*) 4. 3. *e*) 50. 16. *f*) 4. 8. *g*) 1. 2. *h*) 1. 7. *i*) 1. 9. *k*) 2. 1. *l*) 2. 3. *m*) 2. 4. *n*) 2. 9. *o*) 2. 11. *p*) 2. 13. *q*) 2. 14. *r*) 3. 1. *s*) 3. 2. *t*) 3. 3. *v*) 3. 5. *x*) 4. 2. *y*) 4. 5. *z*) 4. 4.

tur. a) l. 3. pr. l. 15. l. 17. §. 1. l. 19. pr. l. 25. pr. et §. 2. l. 27. §. 1. de receptis. b) l. 1. §. 4. l. 3. §. 1. nautae, caupones, ſtabularii, vt recepta reſtituant. c) l. 19. §. 3. de iudiciis. d) l. 18. pr. de hereditatis petitione. e) l. 1. §. 4. ſi pars hereditatis petatur. f) l. 13. l. 15. pr. et l. 19. de rei vindicatione. g) l. 7. §. 1. l. 12. pr. l. 13. §. 7. l. 15. §. 3. et l. 21. de vſu fructu. h) l. 13. quibus modis vſusfructus vel vſus amittitur. i) l. 1. pr. ſi vſus fructus petatur. k) l. 2. §. 1. l. 10. §. 4. l. 12. §. 1. 2. et 6. et l. 13. de vſu et habitatione. l) l. 10. et l. 24. de ſeruitutibus praediorum rusticorum. m) l. 2. §. 3. l. 4. §. 2. l. 6. §. 2. ſi ſeruitus vindicetur. n) l. 17. quemadmodum ſeruitutes amittuntur. o) l. 2. §. 2. l. 5. §. 2. l. 7. §. 5. l. 9. pr. l. 23. §. 4. l. 27. §. 35. l. 29. §. 3. ad legem Aquiliam. p) l. 5. §. 4. l. 6. §. 1. de his, qui effuderint vel deiecerint. q) l. 24. l. 26. §. 5. de noxalibus actionibus. r) l. 4. §. 3. l. 22. pr. familiae erciſcundae. s) l. 4. §. 3. l. 6. §. 6. et 7. l. 19. §. 4. communi diuidundo. t) l. 7. §. 7. l. 11. §. 1. et l. 15. ad exhibendum. v) l. 8. pr. l. 14. §. 3. 12. 13. 15. et 16. l. 32. §. 1. de religioſis et ſumtibus funerum. x) l. 42. §. 1. de rebus creditis. y) l. 41. de iureiurando. z) l. 15. de condictione cauſſa data. a) l. 4. §. 3. de condictione ob turpem vel iniuſtam cauſſam b) l. 6. §. 1. de condictione indebiti. c) l. 2. §. 8. de eo, quod certo loco dari oportet. d) l. 3. §. 2. et l. 27. de pecunia conſtituta. e) l. 1. §. 1. l. 5. §. 12. et 14. l. 17. §. 5. commodati. f) l. 3. de pigneratitia actione. g) l. 2. §. 3. de lege Rhodia de iactu. h) l. 5. §. 2. 7. 8. et 9. de inſtitoria actione. i) l. 5. §. 7. et

a) 4. 6. b) 4. 8. c) 4. 9. d) 5. 1. e) 5. 3. f) 5. 4. g) 6. 1. h) 7. 1. i) 7. 4. k) 7. 6. l) 7. 8. m) 8. 3. n) 8. 5. o) 8. 6. p) 9. 2. q) 9. 3. r) 9. 4. s) 10. 2. t) 10. 3. v) 10. 4. x) 11. 7. y) 12. 1. z) 12. 2. a) 12. 4. b) 12. 5. c) 12. 6. d) 13. 4. e) 13. 5. f) 13. 6. g) 13. 7. h) 14. 2. i) 14. 3.

7. et 13. l. 7. §. 4. l. 9. §. 2. de tributoria actione. k) l. 3. §. 1. et 12. l. 6. l. 7. §. 5. et l. 43. de peculio. l) l. 1. §. 10. quando de peculio actio. m) l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. 5. et 6. l. 7. §. 3. et 4. de in rem verso. n) l. 1. §. 9. quod iussu. o) l. 13. de compensationibus. p) l. 1. §. 14. 38. et 41. depositi. q) l. 8. pr. l. 10. §. 8. 9. 10. l. 22. §. 10. mandati. r) l. 60. pr. et §. 1. l. 65. §. 1. et 5. pro socio. s) l. 21. l. 34. pr. l. 50. l. 77. l. 79. de contrahenda emtione. t) l. 13. pr. et l. 14. §. 1. de in diem addictione. v) l. 2. §. 17. de hereditate vel actione vendita. x) l. 1. §. 2. l. 17. de periculo et commodo rei venditae. y) l. 6. §. 4. l. 11. §. 3. l. 13. §. 22. l. 17. §. 7. l. 42. de actionibus emti & venditi. z) l. 11. §. 4. l. 13. §. 1. 7. 8. l. 19. §. 1. et 4. l. 57. locati conducti. a) l. 1. §. 1. l. 17. §. 1. l. 19. pr. l. 20. pr. et §. 2. de praescriptis verbis. b) l. 1. pr. l. 17. §. 12. 14. et 15. l. 47. pr. l. 64 pr. et §. 1. et 2. de aedilicio edicto. c) l. 5. l. 51. §. 4. de evictionibus et duplae stipulatione. d) l. 2. de nautico foenore. e) l. 9. §. 2. et 3. de iuris et facti ignorantia. f) l. 9. de sponsalibus. g) l. 18. l. 41. §. 4. l. 80. de iure dotium. h) l. 19. §. 1. l. 32. §. 27. l. 64. de donationibus inter virum et vxorem. i) l. 18. pr. l. 22. §. 6. l. 64. §. 9. l. 66. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. soluto matrimonio dos quemadmodum petatur. k) l. 1. §. 3. de impensis in res dotales factis. l) l. 13. l. 19. de actione rerum amotarum. m) l. 33. de testamentaria tutela. n) l. 5. §. 2. de legitimis tutoribus. o) l. 1. §. 4. et 5. de tutelae et rationibus distrahendis. p) l. 3. pr. de contraria tutelae et vtili actione. q) l. 2.

k) 14. 4. l) 15. 1. m) 15. 2. n) 15. 3. o) 15. 4. p) 16. 2. q) 16. 3. r) 17. 1. s) 17. 2. t) 18. 1. v) 18. 2. x) 18. 4. y) 18. 6. z) 19. 1. a) 19. 2. b) 19. 5. c) 21. 1. d) 21. 2. e) 22. 2. f) 22. 6. g) 23. 1. h) 23. 3. i) 24. 1. k) 24. 3. l) 25. 1. m) 25. 2. n) 26. 2. o) 26. 4. p) 27. 3. q) 27. 4. r) 27.

l. 2. et l. 9. §. 1. quod falso tutore auctore gestum esse dicatur. r) l. 25. et l. 27. qui testamentum facere possunt. s) l. 6. pr. de liberis et postumis heredibus instituendis. t) l. 9. § 14. l. 13. pr. et §. 5. et 7. l. 17. pr. et §. 4. l. 20. §. 1. l. 21. pr. l. 29. l. 59. pr. l. 64. de heredibus instituendis. v) l. 39. pr. de vulgari et pupillari substitutione. x) l. 7. §. 2. l. 11. de iure deliberandi. y) l. 27. l. 60. l. 62. pr. et l 73. de acquirenda vel omittenda hereditate. z) l 1 §. 12. si quis omissa caussa testamenti, ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem. a) l. 1. §. 17. de senatusconsulto Silaniano. b) l. 5. §. 1. l. 12. pr. l. 30. §. 2. l. 36. pr. l. 47. §. 6. de legatis et fideicommissis 1. c) l. 11. pr. l. 49. §. 2. de legatis et fideicommissis 2. d) l. 19. pr. et §. 1. 2. 3. 4. l. 43. l. 52. §. 8. l. 65. pr. l. 85. l 86. l. 100. pr. et §. 1. 3. 4. de legatis et fideicommissis. 3. e) l. 17. pr. de annuis legatis. f) l. 30. pr. et l. 41. de vsu et vsufructu per legatum datis. g) l. 7. pr. et §. 1. l. 16. pr. et §. 2. de tritico, vino, vel oleo legato. h) l. 4. l. 12. § 3 et 4 l. 25. pr. et §. 1. l. 26. pr. et §. 1. de instructo, vel instrumento legato. i) l. 8. §. 5. de peculio legato. k) l. 3. §. 3. l. 4. §. 5. de penu legata. l) l. 7. pr. l 10. l. 11. de supellectile legata. m) l. 32. §. 1. et 6. l. 39. pr. et §. 1. de auro, argento, mundo, legatis. n) l 6. §. 1. l. 8. l. 39. §. 1. l. 40. §. 2. 4. 5. l. 69. de conditionibus et demonstrationibus. o) l. 12. §. 1. l. 22. §. 1. quando dies legatorum cedat. p) l. 3. §. 1. de bonorum possessionibus. q) l. 8. §. 11. de bonorum possessione contra tabulas. r) l. 1. §. 28. de ventre in possessionem mittendo. s) l. 9.

r) 27. 6. s) 28. 1. t) 28. 2. v) 28. 5. x) 28. 6. y) 28. 8. z) 29. 2. a) 29. 4. b) 29. 5. c) Lib. 30. d) Lib. 31. e) Lib. 32. f) 33. 1. g) 33. 2. h) 33. 6. i) 33. 7. k) 33. 8. l) 33. 9. m) 33. 10. n) 34. 2. o) 35. 1. p) 36. 2. q) 37. 1. r) 37. 4. s) 37. 9.

l. 9. de carboniano edicto. *t*) l. 10. de iure patronatus. *v*) l. 8. pr. l. 36. de operis libertorum. *x*) l. 1. §. 1. vnde cognati. *y*) l. 6. pr. de gradibus et affinibus. *z*) l. 3. §. 2. l. 20. §. 8. l. 21. §. 5. 6. 7. de operis noui nunciatione. *a*) l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. l. 15. §. 10. 15. 24. 32. 33. 34. 35. l. 24. §. 2. 3 4. 5. 11. l. 30. §. 1. de damno infecto. *b*) l. 1. §. 7. 17. 18. 20. 21. 22. l. 2. §. 1. 2. 5 6. 7. 8. 9. 10. l. 3. §. 3. l. 4. pr. l. 5. l. 10. §. 2. l. 19 de aqua et aquae pluuiae arcendae actione. *c*) l. 4. pr. de publicanis et vectigalibus. *d*) l. 18. §. 3. l. 19. §. 1. l. 35. §. 2. de donationibus. *e*) l. 26. de manumiſſionibus. *f*) l. 41. §. 2. de manumiſſis teſtamento. *g*) l. 3. §. 2. et 11. l. 8. §. 1. l. 29. §. 1. l. 39. pr. et §. 1. 2. 3. et 4. de ſtatu liberis. *h*) l. 22. §. 5. de liberali cauſſa. *i*) l. 19. l. 26. §. 1. et 3. l. 28. de acquirendo rerum dominio. *k*) l. 1. pr. l. 3. §. 5. et 17. l. 6. §. 1. l. 30. §. 2. l. 51. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione. *l*) l. 4. §. 7. et 10. l. 8. pr. l. 32. §. 2. de vſurpationibus et vſucapionibus. *m*) l. 4. §. 3. de re iudicata. *n*) l. 7. 10. quibus ex cauſſis in poſſeſſionem eatur. *o*) l. 12. pr. l. 15. §. 1. de rebus auctoritate iudicis poſſidendis. *p*) l. 6. §. 6. 10. 12. l. 10. §. 10. l. 25. §. 1. et 6. quae in fraudem creditorum facta ſunt, vt reſtituantur. *q*) l. 3. §. 9. de tabulis exhibendis. *r*) l. 2. §. 3. 13. 15. 26 28. 40. 41. et 42. ne quid in loco publico vel itinere fiat. *s*) l. 1. §. 12. 16. 17. et 22. de fluminibus. *t*) l. 1. §. 13. ne quid in flumine publico fiat. *v*) l. 1. §. 7. vt in flumine publico nauigare liceat. *x*) l. 1. §. 29. de vi, et de vi armata. *y*) l. 3. §. 4. 6. et 7. vti poſſidetis. *z*)

t) 37. 10. *v*) 37. 14. *x*) 38. 1. *y*) 38. 8. *z*) 38. 10. *a*) 39. 1. *b*) 39. 2. *c*) 39. 3. *d*) 39. 4. *e*) 39. 5. *f*) 40. 1. *g*) 40. 4. *h*) 40. 7. *i*) 40. 12. *k*) 41. 1. *l*) 41. 2. *m*) 41. 3. *n*) 42. 1. *o*) 42. 4. *p*) 42. 5. *q*) 42. 8. *r*) 43. 5. *s*) 43. 8. *t*) 43. 12. *v*) 43. 13. *x*) 43. 14. *y*) 43. 16. *z*) 43. 17.

l. 3. pr. et §. 16. de itinere actuque priuato. *a)* l. 1. §. 12. 13. 16. et 27. de aqua cottidiana et aestiua. *b)* l. 2. l. 3. §. 1. et 2. de riuis. *c)* l. 1. §. 8. 9. l. 2. de cloacis. *d)* l. 1. §. 9. 10. 11. l. 5. pr. et §. 1. 9. 13. l. 7. §. 4. l. 11. pr. l. 13. §. 1. 2. 5. l. 15. §. 1. 2. l. 22. §. 3. quod vi aut clam. *e)* l. 8. §. 1. 7. l. 22. §. 1. de precario. *f)* l. 1. §. 2. de arboribus caedendis. *g)* l. 3. §. 14. de homine libero exhibendo. *h)* l. 1. §. 4. de migrando. *i)* l. 15. §. 2. de diuersis temporalibus praescriptionibus. *k)* l. 4. §. 1. 3. 5. 7. 13. 15. 19. de doli mali et metus exceptione. *l)* l. 67. §. 1. l. 137. §. 7. de verborum obligatione. *m)* l. 20. §. 1. de stipulatione seruorum. *n)* l. 19. et l. 95. §. 7. de solutionibus et liberationibus. *o)* l. 8. §. 2. de acceptilatione. *p)* l. 8. §. 2. et l. 15. ratam rem haberi. *q)* l. 1. pr. l. 23. l. 25. §. 1. l. 50. §. 4. l. 52. §. 11. l. 90. pr. de furtis. *r)* l. 1. §. 1. et l. 3. si is, qui testamento liber esse iussus erit. *s)* l. 6. si familia furtum fecisse dicetur. *t)* l. 1. et l. 3. §. 5. et 6. arborum furtim caesarum. *v)* l. 2. §. 20. l. 3. l. 4. §. 2. et 3. de vi bonorum raptorum. *x)* l. 3. §. 2. et 7. de incendio, ruina, naufragio. *y)* l. 1. §. 1. et 7. l. 5. §. 5. l. 7. §. 1. 4. 8. l. 13. §. 4. 5. l. 15. pr. et §. 3. 6. 7. 16. 17. 26. 39. 42. 46. l. 17. §. 2. 7. l. 27. et l. 44. de iniuriis et famosis libellis. *z)* l. 3. §. 9. de sepulchro violato. *a)* l. 1. pr. de praeuaricatione. *b)* l. 23. pr. ad legem Iuliam de adulteriis coërcendis. *c)* l. 4. §. 1. ad legem iuliam de vi priuata. *d)* l. 1. §. 1. de iure fisci. *e)* l. 27. de captiuis et de postliminio reuersis. *f)* l. 5. ad municipalem

a) 43. 19. *b)* 43. 20. *c)* 43. 21. *d)* 43. 23. *e)* 43. 24. *f)* 43. 26. *g)* 43. 27. *h)* 43. 29. *i)* 43. 32. *k)* 44. 3. *l)* 44. 4. *m)* 45. 1. *n)* 45. 3. *o)* 46. 3. *p)* 46. 4. *q)* 46. 8. *r)* 47. 2. *s)* 47. 4. *t)* 47. 6. *v)* 47. 7. *x)* 47. 8. *y)* 47. 9. *z)* 47. 10. *a)* 47. 12. *b)* 47. 15. *c)* 48. 5. *d)* 48. 7. *e)* 49. 14. *f)* 49. 15.

lem et de incolis. *g*) l. 5. §. 1. l. 14. pr. l. 29. l. 38. l. 43. l. 45. l. 53. §. 2. l. 60. §. 1. l. 116. l. 194. l. 245. §. 1. de verborum significatione. *h*) Scripsit quoque *commentarios in XII. tabulas*, ex quibus legem de virgine vestali A. GELLIVS *i*) citat. Ex illorum libro secundo idem notat, *k*) acria et seuera iudicia de furtis habita esse apud veteres. Porro composuit *commentarium in ius pontificium*: ex *libro illius nono* FESTVS *l*) *proculinant* ait promittunt significare. *Ex libro decimo* idem *m*) *spurcum* esse vinum, quod sacris adhiberi non licet, cui aqua admixta est, defrutumue, aut igne tactum est, mustumue ante, quam deferuescat. *Ex libro undecimo*: *n*) *prox*, bona vox, ipsi esse videtur. *Ex libro decimo quinto*: *o*) *fana sistere* esse lectisternia certis locis et diis habere. Librum etiam *de officio auguris* scripsisse idem FESTVS *p*) testatur.

§. X.

PVBLIVS ALFENVS *q*) VARVS Cremonensis, vel ideo praestantissimus omnium, quod sola doctrina ad summam dignitatem prouectus est: iure consultus et Romae consul ex sutore *r*) factus. Mira namque animi magnitudine sutrinam abiicit, quam exercuerat in municipio suo, Romamque venit. Vbi se tradidit in Seruii Sulpitii disci-

 plinam

g) 50. 1. *h*) 50. 16. *i*) Noct. Attic. l. 1. c. 12. Atque etiam illorum meminit l. 20. c. 1. *k*) Lib. 7. cap. 15. *l*) In v. *proculinant*. *m*) In v. *spurcum*. *n*) In v. *prox*. *o*) In v. *sistere fana*. *p*) In verbo *remisso exercitu*. *q*) Scribitur ab aliis *Alphenus* ab aliis *Alfinius*, vt ab vetere interprete Horatii ad l. 1. sat. 3. v. 130. qui integre *Alfinium Varum Cremonensem* vocat. *r*) Errat ALEX. AB. ALEXAND. Genial. Dier. l. 6. c. 23. vbi Alfenum ab adolescentia tonstrinam exercuisse dicit.

plinam. *s*) Ex ea per insignes virtutes ac iuris non vulgarem scientiam tandem euasit ad Consulatum: *t*) quem tertio post natum seruatoris nostri anno, ab V. C. DCCLIV. cum P. Vinitio gessit. Atque mortuus honore sumtuque publico elatus est. Ludit inde HORATIVS: *v*)

- - - Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Quo?
Vt quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator: vt Alfenus vafer, omni
Abiecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat, et quae sequuntur.

Noui aliorum et Celeberrimi WIELINGII, Antecessoris Franequerani et fautoris mei sententiam: qui Iureconsultum nostrum opinantur fuisse plane diuersum ab sutore illo Cremonensi, quem Horatius ludit. *x*) Sed vt quid ego sentiam ingenue fatear: aliud hucusque mihi persuadere non potui. De meliori testabitur olim huius Vari vita, quam D. OTTO, Vir Excellentissimus et in hoc studiorum genere princeps breui cum orbe literato communicare promisit. *y*) Neque ego definio, an sit ille, cuius nomine CATVLLVS, sub persona Ciceronis exulantis, abutitur: cum propter nimiam potentiam non fuerit ausus Pompeium nominare. *z*) *Alfeni*

s) Hinc A. GELLIVS noct. Attic. l. 6. c. 5. Alfenum Iurisconsultum vocat Sulpitii discipulum, rerumque antiquarum non incuriosum. *t*) Confer. POMPONIVS l. 2. ff. de orig. Iur. §. 44. vbi etiam monet, plurimum auctoritatis habuisse. *v*) Sermon. lib. 1. satyr. 3. confer. ad h. l. ACRON et PORPHYRION veteres interpretes. *x*) Vid. WIELINGII not. ad indicem quartum ICtorum alphabet. *Iurisprudentia restituta* pag. LXXIII. *y*) Vid. praefat. elegant. tom. 1. thesaur. Iur. Rom. p. 13. *z*) Quae sententia est EBERLINI de orig. Iuris p. 340.

Alfeni alicuius etiam in vita Virgilii DONATVS vel TRANQVILLVS, et in oratione pro Quinctio TVLLIVS noster meminit. Sic quoque in historia non ignobilis fuit *Alfenus Varus* sub Vitellio Imperatore praefectus Praetorii. Viderint alii, qui sit ille Alfenus ICtus, qui Alexandri Seueri temporibus vixit? *a*) vtrum Papiniani discipulus? Et si quae alia forsan illis antiquitas veneranda monstrabit. Victori facile concedam.

§. XI.

P. Alfenus Varus noster scripsit libros quadraginta Digestorum, ex quorum *secunda* desumtae sunt leges 17. si seruitus vindicetur. *b*) l. 5. si quadrupes pauperiem fecit. *c*) l. 52. ad legem Aquiliam. *d*) l. 26. communi diuidundo. *e*) l. 16. de seruo corrupto. *f*) l. 16. de in rem verso *g*) l. 11 de periculo et commodo rei venditae. *h*) l. 26. de actionibus emti et venditi. *i*) l. 27. locati conducti. *k*) l. 43. de damno infecto. *l*) l. 14. de exceptionibus. *m*) l. 20. de obligationibus et action bus. *n*) l. 202. de verborum significatione. *o*) Ex libro *quarto* l 6. de manumissionibus. *p*) l. 14. de statu liberis. *q*) Ex libro *quinto* l. 42. ex quibus caussis maiores viginti quinque annis in integrum restituantur. *r*) l. 44 de heredibus instituendis *s*) l. 14. de peculio legato. *t*) l. 2. de his, quae pro non scriptis habentur. *v*) l. 27 de conditionibus et demonstrationibus. *x*) Ex libro *sexto* l. 76. de iudiciis. *y*) l. 57. de rei vindicatione. *z*) Ex libro *septimo* l 50. de rece-

a) Teste LAMPRIDIO Alex. Seu. cap. 68 *b*) Digest. l. 8. tit. 5. *c*) 9. 1. *d*) 9 2. *e*) 10. 3. *f*) 15. 3. *g*) 18. 6. *h*) 18 6. *i*) 19. 1. *k*) 19. 2. *l*) 39. 2. *m*) 44. 1. *n*) 44. 7. *o*) 50. 16. *p*) 40. 1. *q*) 40. 7. *r*) 4. 6. *s*) 28. 5. *t*) 33. 8. *v*) 34. 8. *x*) 35. 1. *y*) 5. 1. *z*) 6. 1.

receptis. *a)* l. 29. locati conducti. *b)* l. 28. de auro, argento, mundo legatis. *c)* l. 26. de operis libertorum. *d)* l. 15. de publicanis et vectigalibus. *e)* l. 7. de manumissionibus. *f)* l. 203. de verborum significatione. *g)* Ex libro *trigesimo quarto* fragmentum est apud A. GELLIVM. *h)* Ex Alfeni Vari libris digestorum a Paulo epitomatorum, siue libris epitomarum desumtae sunt *primo* l. 34. de vsurpationibus et vsucapionibus. *i)* l. 3. de interdictis et relegatis. *k)* Ex libro *secundo* l. 44. de euictionibus. *l)* l. 45. de heredibus instituendis. *m)* l. 106. de legatis et fideicommissis 1. *n)* l. 60. de legat. et fideic. 3. *o)* l. 22. de annuis legatis. *p)* l. 12. de vsu et vsufructu per legatum datis. *q)* l. 16. de instructo, vel instrumento legato. *r)* l. 15. de peculio legato. *s)* l. 35. de solutionibus et liberationibus. *t)* Ex libro *tertio* l. 30. locati conducti. *v)* l. 23. de praescriptis verbis. *x)* l. 19. de pactis dotalibus. *y)* l. 8. de fundo dotali. *z)* l. 38. de donationibus inter virum et vxorem. *a)* l. 6. de supellectile legata. *b)* Ex libro *quarto* l. 45. de euictionibus. *c)* l. 24. de aqua et aquae pluuiae arcendae actione. *d)* l. 38. de acquirendo rerum dominio. *e)* l. 57. de furtis. *f)* Ex libro *quinto* l. 31. locati conducti. *g)* Ex libro *sexto* l. 62. de re iudicata. *h)* Ex libro *octauo* l. 61. de legatis et fideicommissis. 3. *i)* l. 40. de vsu et vsufructu per legatum. *k)* Citatur quoque Varus numero aut nomine libri non adscripto l. 2.

§. 44.

a) 4. 8. *b)* 19. 2. *c)* 34. 2. *d)* 38. 1. *e)* 39. 4. *f)* 40. 1. *g)* 50. 16. *h)* Noct. Attic. l. 6. c. 5. *i)* Digest. l. 41. tit. 3. *k)* 48. 22. *l)* 28. 2. *m)* 28. 5. *n)* Lib. 30. *o)* Lib. 32. *p)* 33. 1. *q)* 33. 2. *r)* 33. 7. *s)* 33. 8. *t)* 46. 3. *v)* 19. 2. *x)* 19. 5. *y)* 23. 4. *z)* 23. 5. *a)* 24. 1. *b)* 33. 10. *c)* 21. 2. *d)* 39. 3. *e)* 41. 1. *f)* 47. 2. *g)* 19. 2. *h)* 42. 1. *i)* Lib. 32. *k)* 33. 2.

§. 44. de origine iuris. *l)* l. 5. §. 3. de rei vindicatione. *m)* l. 8. §. 5 si seruitus vindicetur. *n)* l. 29. §. 4 ad legem Aquiliam. *o)* l. 65. §. 8. pro socio. *p)* l. 18. §. 1. de contrahenda emtione. *q)* l. 74. de legatis et fideicommissis 2. *r)* l. 29 §. 2. de legatis et fideicommissis 3. *s)* l. 6. de dote praelegata. *t)* l. 12. §. 2. de instructo vel instrumento legato. *v)* l. 9. §. 2. de damno infecto. *x)* l. 2. §. 5. de aqua et aquae pluuiae arcendae actione. *y)* l. 10. de liberali caussa. *z)* l. 67. de solutionibus et liberationibus. *a)* l. 77. 87. et 239. § 6. de verborum significatione. *b)* AVLVS GELLIVS *c)* meminit libri *coniectaneorum* secundi; vbi quidem alii *conlectaneorum* legunt. *d)*

CAPVT IV.

De Historicis, quorum monumenta ex aetate L. L. virili supersunt.

§. I.

Studium historicum Romanis valde gratum. 2. Annales antiquiorum maximos commentariis atque tabulis diurnis continuauit. 3. Acta diurna Iulius Caesar restaurauit. 4. Tabularum diurnarum seu, vt alii censent, librorum pontificum linteorum exhibetur fragmentum. 5. De fastis Capitolinis agitur. 6. De monumento Ancyrano. 7. Historiarum

l) 1. 2. *m)* 6. 1. *n)* 8. 5. *o)* 9. 2. *p)* 17. 2. *q)* 18. 1. *r)* Lib. 31. *s)* Lib. 32. *t)* 33. 4. *v)* 33. 7. *x)* 39. 2. *y)* 39. 3. *z)* 40. 12. *a)* 46. 3. *b)* 50. 16. *c)* Noct. Attic. l C. c. 5. vbi docet, quid sit *purum putum*. *d)* Vid. BAILE in dict. critiq. voc. *Alphenus* lit. C.

rum et eloquentiae vinculum. 8. *Exornationes historicae,* 9. *Sallustii vita,* 10. *Scripta,* 11. *Imitationis ratio,* 12. *Graecismi,* 13. *Fides historica,* 14. *Vitia in sermone ipsi obiecta,* 15. *Antiquitatis studium,* 16. *Stilus.* 17. *Imitatores,* 18. 19. 20. et 21. *editiones recensentur.* 22. *De Iulii Caesaris commentariis,* 23. *obtrectatoribus et fide historica.* 24. *Qui negant istos commentarios Iulii Caesaris esse,* 25. *refutantur.* 26. *Incomparabile Caesaris ingenium et stili nitor maximus,* 27. *verba tamen quaedam insolentia admisit.* 28. *De A. Hirtio, qui* 29. *supplementa commentariorum scripsit.* 30. *De Cornelio Balbo,* 31. *Caio Oppio,* 32. *Iulii Caesaris editionibus seculo decimo quinto,* 33. *decimo sexto,* 34. *decimo septimo,* 35. *decimo octauo.* 36. *Cornelii Nepotis vita,* 37. *scripta recensentur.* 38. *Quomodo Aemili Probi nomen prae se ferant.* 39. *De scriptis Cornelii, quae non exstant,* 40. *historica fide,* 41. *stilo,* 42. *editionibus, quas habemus post Christum natum seculo decimo quinto,* 43. *decimo sexto,* 44. *decimo septimo,* 45. *decimo octauo.* 46. *Titi Liuii vita,* 47. *merita et libri historici,* 48. *alia eius scripta,* 49. *elogia veterum et* 50. *recentiorum,* 51. *Osores et ipsi obiecta Patauinitas, et in historicis mala fides recensentur.* 52. *Abstersis omnium calumniis, maxima Liuii virtus praedicatur.* 53. *Quaedam sparsit in Latinitate non vbiuis obuia.* 54. *Editiones seculi decimi quinti,* 55. *decimi sexti,* 56. *decimi septimi et* 57. *decimi octaui indicantur.*

§. I.

Summam Latinae linguae felicitatem, eamque perfectionem, quae robur virile decet, non minimum illustrauit excitatum historiae studium. Iam tum Romani sentiebant,

bant, ipsa rei experientia et vsu docti, historiam cultoribus suis insignis fructus praebere, vtpote quae *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis.* a) Adeoque hoc literarum genus sancte custodiebant suaque opera, quoad faciem induerit elegantissimam, magis et magis exornare studebant. Hinc SALLVSTIVS b) *pulchrum est*, inquit, *benefacere reip. etiam bene dicere, haud absurdum est. Vel pace, vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur.* Taceo, quod publico programmate nuper, cum Rintelensium Musis D. Kahleri funus indicerem et parentalia, demonstratum iui, Ciceronis tempore, multas mortuorum extitisse laudationes, et familiam quamque sua quasi ornamenta et monimenta seruasse, et ad vsum, si quis eiusdem generis accidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. Nam et magnus ille orator conqueritur, †) laudationibus istis historiam Romanorum mendosiorem factam: cum multa scriberentur in illis, quae facta non sint, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et ad plebem transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis genus infunderentur.

§. II.

Veterum nouimus hoc fuisse negotium, ad commu-

 nem,

a) CICERO de oratore lib. 2. cap. 9. Et POLYBIVS ab exordio historiae suae: *nulla*, inquit, *hominibus facilior ad vitae institutionem via est, quam rerum antegestarum cognitio.* Et rursus: *historiae cognitio tutissima institutio et praeparatio est ad actiones politicas, et illustris magistra ad perferendas fortunae vices.* b) Bell. Catil. praefat.
†) De claris oratoribus c. 16.

nem vtilitatem rerumque gestarum conseruandam memoriam, omnia singulorum annorum notatu maxime digna literis mandare. Quod officium erat pontificis maximi, qui omnes res in album efferebat, et domi proponebat tabulam: vt populo, quae fuerint acta, remaneret cognoscendi potestas. Hinc annales maximi, de quibus in ea dissertatione mentionem fecimus, quae pridem de pueritia Lat. linguae prostat. c) Eam scribendi similitudinem secuti sunt multi, qui sine vllis ornamentis iucunda et clara temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum monumenta, reliquerunt. d) Neque hanc scribendi rationem ipso Latinitatis maximo flore aspernabantur. e) quin passim in iudiciis et domi, publice et priuatim, diurnis vterentur tabulis, quibus suae et publicae memoriae retinendae caussa quaelibet annotare solebant. f) Inde sua diurna, seu ephemerides, fastos et annales habebant, sine ornatu ex omni elegantia conscriptos. Et iam tum suo tempore annales ab diurnis tabellis vel ex ornatus defectu distinxit TACITVS: g) vbi *pauca*, inquit, *memoria digna euenere. Nisi cui libeat, laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar adstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis vrbis actis mandare. Diurnum et Ephe-*

c) Cap. 3. §. 15. et 16. confer. ALEX. AB ALEX. Genial. dier. l. 2. c. 8. p. m. 152. cum TIRAQVELLI notatis. d) Vid. CICER. de oratore lib. 2. cap. 12. e) Sic Augustus suos vetuit loqui aut agere quicquam, nisi propalam, et quod in diurnos commentarios referretur. Teste SVETONIO Aug. cap. 64. f) TACITVS annal. lib. 16. cap. 22. n. 7. *Diurna populi Romani per prouincias, per exercitus, curatius leguntur, vt noscatur, quid Thrasea non fecerit.* g) Annal. lib. 13. cap. 31.

Ephemeris dicebatur ein Tag- oder Hand-Buch / commentarius, in quo et acta et rationes quotidianae perscribebantur. SVETONIVS *h*) *diurnos commentarios*, SENECA *i*) *quotidianum diurnum*, IVVENALIS *k*) *diurnum*, vetus scholiastes apud eundem *ratiocinium*, et A. GELLIVS *l*) *diarium* vocat. *Commentarius* vel *commentarium* generaliori voce notatur, quod in eiusmodi libro, memoriae gratia, rerum summa capita scribimus. Vt SENECA *m*) de quodam: *sine commentario nunquam dixit: nec hoc commentario contentus erat, in quo nudae res ponuntur* etc. SENECA filius: *n*) *ex commentario sapere*. VELLEIVS: *o*) *Actorum commentaria corrumpere*. *p*) *Fasti* Calender / vnde TVLLIVS: *q*) *fastorum notare dies:* non solum fuerunt libri, in quibus totius anni fit descriptio: *r*) verum etiam in quibus per totum annum res populi Romani continebantur designatae, simul atque dierum singulorum obseruationes. Itaque et qui nascebantur, eo referri solebant. *s*) Et *Annales* dicebantur rudiores commentarii rerum annalium, siue annis singulis gestarum: quos initio pontifices contexere solebant: vt supra notauimus. *t*) Ingens vero damnum historia Ro-

mana

h) August. cap. 64. *i*) Lib. 5. controu. 33. sub finem. *k*) Satyr. 6. v. 482.

- - *longi relegit transuersa diurni.*

l) Noct. Attic. lib. 5. cap. 18. *m*) In excerpt. prooem. 3. controu. *n*) Epist. 33. *o*) Hist. l. 2 cap. 60. *p*) Confer. CICERO ad famil. l. 5. epist. 12. extr. ad Attic. l. 1. epist. 16. et 17. l. 2. epist. 1. *q*) Tusc. l. 1. c. 28. *r*) FESTVS h. v. *s*) SVETONIVS Lib. cap. 5. *t*) Differentiam inter *annales* et *historias* vide apud GELLIVM noct. Attic. l. 5. c. 18. Licet veteres vtraque voce vtantur promiscue. Confer. VOSSIVS de hist. Lat. lib. 1. cap. 1. et BODINVS meth. hist. c. 1.

mana fecit: suis annalibus et aliis monumentis publicis, post vrbem anno CCCLXVI. a Gallis captam, incendio magna parte absumtis. Vnde ipse LIVIVS *v)* queritur: *quae ab condita vrbe Roma, ad captam eandem vrbem, Romani, Regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus, decemuirisque ac tribunis consularibus, gessere foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui: res cum vetustate nimia obscuras, velut quae magno ex interuallo loci vix cernuntur: tum quod perrarae per eadem tempora literae fuere, vna custodia fidelis memoriae rerum gestarum; et quod etiam, si quae in commentariis pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa vrbe pleraque interiere.*

§. III.

C. Iulius Caesar restaurator fuit actorum et commentariorum, quibus breuiter solebat inscribi, quicquid in senatu apud patres, vel etiam apud populum, dictum factumque esset. Nam, teste SVETONIO, *x)* postquam honorem iniit, *primus omnium instituit, vt tam senatus, quam populi, diurna acta conficerentur et publicarentur.* Actorum publicationem postea quidem Octauianus Augustus abrogauit: *y)* sed tamen confectio illorum mansit. Actibus conficiendis senator aliquis praeerat, *z)* quem dicebant *ab actorum cura,* vel *ab actis senatus: a)* illi vero adiuncti erant scribae ac censuales, quos ab officio etiam *actuarios b)* vocabant. Ita

CAPI-

v) Hist. Rom. l. 6. c. 1. *x)* Caesar. cap. 20. *y)* SVETON. Aug. cap. 36. *z)* SPARTIANVS Hadrian. c. 3. *post quaesturam acta senatus curauit.* *a)* Lapis vetus: C. PORCIO. C. F. QVIR. X. VIRO. STLITIB. IVDICAND. ADIECTO. INTER. QVAESTOR. AB. ACTIS. SEN. vid. I. LIPSII excursus ad Tacit. annal. l. 5. *b)* SVETON. Caes. c. 55. SENEC. epist. 23.

CAPITOLINVS *c*) taciti meminit ſenatusconſulti, *vt non ſcribae, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent; ſenatores exciperent, ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarumque complerent, ne quid forte proderetur.* Ab actibus Senatus diuerſa erant acta populi, quae dicebantur *acta publica d*) et, quod in dies conficerentur, *diurna, e*) item *vrbana*, et ἁπλῶς *acta* καὶ ἐξοχὴν: quibus continebantur res populi et rationes, iudicia publica, ſupplicia, comitia, aedificia, natiuitates morteſque illuſtrium virorum, matrimonia, et diuortia. *f*) Haec acta, curioſius a ſcribis tabellariisue confecta, in tabulario ad atrium Libertatis conſeruabantur. Vnde LIVIVS: *g*) *Cenſores extemplo in atrium Libertatis aſcenderunt: et ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, et dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotii geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.* Tabulario vetus inſcriptio *h*) quosdam curatores aſſignat:

C. CALPETANVS. STATIVS
SEX. METRORIVS
M. PERPENNA. LVRCO
T. SARTIVS. DECIANVS
CVRATORES. TABVLARIOR
PVBLICORVM. FAC. CVR.

Sed quaeſtores aerarii maximam illius curam habebant. Vnde L. Piſo deſignatus conſul noluit multam a tribunis dictam ante

c) Gordianis cap. 12. *d*) SVETON. Tib. cap. 5. *e*) TACIT. annal. l. 13. c. 31. l. 3. c. 3. l. 16. c. 22. *f*) De ſingulis vide LIPSIVM ad Tacit. annal. l. 5. excurſ. pag. 525. ſeq. *g*) Hiſt. lib. 43. cap. 16. *h*) Apud LIPSIVM l. c.

ante quatuor menses abquaestoribus aerarii in publicas tabulas referri. *i*) Et princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit. *k*) Eiusmodi acta perpetuam rerum exhibebant memoriam: quorum testimonio veteres stabant historici, *l*) rerumque gestarum laetam in illis segetem et scribendi materiam inueniebant.

§. IV.

Operae fuerit pretium, insigne tabularum diurnarum *m*) exhibere exemplum anni DLXXXV. ex perantiquo codice ab illustrissimo Comite de Carbury excerptum, et Graeuio ex Britannia missum: *n*) vt ederetur cum excerptis dierum quatuor posteriorum ex annalibus STEPHANI PIGHII *o*) qui antiquissimae huius tabulae fragmentum narrat inuentum fuisse inter schedas Ludouici Viuis, sibique communicatum a Iacobo Susio. Ex illis hoc antiquitatis pulcherrimum monumentum retulit REINESIVS in opere inscriptionum, et anonymus auctor annotationum ad Liuium edit. Oxon. 1708. 8. *p*) DODWELLVS ex apographo Vossiano edidit quoque et notis suis vberioribus illustratum praelectionibus Cambdenianis subiecit: atque aliud ineditum tabularum diurnarum fragmentum vulgauit: quod ex recensione illius et nos paulo superius *q*) cum B. L. communicare non dubitauimus.

V.K.

---

i) Apud TACITVM annal. l. 13. c. 28. *k*) Ibid. *l*) Vid. SVETON. Tib. c. 5. TACIT. annal. l. 3. c. 3. LIVIVS lib. 6. ab init. *m*) Alii censent fragmentum esse librorum pontificum linteorum; vt VOSSIVS ad Catullum. REINESIVS vero et DODWELLVS in praelectionibus Cambdenianis Oxonii 1692. 8. editis GRAEVIVS et alii habent pro reliquiis ex tabulis actorum vrbis diurnorum. *n*) Vid. GRAEVII notae ad Sueton. editione altera pag. 777. seqq. *o*) Tom. 2, pag. 378. *p*) Volum. 6. pag. 250. *q*) Huius tract. part. 2. cap. 1.

V. K. APRILEIS. *a*)
FASCES. PENES. AEMILIVM.
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
OVE. FECIT. LAVREATVS.
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. IN. HOSTILIA.
S. C. FACTVM. EST. *b*) VTI PRAETORES. *c*) EX. SVIS.
PERPETVIS. EDICTIS. IVS. DICEREN. *d*)
Q. MINVCIVS. *e*) SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI.
A. P. LENTVLO. APVD. CN. BAEBIVM. PR. VRB.
DEFENSVS. A. C. SVLPICIO.
SENTENTIIS. CONDEMNATIS. XV.
AMPLIATVS. XXXIII. *f*)

IV. K. APRILEIS. *g*)
FASCES. PENES. LICINIVM.
FVLGVRAVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN.
SVMMA. VELIA. PAVLLVM. A. MERIDIE.
RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET.
CAVPO. AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER.
SAVCIATVS.
C. TITINIVS. AED. *h*) PL. MVLCAVIT. *i*) LANIOS.
QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO.
NON. INSPECTAM.
DE. PECVNIA. MVLCATITIA. *k*) CELLA. EXSTRVCTA *l*)
AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

III. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
LAPIDIBVS. PLVIT. INVEIENTI.
POSTVMIVS. TRIB. PLEB. *m*) VIATOREM. MISIT.
AD.

a) Al. *Apriles.* *b*) *Est* a Graeuio omissum. *c*) Literis minoribus ac si restitutum. *d*) *Dicerent.* *e*) Al. *Minutius.* *f*) Al. XXXII. *g*) Al. *Apriles.* *h*) *Aedilis.* *i*) *Multauit.* *k*) Al. *Multaticia.* *l*) Al. *Extructa.* *m*) Al. PL. *n*) Al.

AD. COS. QVOD. IS. EO. DIE. SENATVM.
NOLVISSET. COGERE.
INTERCESSIONE. P. DECIMII. n) TRIB. PLEB o)
RES. EST. SVBLATA.
Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE. ARGENTARIAE.
AD. SCVTVM. CIMBRICVM. CVM. MAGNA.
VI. AERIS. ALIENI. CESSIT. FORO.
RETRACTVS. EX. ITINERE. CAVSSAM. DIXIT.
APVD. P. FONTEIVM. BALBVM. PRAET.
ET. CVM. LIQVIDVM. FACTVM. ESSET. EVM.
NVLLA. FECISSE. DETRIMENTA.
IVSSVS. p) EST. IN. SOLIDVM.
AES. TOTVM. DISSOLVERE. q)

PRID. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.
IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.
INCENDIVM. IN. CAELIOLO. INSVLAE. DVAE.
ABSVMPTAE. SOLO. TENVS. ET. r) AEDES. QVINQVE.
AMBVSTAE. QVATVOR.
DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPTVS. A.
CN. LICINIO. NERVA. LEGATO.
IN. CRVCEM. ACTVS.
VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITVM.
COS. s) SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT. t) IVVENTVTEM.
IN. CAMPO. MARTIO.

KAL. APRIL.
L. AIMILIO. v) PAVLLO. II.
C. LICINIO. x) CRASSO. COS.
PAVLLVS. COS. ET. CN. OCTAVIVS. PRAET. PALVDATI.
EGRESSI. SVNT. VRBE. IN. PROVINCIAM.
MACEDONIAM.

PRO-

n) Al. *Decimi.* o) Pl. p) Al. *ins.* q) A Graeuio omissum. r) Al. ED. s) In aliis omissum. t) Al. *adlegerunt.* v) Al. *Aemilio.* x) Al. *Glitio.*

PROFECTI. INGENTI. ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.
CV. *y)* - - - - - - - - TOTA. SACRA. VIA.
EX. AEDIBVS. - - - - - - - - VSQVE. AD.
CARINAS. ET. SACELLVM. STRENIAE.
MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.
FVNVS. MARCIAE. SEX. F. CVM. MAIORE. POMPA.
IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA. HOMINVM.
PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA.

IV. NON. APRIL.
VER. SACRVM. VOTVM. DE. PONTIFIC. SENTENTIA.
A. BAEBIO. PRAETORE.
LAVTIA. LEGATIS. AETOLIVM. *z)* DATA.
a) ᛦ ᛦ AER. *b)* GRAVIS. IN. SINGVLOS.
DIMIDIVM. EIVS. COMITIBVS.
M. AEBVTIVS. IN. PROVINCIAM. SVAM.
SICILIAM. PROFECTVS. EST.
EPVLVM. IN. FVNERE. MARCIAE. POPVLO. DATVM.
A. FILIIS. EIVS. Q. ET. L. METELLIS.
ET. LVDI. SCAENICI. FACTI.
CLASSIS. CARTHAGINIENSIS. OSTIAM. INGRESSA.
CVM. TRIBVTO.

III. NON. APRIL.
C. *c)* POPILLIVS. *d)* LAENAS. C. DECIMIVS. *e)* C. HOSTILIVS.
LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES. SYRIAE.
ET. AEGYPTI. AD. BELLVM. INTER. IPSOS.
COMPONENDVM.
LEGATI. BENE. MANE. CVM. TVRBA. CLIENTIVM.
ET. PROPINQVORVM. SACRIFICARVNT.
AD. CASTORIS. DIS. PENATIBVS. P. R.

y) *Omissum.* *z)* Al. *Aedolum.* *a)* i.e. bis dena millia. *b)* Aeris. *c)* Al. G. *d)* Al. *Popilius.* *e)* *Decimus.*

TAVRO. FECER. *f*) ET. PERLITARVNT.
PONT. MAX. - - - - - - - IN. AEDE. VESTAE.
- - - - - - - - L. L. V. V.

§. V.

Sic etiam more vetustissimo res maxime notabiles in saxis atque columnis memoriae mandarunt. *g*) Illustre illius monumentum exhibent fasti Capitolini, seu reliquiae marmorum Anno post Christum natum cIↃ IↃ XLVII. Romae repertae, et Alex. Farnesii Cardinalis auspiciis in palatio Capitolino repositae: quibus magistratuum, bellorum, triumphorum rerumque aliarum memorabilium tempora, ab anno V. C. CXX. ad annum DCCLXV. indicantur. De auctore illorum non idem omnes sentiunt. ONVPHRIVS PANVINIVS *h*) Verrium Flaccum putat auctorem fuisse ideo, quod TRANQVILLVS *i*) ait, statuam habere *Praeneste, in inferiore fori parte. contra hemicyclum: in quo fastos a se ordinatos, et marmoreo parieti incisos, publicarat.* Vti vero nomen vrbis proprium euertat *Praeneste*, Romamque fastos transferat: errorem clamat esse librariorum in textu Tranquilli, & legendum *pro Vestae* vel *pro aede Vestae*: vt statua Verrii fuerit ante Vestae templum, octaua regione, in qua forum. ANTONIVS AVGVSTINVS *pedestrem* legebat, ACHILLES STATIVS *pura veste*: *k*) vt statua Flacci veste fuerit pura et simplici, nullis argumentis ornata: nec tamen repugnat, quo minus etiam legatur *Praeneste:* fieri enim potuisse, vt etiam Praeneste, sicut Romae, Verrii ipsius fasti

f) *Fecerunt.* *g*) Vid. CAMPEG. VITRINGA obseru. sacr. lib. I. *h*) Initio fastorum. *i*) De illustr. Grammat. c. 17. confer. hujus tract. pars I. c. 5. §. 25. *k*) Vid. Suetonius Graeuii pag. 717.

fasti fuerint marmoreo parieti incisi. Contra G.I. VOSSIVS: *l*) istos aliquid dicere, si qua Verrii statua, vel hemicyclium, in quo fastos ordinarat, prope Vestae, ac iuxta forum fuisset inuentum; eruta vero ista fragmenta planam, non hemicyclii habere figuram. Adeoque retinet *Praeneste*, quod esset antiquissimum Italiae municipium, vbi suos peculiares habuerint fastos a Verrio Flacco ordinatos. Atqui etiam *hoc Praeneste*, vel *haec Praenestis*, auctore SERVIO, vrbs fuit ab Roma non plus viginti millia passuum distans. STEPHANI PIGHII opinio est, fastos capitolinos, quorum fragmenta magno historiae Romanae bono prostant, non a Verrio Flacco conscriptos, verum ab homine non indocto, post Verrii tempora ex annalibus Attici ordinatos atque confectos esse. *m*) Mihi videtur fuisse opus auctoritatis publicae, nec vnius auctoris: verum longo vsu et tempore compilatum, ac saepius restitutum. Sic apud TACITVM *n*) relatum legimus exoneratos fuisse fastos, adulatione temporum faedatos. Apud eundem, *o*) prohibitum a principe, *ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent.* Et in ipsis fragmentis vnum est, quo mentio facta ludorum secularium, quos Domitianus instituit. Post multa fata quaedam fastorum, vt diximus, fragmenta exitio suo eruta fuerunt: quae primum Francisci Robartelli cura prodierunt. *p*) Deinde Onuphrius Panuinius,

l) De histor. Latin. l. 1. c. 11. *m*) Pl. confer. VOSSIVS l. c. *n*) Hist. l. 4. c. 40. *o*) Annal. l. 3. c. 18. confer. annal. l. 3. c. 17. vbi sententiam rogatus Aurelius Cotta consul, *nomen Pisonis radendum fastis,* censuit. *p*) Venetiis 1555. 4.

us, vna cum faſtis Siculis faſtos Capitolinos vulgauit: *q)* itemque Frid. Sylburgius inter ſcriptores hiſtoriae Romanae Graecos minores. *r)* Apparent etiam in Gruteri inſcriptionibus, *s)* tomo ſecundo annalium Pighii, *t)* et volumine vndecimo theſauri antiquitatum Romanarum, quem Graeuius comparauit.

§. VI.

Exſtat quoque monumentum Ancyranum de rebus geſtis Octauiani Caeſaris Auguſti: quem vbique gentes tanti faciebant, vt aras ipſi et templa poſuerint. Hic rerum ab Auguſto praeclare geſtarum index primum editus eſt ab ANDR. SCHOTTO *v)* ex apographo Busbequiano: hinc a LEVNCLAVIO, *x)* GRVTERO *y)* ex Antonii Verantii apographo, IANO RVTGERSIO *z)* LIPSIO et CASAVBONO *a)* qui caſtigationes, coniecturas notasque ſuas adiecerunt. Cum vero Daniel Coſſonus idem monumentum paulo accuratius luſtraſſet, ac multa, quae Busbequium et Verantium eorundemue librarios fugerant, plenius et emendatius deſcripſiſſet: IACOBVS GRONOVIVS, poſt mortem illius incidens in has ſchedas, monumentum Ancyranum locupletius vulgauit et cum notis ſuis memoriae Coſſonianae ſubiecit. *b)* Enim vero nobiliſſimum hoc vetuſtatis monumentum Graecorum

q) In appendice ſuorum faſtorum Heidelbergae 1588. fol. *r)* 1590. fol. *s)* pag. CCLXXXIX. ſeq. *t)* Quos Andreas Schottus a ſe ſuppletos et illuſtratos edidit Antuerpiae 1615. fol. *v)* 1579. in Aurel. Victoris editione. *x)* In pandectis Turcicis. *y)* Inſcription. p. CCXXX. *z)* Var. lect. p. 163. ſeq. *a)* In Graeuiana Suetonii editione append. p. 78. 85. ſeqq. Vid. etiam SAM. PITISCI Aurelius Victor. Inde in variis Suetonii & Aur. Victoris editionibus. *b)* Lugd. Bat. 1695. 4. Vid. etiam CLERICVS tom. 8. bibl. ſelectae p. 328. ſeq.

corum linguae Latinae prorfus imperitorum manu fuiffe vel Romae defcriptum, vel poftea fculptum, res ipfa clamat: adeo multa funt perperam et contra omnem Latinitatem expreffa.

§. VII.

Hoc fuae linguae maximo nitore, annalibus tabulisque rudioribus Romani non acquiefcebant; verum, vt feculum erat eloquentiffimum, ex memoria rerum praeteritarum et antiquitatis confideratione, dictionis robur et auctoritatem fibi conquirebant. Eft enim res nulla, quae facultatem de vtilibus et neceffariis rebus perite fcribendi vel dicendi magis iuuat, quam hiftoriae, et faniorum hominum exempla. De quibus iam Cyrus *c*) moriturus filiis fuis praecepit: ἐκ τῶν προγεγενημένων μανθάνετε, ἄυτη γὰρ ἀρίστη διδασκαλία. *Difcite ex iis, quae antea facta funt: haec enim eft optima dicendi ratio.* LVCIANVS: *d*) *Suppeditat hiftoria materiam dicendi optimam, et faciendi, in quantum poffibile eft, imitatione optimorum, et fuga deteriorum.* Et ipfe TVLLIVS ad Brutum fcribit: *nefcire quid antequam natus fis acciderit, id eft, femper effe puerum. Quid enim eft aetas hominum, nifi cum memoria veterum, cum fuperiorum aetate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio fumma cum delectatione et auctoritatem orationi affert, et fidem.* Viciffim *e*) contendit, oratoris et eloquentiffimi hominis effe, hiftoriam fcribere, vt non vulgari modo fine omni exornatione et dicendi fuauitate procedat.

§. VIII.

c) Apud XENOPHONTEM. *d*) In libello de hiftoria fcribenda. *e*) De oratore lib. 2. cap. 12. confer. de legibus lib. 1. cap. 2.

§. VIII.

Omnem ergo impenderunt operam, vt rerum exornatores et in exponendis caussis consiliisque euentuum quam eloquentissimi appareant: cum veteres historici fuerint tantum narratores, vnamque dicendi laudem sibi persuaserint esse breuitatem. *f*) Haec ergo praecepta historicis sancte conseruanda obseruandaque putarunt: ne quid audeant dicere falsi; ne quid veri non ausint; ne qua suspicio gratiae aut simultatis in scribendo sit. Ipsam historiae *g*) rectam exaedificationem in rebus atque in verbis posuerunt. Rerum ratio ordinem temporum et descriptionem regionum desiderauit; simul atque etiam voluit, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis primum consilia, deinde acta, postremo euentus spectantur, significari de consiliis, quid probandum; in rebus gestis declarari non solum quid actum, aut dictum sit, verum etiam quo modo: et cum dicatur de euentu, et caussae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; ipsorum quoque hominum non solum res gestae, sed etiam qui nominis excellant praeclari fama, de cuiusque vita et natura. Verborum ratio habenda fuit ita, vt sine asperitate aut sententiarum aculeis, rebus dictionem, sublimis sublimem, leuibus tenuem applicarent: vt plurimum vero subsisterent in mediocritate, suasque narrationes genere orationis fuso atque tracto et cum lenitate quadam aequa-

f) CICERO de oratore l. 2. c. 12. confer. differt. nostra de adolescentia Lat. linguae c. 6. §. 1. et 15. *g*) Nomen historiae est ab ἱστορέω *spectare*, *contemplari*, et quasi coram explorare aliquid: vt eo sensu etiam differat ab annalibus et commentariis.

aequabili profluente prosequerentur. *h)* Atque etiam in eo Latini conabantur *i)* imitari Graecos: quorum historia ab Herodoto et Thucydide vberius et ornatius quam ante scribi coepit. *k)* Quos alibi CICERO *l)* summis laudibus effert ac Romanorum inertiam accusat: praesertim Caelium, quod non distinxerit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili. Neque hoc vsque adeo miratur, cum nemo adhuc Romanos inter eloquentiae studuerit, nisi vt in caussis atque in foro eluceat: *apud Graecos autem*, pergit, *eloquentissimi homines remoti a caussis forensibus, quum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicauerunt. Namque et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in caussis nihil omnino versatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, vt me quidem - - magnopere delectet: et post illum Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vincit: qui ita creber est in rerum frequentia, vt verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, vt nescias, vtrum res oratione, an verba sententiis illustrentur.* Hos deinceps Romanorum homines eloquentissimi studia et opera omni sua imitati sunt, et historias confecerunt, quibus magistros suos aequare, in aliquibus etiam longe superare videntur.

§. IX.

CAIVS SALLVSTIVS *m)* CRISPVS anno ab V. C. DCLXVIII.

h) Vid. CICERO de oratore Lib. 2. cap. 15. *i)* Sic Atticus ad Ciceronem: *postulatur a te iam diu, vel flagitatur potius historia. Sic enim putant te illam tractante effici posse, vt in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus.* CICER. de legibus lib. 1. cap. 2. *k)* CICERO orator cap. 12. *l)* De oratore lib. 2, c. 13. *m)* *Sallustium* non Salusti-

 um

DCLXVIII. *n*) natus eſt Amiterni in agro Sabino, ex nobili Salluſtiorum familia, quae dignitatem in ordine ſecundo diu ſeruauit. Bello Iugurthino educatus Romae, ab ineunte aetate ſedulam optimis ſtudiis dedit operam, vt alacri ingenio fuit. Sed voluptatibus illud breui poſt longe turpius ſuccubuit. Inter alios praeceptorem habuit Atteium Praetextatum, qui ſe philologum appellauit, noſtrumque praeceptis de ratione dicendi inſtruxit. *o*) Praeſertim M. Catonis fuit ſtudioſus, cuius verba ex commentariis excerpſit, et velut breuiarium ad vſum proprium habuit. *p*) Cum primum eſſet delatus ad remp. ciuitas infecta Sullanis partibus aeſtuabat: vt ipſe aduerſa multa experiretur. Amicos in primis habuit, viros doctrina et ingenio nobiles, Cornelium Nepotem, Meſſalam, Nigidium Figulum, Iulium Caeſarem, quem magno ſtudio dilexit, ac beneficiis ſibi deuinctum ſenſit. Et ipſum Tullium initio adamauit: cui, in Tuſculano de optimo ſtatu ciuitatis et de optimo ciui diſſerenti, affuit ſuumque conſilium ſuppeditauit. *q*) Tam corruptis fuit moribus, ingenioque ad luxum tam procliui, ut, viuente etiam patre, auitam domum turpiſſima ratione venalem inſcriberet. *r*) Qua vendita pater, aetate confectus, ſummo dolore et moerore vita deceſſit. In Senatorum ordine publicas geſſit dignitates quaeſturae et tribunatus, nulla laude

um eſſe ſcribendum pluribus demonſtrat VOSSIVS de hiſtoricis Latinis Lib. 1. cap. 15. Vitam Salluſtii ab *Aſconio Pediano* ſcriptam laudat vetus Horatii Scholiaſtes ad lib. 1. ſat. 2. *n*) EVSEB. anno 3 olymp. 183. *o*) SVETON. de illuſtr. Grammat. cap. 10. *p*) SVETON. Aug. c. 86. de illuſtr. Grammat. c. 15. *q*) CICERO ad Q. fratr. lib. 3. epiſt. 5. *r*) Quod inter alia vitia ipſi exprobratur a ficto Cicerone, in oratione contra Salluſtium ſcripta.

laude vel commendatione; quod omnia libidine magis quam ratione priuatim et publice ageret, ac matronas ingenti lasciuia consectaretur. Nam et VARRO *s)* auctor est, istum ab Annio Milone Tribuno Plebis in adulterio *t)* deprehensum, lorisque caesum, pecunia se redimere fuisse coactum. Etiam ad iudicum subsellia tractus aliquoties extrema fortuna stetit. Tribunus plebis erat anno ab V. C. DCCII. quo Clodius a Milone occisus: cum Cn. Pompeius M. pluribus mensibus sine collega Consul esset. Potuit tum maxime, a quo laesus olim fuerat, Milonem opprimere. DCCIV. L. Aemilio Paullo & C. Claudio Marcello Coss. *v)* Sallustius, quod esset perditis prauisque moribus, propter adulteria et stupra senatu eiicitur a censoribus Appio Claudio Pulchro et L. Calpurnio Pisone. *x)* Caesaris autem beneficio et fauore pristinae dignitati restitutus quaesturam ac, breui post, praeturam obtinuit: qua, durante bello ciuili, patrono suo plurimum profuit: vt eius nutu omnia regerentur. *y)* Cum in Campania Caesaris milites, quos in Africam praemittere statuerat, seditionem concitassent: ac Sallustius Praetor Romam contenderet, vt Caesarem de his rebus faceret certiorem: propemodum fuit occisus a militum, qui eum insequebantur, multitudine, propemodum nemini parcente, adeo vt etiam duo senatores occi-

Aa 2 deren-

s) Apud GELLIVM noct. Attic. l. 17. c. 18. *t)* Cum Fausta, L. Sullae filia. confer. PEDIANVS. SERVIVS. Horatii interpretes. Oratio Ciceronis nomine aduersus Sallustium edita. *v)* Alii id referunt ad annum DCCIII. vid. VOSSIVS de hist. Lat. l. 1. c. 15. Quem sequitur Celeb. Dom. WALCHIVS hist. crit. Latin. linguae cap. 8. §. 7. vbi error forsan typographicus illi anno adscribit consules Appium Claudium Pulchrum et L. Calpurnium Pisonem Caesonium: qui Censores tum fuerunt, Consules autem Seruius Sulpitius Rufus et Marcus Claudius Marcellus. *x)* Vid. etiam DIO lib. 40. *y)* DIO lib. 42.

derentur. z) Et HIRTIVS a) auctor est, quod Caesar Sallustium praetorem ad Cercinnam insulam, quam aduersarii tenebant, cum parte nauium ire iusserit: quod ibi magnam frumenti copiam esse audiuisset. Bello ciuili confecto, Numidiae praefectus est a Caesare: b) quam prouinciam non sine integritatis ac famae insigni labe administrauit: quum iure et iniuria vndecunque sibi diuitias et nummos corraderet, publicae rei et salutis vniuersae ne minimum quidem habita ratione. Ea de caussa breui etiam post accusatur, et quamuis gratia vel potentia Caesaris illo iudicio liberaretur, nulli tamen vnquam probitatis fidem facere ab eo tempore potuit. Pluribus aliis deditus erat vitiis, quae sub ficto Ciceronis nomine illi orationibus virulentis nonnemo exprobrauit. Libidinem eius carpit quoque HORATIVS, c) vbi quum tres statuerentur meretricum classes, matronarum, libertinarum, et ancillarum, arguit historicum nostrum in libertinas insanire.

Tutior at quanto, inquit, *merx est in classe secunda?*
Libertinarum dico. Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui maechatur: at hic si
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munificum esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse: daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret, verum hoc se amplectitur vno,
Hoc amat, hoc laudat: Matronam nullam ego tango.

Ex

z) Dio l. c. a) De bello Caesaris Africano haud longe ab initio. b) Vid. Dio lib. 43 c) Sermon. l. 1. Satyr. 2. qua insanas quorundam circa adulteria libidines insectatur. Hic vetus interpres Horatii: *Fertur Sallustius tanto ardore insaniuisse in libertinas, quanto moechus in matronas: quod cum illi in Senatu a Censoribus obiectum esset, respondit: se non matronarum sectatorem esse. Quare ex Senatu eiectus est.*

Ex prouincia in vrbem redux, et opibus affluens, non modo, quae per libidinem et flagitia fuerant perdita, recuperauit, sed pretiosissimos etiam in vrbe agros Tiburtinamque villam ab ipso Iulio emit: hortosque illos, *d*) deliciarum suarum conscios, quorum vestigia adhuc Romae cernimus, instruxit omnibus amoenitatum generibus, suamque doctrinam factis funditus euertit. Nihilominus alienae luxuriae grauissimus obiurgator fuit, et censor. *e*) Ita ex. gr. Metellum Pium sugillauit, quod, praeter suam et populi Romani dignitatem et modestiam, conuiuiis in Hispania, et omni luxu vteretur: vt is ipse profecto videatur fuisse, qui omnium libidinum seruus, perpetuo sic aliorum vitiis irasceretur, quasi inuideret. Pompeium Magnum scripserat esse ore improbo et animo inuerecundo. Hinc Lenaeus quidam Grammaticus, *f*) Pompeii li-

 bertus

d) Quorum etiam meminit PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 16. TACITVS Annal. l. 13. c. 47. et histor. l. 3. c. 82. VOPISCVS Aurelian. cap. 49. Marmor effossum iuxta rudera domus Sallustianae

M. AVRELIVS. PACORVS.
ET. M. COCCEIVS. STRATOCLES.
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM.
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM.
PAIMENTO. MARMORATO.
DEANAE.
D. D.

e) A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 18. MACROBIVS Saturn. l. 3. c. 13. LACTANTIVS diuin. instit. l. 2. c. 13. *Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Recte, si ita vixisset, vt locutus est. Seruiuit enim faedissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitae prauitate dissoluit.* *f*) Apud SVETON. de illustr. Grammat. c. 15.

bertus, ſatyras contra Salluſtium compoſuit, eumque mordaci et virulento carmine lacerauit, vt qui lurconem illum, popinonemque, et nebulonem, et laſtaurum appellarit, tum vita ſcriptisque monſtroſum, ac M. Catonis verborum furem ineruditiſſimum. Neque mirandum, ita Lenaeum patrono ſuo ſtudium et officium praeſtare atque contra maleuolum tam acerbe ſtilum exacuere. Salluſtius etiam, vt ſupra monui, fuerat a parte Clodii aduerſus Milonem, a quo caeſus olim erat propter adulterium: vt iſtum quoquo modo opprimeret ac caedis damnari curaret. Hinc inter Ciceronem atque Salluſtium inimicitiae: quarum occaſione non nemo ſaepius memoratas inuectiuas in vtrumque orationes compilauit. Et confictus quidem Cicero hiſtoricum noſtrum non dubitat appellare menſarum aſſeclam, cubiculorum pellicem, et adulterum. Neque deſunt, qui Terentiam ſcribunt *g*) vxorem Ciceronis repudiatam huic Salluſtio nupſiſſe, deinde Meſſalae Coruino, viro eloquentiſſimo. Habitauit iuxta Mineruam, vbi nunc templum diuae Mariae, quae in hunc vsque diem Salluſtiana domus vocatur. Extremo tempore cum leges nullae maiorum amplius in rep. adminiſtranda ſeruarentur; neque conſularis, ſed Gallus aut ignobilis ac ſordidus quisque, cui aditus in ſenatum patebat, Iulio volente, ſententiam dicebat: Salluſtius remp. deſeruit, ac rediens ad ſtudia intermiſſa,

g) Vid. PETRVS CRINITVS de hiſtoricis ac oratoribus Latinis. Ita HIERONYMVS l. 1. aduerſus Iouinianum: *Cicero rogatus ab Hirtio, vt poſt repudium Terentiae, ſororem eius duceret, omnino hoc facere ſuperſedit, dicens: non poſſe vxori ſe et philoſophiae pariter operam dare. Illa interim coniux egregia, et quae de fontibus Tullianis hauſerat ſapientiam, nupſit Salluſtio inimico eius, et tertio Meſſalae Coruino, et quaſi per quosdam gradus eloquentiae deuoluta eſt.*

missa, scribere decreuit, quae a populo Romano praeclare gesta fuissent. Atque tum videtur ad saniorem mentem rediisse, ac vitia aetatis floridae maioribus emendasse virtutibus: quod nec ipse dissimulauit: *h*) *ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad remp. latus sum: ibique mihi multa aduorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute; audacia, largitio, auaritia, vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium: tamen inter tanta vitia imbecilla aetas, ambitione corrupta tenebatur. Ac me, cum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quae ceteros, fama atque inuidia vexabat. Igitur, vbi animus ex multis miseriis atque periculis requieuit, et mihi reliquam aetatem a rep. procul habendam decreui, non fuit consilium, socordia atque desidia bonum otium conterere: neque vero, agrum colendo, aut venando, seruilibus officiis intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi R. strictim, vti quaeque memoria digna videbantur, perscribere.* Crispum equestri loco ortum, sororis nepotem adoptauit, suumque in nomen adsciuit, qui Tiberio imperante diem obiit supremum. *i*) Ille primum aduersus Augustum arma tulit, et in gratiam cum victore rediit: quam Augusti clementiam SENECA *k*) praedicat. Eundem genus metalli, quod *Sallustianum* vocatur, inuenisse aiunt. *l*) Obiit historicus noster quarto ante bellum Actiacum anno ab V. C.

h) Bell. Catil. exord. Vid. etiam eiusd. praef. belli Iugurthini. *i*) Vid. TACITVS annal. l. 1. c. 6. l. 2. c. 40. l. 3. c. 30. Quem liberalem fuisse et inimicum auaris, patet ex HORATII l. 2. od. 2. ad eum scripta. *k*) De clementia l. 1. c. 10. *l*) Vid. PLINIVS hist. nat. l. 34. c. 2.

V. C. DCCXIX. *m)* Et hoc de ipſo Romae *n)* praedicatum eſt:

Hic erit, vt perhibent doctorum corda virorum,
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

§. X.

Hic ergo rerum Romanarum, vt TACITVS *o)* ſentit, florentiſſimus auctor reliquit hiſtoriam *de coniuratione Catilinae* contra Senatum Romanum; *p)* et *de bello Iugurthino*, nam iſte rex Numidiae factus rem contra Romanos diu ſtrenue *q)* geſſit. Haec opera ſolum extant integra. Scripſit quoque hiſtoriam de geſtis Romanorum, vt de Mario et Sulla, de Pompeio item aduerſus regem Mithridatem: quod opus ab vrbe condita libris aliquot abſolutum temporis iniuria periit, praeter fragmenta quaedam, vt ſunt quatuor oratiunculae, epiſtolae duae, et aliquot lacera loca ex antiquis Grammaticis aliisque ſcriptoribus collecta. Duae ad Caeſarem orationes de rep. ordinanda, vtrum Salluſtii ſint, inter eruditos non conuenit. VOSSIVS *r)* genuinas eſſe arbitratur, non tamen vt orationes eſſe putet, verum epiſtolas duntaxat. Ex ſcriptis Salluſtii vbique diligentia et grauitas apparet; in ea vero de Punicis rebus commentationis particula tantum eſt Hiſtorici ſtudium, vt ipſe videatur eam regionem adiiſſe ac inſigni ſolertia perluſtraſſe, quo fide maiore exploratam veritatem traderet. Orationes ſcripſit multas, quae inter res geſtas ſparguntur, vel ex SENECAE *s)* ſententia, in honorem hiſtoria-

m) EVSEB. olymp. 186. IOH. FVNCCIVS ad annum V. C. 717. *n)* MARTIALIS lib. 14. epigr. 191. *o)* Annal. lib. 3. cap. 30. AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 1. c. 5. eum nobilitatae veritatis hiſtoricum vocat. *p)* Quae contigit anno Vrbis conditae DCXCI. quo Cicero Conſul fuit. *q)* Anno DCXLIII. ſeq. *r)* De hiſt. Lat. l. 1. c. 15. *s)* Epit. declam. lib. 3. præfat.

ftoriarum leguntur. Idem *t*) *quotiens*, inquit, ***magni alicuius mors ab hiftoricis narrata eft, totiens fere totius confummatio vitae, et quafi funebris laudatio redditur. Hoc femel atque iterum a Thucydide factum, idem in pauciffimis perfonis vfurpatum a Salluftio. Liuius benignius omnibus magnis viris praeftitit. Sequentes hiftorici multo id effufius fecerunt.*** Salluftii *empedoclea* Cicero *v*) admiratur, procul dubio breuitatem eius obfcuram et antiquitatis in dictionibus obfoletae ftudium notans: cum ad fratrem fuum: ***Lucretii poemata, vt fcribis, lita funt multis luminibus ingenii, multae tamen artis. Sed quum veneris, virum te putabo, fi Salluftii Empedoclea legeris, hominem non putabo.*** Oratio in Ciceronem, licet a Qvintiliano tanquam Salluftii foetus laudetur, Salluftii non eft, verum, quod res ipfa loquitur, declamatoris alicuius, qui et alteram Ciceronis inuectiuam in Salluftium fcripfit, Augufti vel Tiberii temporibus.

§. XI.

Imitatus eft Thucydidem, quem ipfa dictionis breuitate vicit. Quod Seneca, *x*) vtriusque inftituta comparatione, probauit. Thucydidis ex. gr. proponit: *δεινὰὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα.* et Salluftii: ***res fecundae mire funt vitiis obtentui.*** Et iudicat, cum in Thucydide praecipua fit breuitatis virtus; hac ipfa victum effe ab Salluftio ac in fuis prope caftris caefum: nam in Graecis effe, quae faluo fenfu poffint detrahi; in Latinis prorfus nihil demi fine aliquo fenfus detrimento. Sed ***Titus Liuius***, pergit, ***tam iniquus Salluftio fuit, vt hanc ipfam fententiam, et tanquam translatam, et tanquam corruptam dum trans-***

t) Suaforia 6. *v*) Ad Q. fratr. lib. 2, epift, 9. extr. *x*) Lib. 4. controu. 24.

 y) Con-

transfertur, *obiiceret Salluſtio. Nec hoc amore Thucydidis facit, vt illum praeferat; laudat, quem non timet: et facilius putat poſſe a ſe Salluſtium vinci, ſi antea a Thucydide vincatur.* y) Neque FABIVS, z) vir maturo et graui iudicio, veritus eſt Thucydidi, in ſcribenda hiſtoria apud Graecos principi, ipſum opponere Salluſtium, ſicut Liuium Herodoto. Adeoque VELLEIVS a) eum ſigillatim Thucydidis aemulum vocare voluit.

§. XII.

Iam aliquoties ab nobis notatum fuit, Salluſtium Thucididis haud infelicem fuiſſe aemulum: vnde nemini videbitur mirum, aliquid Graecae linguae imitatoris diligentiſſimi animum occupare potuiſſe: vt formam dicendi Graecis peculiarem retinuerit atque ſcriptis expreſſerit incautus erroris. Inde, QVINTILIANO b) iudice, inter alia plurima Salluſtii ex Graeco translata eſt, *Vulgus amat fieri*, pro *ſolet*. c) Id vero etiam poetae Latini ſaepius imitantur, vt HORATIVS: d)

- - *pinus ingens albaque populus*
Vmbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis. - - -

Rurſum: e)

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa - -

Sic quoque Catullus et alii ſequioris aetatis promiſcue. Et graeciſmi, quos in hiſtoria Salluſtius poſuit, neque adeo videntur duri, neque abhorrent a conſuetudine huius ſeculi Latinae

y) Confer. SENEC. ex lib. 9. controu. declamat. 1. z) Inſtit. orat. lib 10. c. 1. a) Hiſt. l. 2. c. 36. b) Inſtit. orat. l. 9. c. 3. confer. VECHN. hellenol. p. 225. et CELLAR. cur. poſt. de barbar. pag. 332. c) Bell. Iugurth. cap. 34. d) Carm. l. 2. od. 3. e) Carm. l. 3. od. 16.

tinae linguae feliciſſimi, cuius monumenta paſſim illis gratioribus velut quibusdam maculis affecta proſtant.

§. XIII.

In hiſtoriis vulgo magna Criſpo fides tribuitur: conſtat enim omnibus, quanto ſtudio inquiſiuerit in rei cuiusque veritatem, et quanta perſpicacia verum a falſo dignouerit. Vbi res poſtulat, ſparſim accuratam vrbium et praecipuorum in Africa locorum deſcriptionem exhibet, cum illi prouinciae fuerit praefectus aliquandiu ab Iulio Caeſare, et penitius eam perluſtrandi occaſionem obtinuerit. Attamen, nec absque ratione, creditur in bello Catilinario ſtudio, vel ex odio Ciceronis, diſſimulaſſe honores, qui ab Senatu Romano et aliis, propter vrbem conſeruatam, illi fuerunt habiti: *f*) cum Caeſaris laudibus nec meritis, nec neceſſariis aliquot paginas compleret. Neque ob amorem in Iulium Caeſarem, cuius in eum beneficia exſtabant plurima, commemorare voluit, illum participem coniurationis habitum, imo conuictum fuiſſe, quod SVETONIVS *g*) probatae fidei auctor diſſimulare non potuit: delatum ad Nouium Nigrum, qui e Catilina id ſe comperiſſe affirmabat. Quin et Q. Curius coram Senatu fidem Caeſaris, Catilinae chirographo dato, obſtrictam aiebat. Sed prudenter et artificioſe cauſſas indagat, quae ad facinus coniurationis quosque impulerint: ac ſumma cum laude, quam hiſtoricorum plerique captarunt poſt eum, artes patefacit, quibus Iugurtha ad tantum honoris faſtigium penetrare, et, reliquis e medio ſublatis, in regiam irruere potuerit. Licet, quod ſupra notauimus, ipſe omnibus vitiis deditus

 fuerit,

f) At in aliis, vbi Ciceronis mentionem facit, inimicitiae illius prodit nulla indicia, ſed de eo ſatis honorifice loquitur. *g*) Caeſar. cap. 17.

fuerit, sua tamen scripta monitis prudentibus grauibusque sententiis adeo cumulauit, vt ipsa copia vilescant. Exploduntur quoque a FABIO *b*) prooemia vtriusque et Catilinarii et Iugurthini belli, ceu ad historiam non pertinentia, et nimis insulse lamentationum et querimoniarum plena. TROGVS autem POMPEIVS *i*) in Sallustio reprehendit, quod conciones directas, longasque orationes operi suo inserens Historiae modum excesserit. Adrianus Caesar adeo nihili Sallustium fecit, vt Caelium ei praetulerit. *k*) Flauius item Vopiscus, cum nimis vniuersim esse neminem scriptorum affirmet, quantum ad historiam pertinet, qui non aliquid esset mentitus, praesertim ignominia Sallustium notauit. *l*) Culpantur in eo quoque digressiones minus opportunae, orationes rectae rudibus Afris attributae, plura ad historiam necessaria intacta, odium partium, et hinc neglecta subinde veritatis cura; item nimia sapientiae politicae affectatio. Neque vero illius gloriae quicquam detraxisse putamus maleuolorum vel calumniam, vel inuidiam: nam, vt GELLIVS *m*) habet, quanquam multi non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque, et obtrectare, plura tamen inscite aut maligne vellicant: neque impedire potuerunt,

b) Instit. orat. l. 3. c. 10. Hinc SCALIGER poet. l. 3. cap. 96. *Ambitiose fecisse videtur Sallustius quibusdam, quod poetarum more, cum dicere orsus esset de Catilina, omissa ea narratione repetit historiam ab ipsis vltimis Romae rudimentis. Nos virum suo in genere praestantem cum recte, tum necessario fecisse indicamus: vt ostenderet corruptam ciuitatem, cuius et pars esset Catilina.* *i*) IVSTINVS hist. l. 38. c. 3. extr. *k*) SPARTIANVS Hadrian. c. 16. Iste vero etiam, vel ex malitia, vel ex ignorantia, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium praetulit; eademque iactatione de Homero ac Platone iudicauit. *l*) VOPISCVS Dio. Aureliano cap. 2. vbi pari modo fidem de Liuio, Tacito et Trogo detrahit. *m*) Noct. Attic. l. 4. c. 15.

erunt, quo minus in Romana historia Sallustius principem locum obtinuerit. Et SIDONIVS APOLLINARIS *n*) recte monuit:

Qua Crispus breuitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus,
Qua pompa Tacitus, nunquam sine laude loquendus.

§. XIV.

Vitia in stilo reprehendunt duo sibi quam maxime contraria, neoterismi et archaismi. A Valerio Probo, illustri Grammatico, *o*) *nouator* dicitur, vt qui plurimas dictiones primus in linguam Latinam intulerit. Huc refert *loquentiae* vocabulum, quod dixerit Catilinam fuisse *satis loquentiae, sapientiae parum. p*) Noui MStos codices plerosque habere *eloquentiae* vocem, et ipsum Valerium eandem lectionem diu probasse: hic vero tandem sententiam mutauit, ac DAVMIVS *q*) codices istos accusat malae fidei, et consensum grammaticorum hoc loco MStorum testimonio praeferendum esse iudicat. Nec inuenuste Iulius Candidus *r*) solebat dicere, *aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam.* SENECA *s*) varia reprehendit, quae Arruntius Sallustianus belli Punici scriptor sic amauit, vt omnibus fere paginis ea posuerit: ex. gr. quod dixerit *exercitum argento fecit*, pro *pecunia parauit*, seu collegit. Neque dubitabant ad eundem modum aetate sequiori dicere FLORVS *t*) de Romulo: *ex variis quasi elementis congregauit corpus vnum, populumque Rom. ipse fecit:* ac PHAEDRVS: *v*) *Quo cibo fecisti tantum corporis?* Eodem SENECA teste, *x*)

 Sallu-

n) In panegyri Anthemii August. *o*) Apud A. GELLIVM noct. Attic. l. 1. c. 15. *p*) SALL. Bell. Catil. c. 5. *q*) De caussis amissarum radicum l. 1. c. 20. *r*) Apud PLINIVM l. 5. epist. 20. *s*) Epist. 114. *t*) Lib. 1. c. 1. *v*) l. 3. fab. 8. *x*) l. c.

Salluſtius dixit: *aquis hiemantibus*, pro *tempeſtate commotis*. Ita enim HORATIVS: *y*)

- - et atrum

Defendens piſces hiemat mare - -

i. e. mare atrum in tempeſtatem inſurgit, ac ſaeuum concitatumque defendit piſces, quia tunc piſcationi non eſt locus. Porro Salluſtius *famae* vocabulo vſus eſt numero plurali apud SENECAM: *z*) *inter arma ciuilia aequi boni famas petit*. Si vera eſt Palmerii emendatio *vitimagiſtratus* ab eo vocantur Mariani et Cinnani, vitio et per vim creati magiſtratus. *a*) REIMANNVS V. C. *b*) nouis etiam adſcribit *ſuperare* pro ſupereſſe, vel ſuperſtitem eſſe: quo ſenſu hiſtoricus noſter *c*) *cui*, inquit, *quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis ſuperabant* etc. Alibi: *d*) *quid vltra? quaeue humana ſuperant, aut diuina impolluta ſunt.* Atqui etiam VIRGILIVS: *e*) *ſi ſuperant foetus*. Idem: *f*) *ſuperet coniuxne Creüſa*. Mox: *g*) *captae ſuperauimus vrbi*, i. e. ſuperſtites fuimus. Alibi: *h*)

Quid puer Aſcanius? ſuperatne et veſcitur aura?

Etiam eo refert *ductare* pro ducere. *i*) Sed quod huius viri docti pace dixerim, in hoc ipſo frequentationis verbo nihil noui videre licet: vtpote quo dudum PLAVTVS *k*) et TERENTIVS *l*) vſi fuerunt: poſtea vero κακόφατον viſum eſt, teſte QVINTILIANO, *m*) qui diſertis verbis inquit: *ductare exercitus*

y) Serm. l. 2. ſat. 2. v. 17. *z*) l. c. *a*) Hiſt. lib. 3. *b*) Introd. in hiſtor. vocabul. linguae Latinae pag. 37. *c*) Bello Iugurthino. *d*) In M. Aemilii Lepidi oratione contra Sullam. hiſtor. lib. 1. *e*) Georg. l. 1. v. 189. *f*) Aeneid. l. 2. v. 597. *g*) Ibid. v. 643. *h*) Aeneid. l. 3. v. 339. *i*) Vid. SALLVS. Bell. Catil. cap. 11. et Iug. c. 38. *k*) Capt. A. 3. S. 4. v. 109. *l*) Phorm. A. 3. S. 2. v. 15. Adelph. A. 4. S. 7. v. 34. *m*) Inſt. orator. l. 8. c. 3.

tus et patrare bellum, *apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet.*

§. XV.

Forsan ergo meliori iure Sallustium accusant, quod saepius studio fuerit κακόζηλος, ac scribere maluerit, quomodo Romae locuti fuerant, quam vt loquebantur suo tempore. Hinc opera eius passim archaismis conspurcata esse videmus. Vel ex vngue leonem cognoscere quilibet potest: cum ab exordio Catilinarii belli scribit: *omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant.* etc. Ideoque SCIOPPIVS *n)* eum persibilat, dictiones sed ex fragmentis nec certae fidei cumulatim proferens. Hoc enim auctore *soluit* elegantius ei visum est, quam solitus est; *magnas vis*, pro magnas vires: *armis decoribus* pro decoris; *senati* pro senatus; *plebes* pro plebs; *satias* pro satietas; *sallere* pro salire; *secus virile* pro sexus virilis; *paritas opes* pro partas opes; *calui* pro decipi; *claudere* pro claudicare; *egere aliquam rem*; *supplicium* pro supplicatione. Possunt haec atque alia non per ipsum auctorem, qui in suo genere elegantissimus est, verum potius per scribarum operas adeo corrupte fuisse posita. Saltem vbique mouent querelas de codicibus Sallustii misere habitis, et iniuria cuiusque manu deprauatis. Sic THO. REINESIVS: *o) quicquid in Sallustio contra veterum codicum fidem immutatum est, id Laeti importunae diligentiae tribuunt docti* Et haec est inueterata Sallustium calumniandi ratio: qua iam tum ab Asinio Pollione libro peculiari *p)* taxata fuit verborum obsoletorum affectatio: vt vetusta-

n) De stilo histor. p. 197. De rhetoricarum exercitationum generibus p. 13. et 14. *o)* Epist. 50. ad Rupertum p. 457. *p)* Teste SVETONIO de illustr. Grammat. cap. 10.

vetuſtatem non parum redoleat dictio Salluſtii, qui ex Catonis originibus verba plurima tranſtulerit. Vnde Lenaeus quoque Grammaticus *q*) in gratiam patroni ſui Pompeii magni hiſtoricum noſtrum vocauit priſcorum Catonisque verborum ineruditiſſimum furem. Et Octauianus Caeſar Auguſtus, *r*) ludens malum et inconſtans Antonii in eligendo genere dicendi ingenium, *Tuque dubitas*, inquit, *Cimberne Annius, an Veranius Flaccus imitandi ſint tibi? ita vt verbis, quae C. Salluſtius excerpſit ex originibus Catonis vtaris.* Eoque vetus a QVINTILIANO *s*) prolatum reſpicit diſtichon:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Criſpe, Iugurthinae conditor hiſtoriae.

§. XVI.

Sed eorum vix habita ratione putamus, Salluſtii dictionem in plerisque laudandam eſſe: vtpote quae caſta et propria, perſpicua et ordinata, nec ſine inſigni adhibita cura fuit perpolita. Scilicet hiſtorici noſtri ſtilus elegans et ſubtilis eſt, clarus tamen et infucata breuitate inſignis. Nec deſunt, qui principem eſſe velint generis dicendi breuis: ita quidem, vt ipſa natura peruenerit ad perfectionem in eo dictionis genere, quod veterum ac recentiorum plurimi ſtudioſe conabantur imitari, pauciſſimi vix ſatis aſſequi poterant. Inde Euſebius: *t*) *quatuor ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus* etc. Atque adeo ſcriptor eſt inter Latinos plane Atticus, qua laude propior eſt Demoſtheni, quam ipſe Tullius, qui copioſius et

q) Eodem teſte de illuſtr. Gramm. cap. 15. *r*) SVETON. Octau. Aug. cap. 86. *s*) Inſtit. orat. l. 8. c. 3. *t*) Apud MACROBIVM Saturn. l. 5. c. 1.

et illuſtrius quoddam dicendi genus exprimere ſatius putauit. *v*) Nec immerito vocatur ab A. GELLIO *x*) ſubtiliſſimus breuitatis artifex: qui, quod alibi habet, *y*) proprietatum in verbis retinentiſſimus conſuetudini conceſſit: vnde etiam aegre tulit, quod a Valerio Probo verborum nouator dictus eſſet. *z*) SENECAE quidem, *a*) licet ipſe haud pari ſucceſſu breuitati ad modum ſtuduerit, in Salluſtio, quod ait, obſcura breuitas, amputatae ſententiae, et verba ante exſpectatum cadentia diſplicent. FABIVS *b*) etiam monet, vitandam eſſe breuitatem Salluſtianam, et illum abruptum ſermonis genus, quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, properantem transcurrit, audientem transuolat. Sed diſſuadet oratori; in hiſtorico noſtro nihil prorſus deſiderat: contra fatetur, hoc, qualecunque ſit vitii, virtutis locum obtinuiſſe. Ac diſerte ſcribit, *c*) eius oratione ac breuitate nihil audiri poſſe perfectius, praeſertim apud vacuas et eruditas aures. Excipe pauca, et hiſtoricum ſuo ſeculo digniſſimum habebis: et ipſa breuitate, quae hiſtoricum decet, quam maxime laudandum. Ecquis ignorat, expoſitiones rerum atque narrationes eſſe debere breues, et apertas, et probabiles: vt Salluſtius omnes hiſtorici virtutes in ſcriptis ſibi tribuat, ac merito iure vindicare poſſit. Neque Ciceroniani Salluſtium, politiſſimum auctorem, ſed anxium illud ac inſititium dicendi genus, multaque verba ſuperſtitioſa reiiciunt. *d*) IVL. CAESAR SCALIGER *e*) miratur ac ſibi

v) Confer. TVRNEBVS aduerſ. l. 28. c. 22. *x*) Noct. Attic. l. 3. c. 1. *y*) Lib. 10. cap. 20. conf. LIPS. not. in lib. 1. polit. *z*) Lib. 1. cap. 15. *a*) Epiſt. 114. *Salluſtio,* inquit, *vigente, amputatae ſententiae, et verba ante exſpectatum cadentia, et obſcura breuitas, fuere pro cultu.* *b*) Inſtit. orator. l. 4. c. 2. et lib. 10. cap. 1. *c*) L. c. *d*) Conf. IVL. CAES. SCALIGER in oratione pro Cicerone. *e*) Poëtices l. 4. c. 24.

ſibi nondum ſatis compertum ait, quamobrem Salluſtio attributa ſit ab omnibus praeter ceteros breuitas: qui enim praelongas haud raro conciones inſerat, quas nullus habuerit imperator; qui toties ad alia a propoſito ſuo exſpatietur; qui Catilinianae coniurationis hiſtoriam traditurus, ipſemet vrbis Romae initia arceſſat; illum vero prolixum potius, vel etiam nimium, ſuperuacuumque vocandum cenſet. Attamen circa finem capitis ipſe in eo agnoſcit breuitatem Salluſtii, quod tribus verbis integras expleat ſententias, non circumducat, non interponat, aſyndetis vtatur, et omittat verba. Quam ob rem nec immerito confutatus fuit ab LEONE ALLATIO, *f*) et contradictionibus ſemetipſum inuoluit.

§. XVII.

Plures voluerunt genus dicendi Salluſtianum ſequi; verum aſſequi minime gentium potuerunt: eſt enim oratio ipſius tam abſoluta, tam caſta et innocens, vt diuina *g*) breuitas haec inimitabilis eſſe videatur. Nam et Arruntius, qui belli Punici hiſtoriam ſcripſit, Salluſtio tantum conceſſit, vt eius orationem maximo ſtudio ſequeretur; virtutes autem fugeret, et affectationem non laudandam prae ſe ferret. *h*) Vnde FABIVS *i*) monet, Liuium a pueris mage legendum, quam Salluſtium: et hunc hiſtoriae maiorem eſſe auctorem: ad quem intelligendum profectu opus ſit. De Petro Maffeio ERYTHRAEVS *k*) *illud*, inquit, *ferendum non erat, quod Salluſtium Criſpum, Romanae decus hiſtoriae, ad ſui iudicii calculum*

f) De erroribus magnorum virorum in dicendo p. 36. confer. MORHOFIVS polyh. lit. l. 4. c. 11. §. 8. et BOECLERVS de eloquentia viri ciuilis, Differt. tom. 1. p. 106. *g*) Diuinam Salluſtii orationem vocat SPARTIANVS Seuero Imp. cap. 21. *h*) Vid. SENECA epiſt. 114. *i*) Inſtit. orat. lib. 2. c. 5. *k*) Pinacoth. 2. p. 53.

culum reuocare et damnare audebat; ideo fortasse, quod diuinam eius prudentiam, illustremque breuitatem, qua nihil est in historia dulcius, se imitari posse diffideret: nam tantum quisque laudat, quantum se imitari posse non desperat.

§. XVIII.

Quae ex scriptis Sallustii supersunt, bellum Catilinarium et Iugurthinum, sine loco editionis prodierunt post Christum natum 1470. fol. Deinde *Venetiis* 1474. fol 1478. fol. per Magistrum Philippum Petrum Magna. 1491. et 1493. fol. ex recognitione Iulii Pomponii Laeti, cum commentario Laurentii Vallae et Ioh. Chrysostomi Soldi. 1496. fol. per Philippum Pincium, ex Laeti recognitione, cum Laurentii Vallae in Catilinarium, et Ioh. Chrysostomi Soldi in Iugurthinum bellum, commentariis. *Valentiae* 1475. 4. *Parisiis* 1474. 4. *Lugduni* 1496. 4. literis Gothicis.

§. XIX.

Seculo sequenti eadem Sallustii prodierunt opera *Venetiis* 1509. et 1521. 8. apud Aldum. 1546. fol. ex recognitione Iulii Pomponii Laeti, cum Laurentii Vallae et Ioh. Chrysostomi Soldi commentariis. 1554. 8 cum Barthol. Zanchii commentario. 1556. apud Ioh. Gryph. cum annot. Iod. Badii, L. Vallae, Ioh. Chrysost. Soldi, B. Marliani, Fr. Syluii, Iac. Crucii. accedunt in M. T. Ciceronem oratio, Ciceronis ad Sallustium responsio, Ciceronis in Catilinam orationes, Catilinae in Ciceronem orationes duae, P. Latronis declamatio in Catilinam, ex libris historiarum Sallustii fragmenta. 1557. 1567. et 1588. 8. cum notis Aldi Manutii, qui fragmenta, a se collecta, addidit. 1565. et 1590. fol. cum Vallae, Badii, Soldi, Marliani, Riuii et Glareani notis. *Florentiae* 1576. 8 ex recensione Petri Victorii, apud Iuntas. *Romae* 1550. fol. 1563. 8. cum Aldi Manutii scholiis. *Parisiis* 1504. fol.

 cum

cum notis Badii Ascensii. 1508. 4. cum notis Badii. 1536. 8. 1544. 8. apud Rob. Stephanum, cum variis lectionibus. 1574. 8. cum scholiis Aldi Manutii, Cypriani a Popma et Lud. Carrionis. *Lugduni* 1506. fol. cum notis Ascensii. 1538. 1549. 8. 1545. et 1556. 12 cum Melanchthonis et Iac. Bononiensis notis. 1551. 12: apud Seb. Gryphium 1576. 12. apud Ant. Gryphium. *Louanii* 1572. 12. cum Cypriani a Popma notis. *Antuerpiae* 1522. 4. 1543. 8. 1564. 8. apud Plantinum, cum Aldi Manutii scholiis. 1573. 1579. et 1580. 8. apud Plantinum ex recensione Ludouici Carrionis, additae sunt notae Iani Dousae ad fragmenta libr. hist. cum accessione fragmentorum. *Lugduni Batauorum* 1594. 8. apud Raphelengium, cum notis Ciacconii. *Basileae* 1538. 8. Henrici Loriti Glareani. 1564. fol. cum notis Vallae, Omniboni, Leoniceni, Badii Ascensii, Barthol. Zanchii, Soldi, Vincentii Castilionei, Iacobi Bononiensis, Niuii et Glareani. 1590. 8. cum notis Glareani, Carrionis, et Iacobi Bononiensis, et Vlrici Hutteni flosculis. *Argentorati* 1524. 4. *Norimbergae* 1599. 8. cum veterum historicorum fragmentis, ex recensione et cum notis Christophori Coleri. *Coloniae* 1536. 8. cum Melanchthonis et Iacobi Bononiensis notis. *Lipsiae* 1539. et 1542. 8. cum Ioh. Riuii castigationibus.

§. XX.

Seculo post Christum natum decimo septimo prodierunt Sallustii scripta *Venetiis* 1624. 4. cum Pauli Benii Eugubini commentariis 1649. 12. apud Iuntas, cum veterum historicorum fragmentis. *Parisiis* 1674. 4. adornante Daniele Crispino, in vsum Delphini. *Lugduni* 1601. 12. apud Iacobum Stoer. *Londini* 1697. 8. Danielis Crispini editio in vsum Delphini recusa. *Franequerae* 1619. 8. cum notis Ausonii Popmae. *Amstelodami* 1621. 16. 1649. etiam forma minori ex recensione

censione Ioh. Isaaci Pontani. 1658. 1665. 1669. et 1675. 12. cum veterum historicorum fragmentis, ab Ausonio Popma collectis. 1661. et 1666. 12. ex recensione Rutgeri Hermannidae. 1686. et 1690. 8. cum notis variorum, ex recensione I. Frid. Gronouii. *Lugduni Batauorum* 1602. 8. apud Plantinum, cum notis Eliae Putschii et Petri Ciacconii. 1634. et 1645. 12. cum veterum historicorum fragmentis, apud Elzevir. 1649. 1654. 1659. et 1665. 8. cum selectis variorum et Antonii Thysii notis. 1665. et 1677. 8. ex officina Hackiana cum notis variorum, ex recensione Ioh. Frid. Gronouii. *Roterodami* 1653. 8. et 1699. 12. cum notis Iohannis Minellii. *Hagae Comit.* 1685. 12. cum notis Minellii. *Basileae* 1606. 8. cum notis Glareani, Carrionis, et Iac. Bononiensis, et Vlrici Hutteni flosculis. *Coloniae Allobrogum* 1615. 12. *Francofurti* 1607. 8. editio Gruteriana, cum Ioh. Riuii, Henr. Loriti Glareani, Aldi Manutij, Lud. Carrionis, Cypriani a Popma, Iani, Palmerii, Ciacconii, Vrsini, Putschii, Dousae et Iani Gruteri notis integris. 1622. 8. ex recensione Ioh. Philippi Parei. 1649. 12. cum notis Dan. Parei. 1694. 8. cum notis Minellii. *Ingolstadii* 1604. 8. cum M. Antonii Mureti notis. *Dresdae* 1676. 12. Danielis Hartnaccii. 1699. 12. Samuelis Grosseri. *Lipsiae* 1677. 12. Iohannis Vorstii.

§. XXI.

Nostro denique seculo prostant *Patauii* 1722. 8. accedunt Iulius Exsuperantius et Porcius Latro, fragmenta historicorum veterum, nunc primum cum fontibus, vnde sumta fuerant, improbo labore collata, plurimisque locis emendata et aucta, cum Sallustii vita, a Iohanne Clerico conscripta, indicibus, et auctoris effigie in aes incisa. *Cantabrigiae* 1710 4. charta maiori cum notis integris Glareani, Riuii, Ciacconii, Gruteri, Carrionis, Manutii, Putschii, Dousae, et selectis Ca-

ftalionaei, Cornelii et Aufonii Popmae, Iani Mellerii Palmerii, Fuluii Vrfini, Ioh. Frid. Gronouii, Victorii, etc. ex recenfione et cum indicibus locupletibus inprimis dictionum et phrafium notisque perpetuis Iofephi Waffe. Praemiffa eft Salluftii vita, a Ioh. Clerico confcripta; adiuncta funt veterum hiftoricorum fragmenta, notis Aufonii Popmae illuftrata, Iulii Exfuperantii libellus, et declamatio in Catilinam, quam Porcio Latroni tribuunt. *Londini* 1713. 12. curante M. Maittaire. *Hamburgi* 1702. 8. *Lipfiae* 1706. 8. cum notis Minellii. 1706. 12. cum notis Chriftiani Iunckeri, ad modum Minelli. 1724. 4. cum notis variorum et editoris Gottlieb Cortii; accedunt epiftola de rep. ordinanda, declamatio in Ciceronem, et pfeudo Ciceronis in Salluftium, Iulii Exfuperantii libellus de bellis ciuilibus, Porcii Latronis in Catilinam declamatio, veterum hiftoricorum fragmenta et index.

§. XXII.

CAIVS IVLIVS CAESAR, maximus Romanorum Imperator, cuius vitam, erga bonas artes affectum et bene merita iamiam fatis prolixe expofuimus, *l*) varia fcripfit, et in his, quae fola ex omnibus ad nos peruenerunt, hiftorica; feptem videlicet libros de bello Gallico, et tres de bello ciuili. *Commentarios* infcripfit, in quibus tantum capita rerum ponere folebant, ac aliis, ad exequendam hiftoriam, fuppeditare mate-

l) Huius tract. part. 1. cap. 2. §. 10. feqq. pag. 105--121. Vide praeter infinitos alios veteris ac recentioris aeui fcriptores Cl. WALCHIVM hift. crit. Lat. linguae cap. 8. §. 4. HVBERTVS GOLTZIVS Caefaris Genealogiam vitamque illuftrauit e nummis vetuftis. Brug. 1563. fol. Prodiit quoque C. Iulius Caefar numifmaticus I. SEOBALDI FABRICII Lond. 1678.

materiam *m*) Iſtos videlicet in caſtris et ſucciſiuis horis condidit de rebus ſuis; et quod commentatorem decet, vſus eſt ſtilo mediocri, plano, terſo et minime affectato. *Ephemeridem*, ſiue diarium rerum a ſe geſtarum, vt mihi videtur, vocant alii: *n*) nam et in MStis quibusdam vltimo libro de bello Gallico ſubiiciuntur haec verba: *C. Iulii Caeſaris Pontificis Maximi Ephemeris rerum geſtarum belli Gallici lib. VIII. explicit feliciter. o*) Libri ſinguli res ſingulorum annorum complectuntur. Vnde HIRTIVS: *p*) *Scio Caeſarem ſingulorum annorum ſingulos commentarios feciſſe, quod ego non exiſtimaui mihi eſſe faciendum.* Ex Graecis haud infeliciter ſibi Xenophontem exprimendum ſumſit: dictione vero longe ſuperauit.

§. XXIII.

Nec obtrectatores optimo Caeſari defuerunt: vt communia literatoribus omnibus fata experiretur. Fuerunt enim, qui in hiſtoria ipſius fidem deſiderabant: quorum agmen duxit perpetuus virtutis calumniator Aſinius Pollio. Hic, teſte TRANQVILLO, *q*) Caeſaris Commentarios *parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos putat, cum Caeſar pleraque et quae per alios erant geſta, temere crediderit; et quae per ſe vel conſulto, vel etiam memoria lapſus, perperam ediderit; exiſtimatque reſcripturum et correcturum fuiſſe.* Sed maledico quis obſtruat os? Aſinius iſte, optimorum quorumuis aſſiduus oblatrator, non adeo meretur a nobis attendi. In ipſis commentariis Vos-

m) Sed quam male Caeſar aliis materiam ſubiecerit, ad hiſtoriam conficiendam, A. HIRTIVS praefation. lib. 8. de bello Gallico conqueritur: *adeoque probantur*, inquit, *omnium iudicio, vt praecepta, non probata facultas ſcriptoribus videatur.* *n*) SERVIVS Aeneid. 11. SYMMACHVS l. 4. epiſt. 18. *o*) Teſte VOSSIO de hiſt. Lat. lib. 1. c. 13. *q*) Lib. 8. cap. 48. *q*) Caeſar. cap. 56.

VOSSIVS *r)* reprehendit, quod ea fileat, aut minus accurate referat, quae ipfi vitio verti potuerunt. In his vero tanto magis laudandus eft, quod nemo facile tenetur propriam confiteri turpitudinem; et rectum videtur Catonis monitum: *s)*

Quod puteat, prudens focios celare memento:
Ne plures culpent id, quod tibi difplicet vni.

Ita libro tertio de bello ciuili noluit narrare, quod in vrbe Alexandrina aduerfus ciues pugnans, vt fe tueretur, ignem iusferit in naues immitti: qua flamma et naualia combufta, et vicina in Serapeo bibliotheca, quae continebat ferme feptingenta voluminum millia, *t)* inaeftimabilem thefaurum, vigiliis Ptolomaeorum per ducentos et plures annos collectum. Qua de re Plutarchus, Dio, Ammianus, fcriptores alii vna voce teftantur. Iidem auctores funt, *v)* L. Caecilium Metellum fanctius aerarium, cuius claues abftulerant confules, fella tribunitia oppofita, defendiffe aduerfus Caefarem: atque hunc tantopere comminatum fuiffe Metello, vt vrbe fugeret: pofthaec foribus effractis, facros abftuliffe thefauros, qui poft vrbem a Gallis captam iftic erant depofiti, vt ad extrema ciuitatis pericula referuarentur. Caefar contra in commentariis fuis *x)* fcribit, Lentulum a Pompeianis habuiffe in mandato, vt pecuniam ex aerario omnem Pompeio, in belli vfum, mitteret: fed cum nuncius, quanquam vanus ille ad aures pertigiffet, Caefaris milites iam effe in vrbe, fuga fibi quam-

r) De hift. Latinis l. 1. c. 13. *s)* Lib. 2. dift. 7. *t)* Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 6. c. 17. *v)* Vid. etiam FLORVS l. 4. c. 2. CICERO ad Attic. l. 7. epift. 12. et 15. PLINIVS hift. natur. l. 33. c. 3. l. 19. c. 3. Confer. DEMPSTERVS ad Rofin. paralip l. 7. c. 31. p. 720. Vnde LVCANVS l. 3.
Pauperiorque fuit tum primum Caefare Roma.

x) De bello ciuili lib. 1.

quamprimum consuluisse, ac prae metu aerarium reliquisse apertum.

§. XXIV.

Aliquibus videtur Iulius Celsus *y*) aut quiuis potius quam Caesar istorum commentariorum auctor fuisse: quod nullibi in ipso opere dicat, se composuisse illos; contra, quotiescunque datur occasio, non se vocare soleat, sed Iulium Caesarem, et de se tanquam de alieno loquatur: cum Velleius Paterculus, Ammianus, et alii non erubescant, leuiores ob caussas, historiis se immiscere; imo cum Cassiodorus in recensendis consulibus, vbi ad eum annum peruenit, quo ipse consulatum gessit, non, vt Caesar, Cassiodorum fuisse consulem dicat, sed *se consule in laude temporum Theoderici Romanae ecclesiae optatam rediisse concordiam.* Ita FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS *z*) Caesari tres libros de bello ciuili abiudicat. Et LVDOVICVS CARRIO *a*) ne quidem septem libros de bello Gallico Caesaris esse putat: quos LVDOVICVS CADVCEVS *b*) Suetonio adscribere nullus dubitauit, seductus OROSII verbis: *c*) *Hanc* de Caesaris bello Gallico *historiam Suetonius Tranquillus plenissime exposuit: cuius nos competentes portiunculas decerpsimus.*

§. XXV.

y) Qui scriptor, seculi post Christum natum decimi quinti, Caesaris commentarios recensuit ac emendauit. Scripsit etiam commentarios de vita Caesaris, anno 1473. editos, ac denuo recusos Graeuii opera, in elegantissima Caesaris editione, Amstelodami 1697.8. *z*) Subcisiu. lection. lib. 1. cap. 3. et lib. 2. cap. 2. ab eo discrepat CAMERARIVS initio notarum in 3. de bello ciuili. *a*) A Carrione merito dissentit LIPSIVS epist. quaest. l. 2. epist. 2. et MODIVS in nouantiquis epist. 30. *b*) Vid. SAVARO notis ad Sidon. l. 9. epist. 14. VOSSIVS de hist. Latinis l. 1. c. 15. *c*) Lib. 6. c. 7.

§. XXV.

Sed valeant isti cum suis inficetis ratiociniis, quibus immerito antiquitatem ipsam oppugnare, tot MStorum infringere fidem, ac bonos suis foetibus auctores priuare conantur. Certe constat ex SVETONIO *d*) et HIRTIO, *e*) qui cum Caesare militauit, illum haec sua bella commentariis exposuisse. His vero maiorem fidem habemus, quam Orosio, aut huic simili. Accedit STRABO, qui initio libri quarti *ὑπομνήματα θεοῦ καίσαρος commentarios diui Caesaris* citat: item PLVTARCHVS, et quos longa serie VOSSIVS *f*) recenset. Et quis non videt, in istis omnia mirifice et prudenter esse ad commodum Caesaris comparata? futiles belli in Britanniam translati caussae: vt suam, quae vera caussa fuit, ambitionem tegeret, ac Romanorum auaritiam, quae totius orbis imperio videbatur impleri non posse. Nullibi apparebit, vel minimum, vestigium crudelitatis in bello Gallico, iniquitatis in ciuili, aliarum rerum, quae olim officere Imperatoris famae vllo modo potuissent. Quam ob rem etiam Asinius Pollio apud TRANQVILLVM *g*) calumniatur eum, quod parum diligenter, parumque integra fide conscripserit commentarios; cum pleraque, et quae per alios erant gesta, incaute crediderit, et quae per se, vel consulto, vel obliuione, perperam ediderit. Quis non admiratur elegantem et plane Romanam dictionem, per omnia respondentem illi, quam reliquis scriptorum fragmentis passim

d) Ille Caesar. cap. 56. scripta eius aliena discernit ab genuinis: *Reliquit et rerum suarum commentarios, Gallici ciuilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est.* *e*) Cuius verba aeque ac Tullii Idem TRANQVILLVS l. c. continuo subiicit. *f*) De hist. Lat. l. 1. c. 13. *g*) Caesar, c. 56.

ſam veteres Grammatici produnt. *h*) Parti aduerſae D. Iselivs, in incluta Baſilienſi Theologus et polyhiſtor celeberrimus, cum adhuc valde iuuenis eſſet, erudita diſſertatione *i*) reſpondit, nihil opus fuiſſe, in ipſa hiſtoria ingeminare ſuum eſſe librum, quem iam titulus ei aſſerebat, aut ſeriem narrationis abrumpere, vt id aſſeueraret, de quo nec cum viueret, vlli erat dubium, nec poſt mortem futurum praeuideri poterat. Neque inſolitum, ducem de propriis geſtis referre, quod Xenophon aliique fecerunt, et tempore Ciceronis in vſu fuit plerisque Senatorum, vt acta ſua literis mandarent. *k*) Verum hoc non admodum probatur in Scriptoribus, Velleio Paterculo, Ammiano Marcellino, atque aliis, quod maluiſſent prima, quam tertia perſona hiſtoriis ſemetipſos immiſcere. Nec crebro illi agunt de ſe; nec ea commemorant, quae ipſis laudem erant paritura: contra quam debuiſſet Iulius Caeſar, qui noluit crebra ſui repetitione faſtidium parere lectori, vel ambitionis ſuſpicionem incurrere.

§. XXVI.

Maximum erat Caeſar ingenii humani culmen, ac naturae quoddam quaſi miraculum et *τέρας* i. e. monſtrum, vt Cicero *l)* eum vocat, omnibus admirandum. *m)* In ſcriptis elucet vbique inſignis puritas et elegantia; in verborum ſtructura ordo, eaque facilitas, quae inſtar placidi fluminis pro-

Dd 2 currit;

h) Exempla vide apud Vossivm de hiſt. Latin. l. 1. c. 13. *i*) De hiſtoricis Latinis melioris aeul. cap. 1. *k*) Vid. Cicer. offic. l. 2. c. 1. *l*) Ad Attic. l. 8. epiſt. 9. *Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt plenum.* *m*) Tantus enim inter mortales eius fuit animi vigor, vt ſcribere et legere ſimul, dictare et audire ſoleret; epiſtolas vero quaternas pariter, et ſeptenas librariis dictare: teſte Plinio hiſt. natur. l. 7. c. 28.

currit; in sententiis grauitas et ciuilis prudentia, qua ipsum, quem exemplar habuit imitationis, Xenophontem, cetero haud sibi dissimilem, longe superauit. Si breuitatis in eo dicendi genere laus est maxima, quae nihil obscuritatis habet: historicus noster incomparabilis merito omnibus esse videtur, qui cum breuitatem valde adamauerit, ita tamen pressus est, vt illustrius eo nihil fieri possit. De commentariis illius quibus nihil perfectius Latinae literae habent, CICERO *n*) *nudi sunt*, inquit, *recti, et venusti, omni ornata orationis tanquam veste, detracto. Sed dum voluit alios habere paratum, vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volent calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit; nihil est enim in historia pura et illustri breuitate dulcius.* HIRTIVS: *o*) *Adeo probantur omnium iudicio, vt praerepta, non praebita, facultas scriptoribus videatur: cuius tamen rei maior nostra, quam reliquorum est admiratio: ceteri enim, quam bene atque emendate, nos etiam quam facile atque celeriter, eos perscripserit, scimus.* Rursum TVLLIVS: *p*) Caesar habet peracre iudicium, et splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet. Facit eum TACITVS *q*) summis oratoribus aemulum. Ab HIRTIO *r*) vocatur praecellentis ingenii, sermonisque praeter alios castissimi; a VALERIO MAX. *s*) humani ingenii perfectissimum columen; ab AVLO GELLIO *t*) grauis

n) In Bruto cap. 75. SVETONIVS Caes. cap. 56. Pl. confer. huius dissert. part. 1. c. 2. §. 11. *o*) Praefatione libri 8. de Caesaris bello Gallico. SVETONIVS l. c. *p*) De claris orator. cap. 75. *q*) Annal. lib. 13. cap. 3. *r*) De bello Gallico l. 8. praef. *nihil tam operose ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur.* *s*) Lib. 8. c. 9. n. 3. *t*) Noct. Attic. l. 4. c. 16.

grauis auctor linguae Latinae, et alibi *v*) excellentis ingenii et prudentiae vir. Nihil vero illustrius est FABII *x*) elogio: *Caius Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.* Nullibi non proprie, nullibi non significanter loquitur, tantumque habet ornamentorum, quantum res exponendae requirunt: curiosius enim elaboratam orationem, ac nimia cultam elegantia, non modo in commentariis, verum etiam in omni historia prudentiorum aures respiciunt. Dictio est pura, natiua, perspicua et elegans: adeoque sermonis excellit castitate, vt Cornelii Nepotis et ipsius Tullii dignitatem aequiparare possit. *y*) Quamobrem MANVTIVS *z*) cum historicis Latinorum omnibus praefert; et LVDOV. VIVES *a*) adeo Caesaris libros commendat, vt prima etiam aetate, vna cum epistolis Ciceronianis, legendos existimet. Neque audiendus est MASENIVS *b*) qui Caesaris stilum in commentariis strigosum vocat; elegantissimo enim dicendi genere vtebatur pro materia substrata, cui aliqua oratio succiplena minime conueniebat. Ac nihil magis istius hominis iudicium Latinitati purissimae Caesaris nostri derogat, quam LIPSIVS *c*) vbi non praeclare de illa sentit. Scriptores enim ex ipso Latio supra citati, quorum sensus in hac caussa profecto saniores sunt, istis facile obicem ponent.

v) Lib. 1. cap. 10. *x*) Instit. orator. l. 10. c. 1. *y*) Pl. conferatur Cl. WALCHIVS hist. Crit. Lat. ling. c. 8. §. 4. p. 348. seq. *z*) In praefat. commentarii in Caesarem. *a*) De tradendis disciplinis. *b*) Pal. stili. *c*) Poliorcet. lib. 4. dial. 9.

§. XXVII.

Quamuis Caesar in consignandis commentariis summa fuerit vsus eloquentia et sermonis castitate, vtpote qui grauis auctor linguae Latinae, et ipse praecepit habere semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum, sic fugiamus inauditum atque insolens verbum, *d*) tamen quaedam vocabula sparsit, quae scriptoribus aliis purae et emendatae Latinitatis minus trita fuerunt. *Ambactus* vox Gallica est FESTO *e*) *actus*, vel vt alii legunt *seruus*: quam alibi *f*) notauimus respondere Germanorum *Amt*: nam et veteri lingua Belgica *Ambacht* significat iurisdictionem. *g*) Atqui historicus noster: *h*) in Gallia *equitum*, inquit, *vt quisque est genere copiisque amplissimus; ita plurimos circa se ambactos clientesque habet:* et ministros intelligit conditionis liberae, non seruos, vt alii volunt. *i*) *Ancorarii funes k*) dicit ab ancora, quod adiectiuum LIVIO *l*) est *ancoralis*, si vera Sigonii lectio: ipse autem funis, cui ancora alligatur, *ancorale* vocatur. *m*) *Mons* vero *ancorarius* citerioris Mauritaniae PLINIO *n*) notatur. *Circulari* historico nostro est circumire et coetus aut circulos facere. Ita: *o*) *totis vero castris milites circulari, et dolere, hostem ex manibus dimitti.* Eius verbi actiuum inuenies quidem etiam apud TVLLIVM: *p*) *oscitans iudex, loquens cum altero*

---

d) Apud GELLIVM noct. Attic, l. 1. c. 10. *e*) In h. v. *f*) Differt. de origine Latin. linguae cap. 5. §. 8. confer. CLVVERIVS Germ. antiq. l. 1. c. 8. *g*) Vid. thesaur. erud. scholast. in verbo *ago*, *ambactus*. *h*) De bello Gallico l. 6. c. 14. *i*) Confer. VOSSIVS de vitiis serm. Lat. l. 1. c. 2. et etymologico. *k*) De bello Gall. l. 2. c. 9. *l*) Lib. 37. cap. 30. *m*) LIVIVS l. 22. c. 19. *n*) Hist. natur. l. 13. c. 15. *o*) De bello Gallico l. 1. c. 64. vbi alii quidem, sed perperam, *conturbari* legunt. *p*) De claris orator. c. 54. confer. VICTORII var. lect. l. 8. c. 13.

tero, nonnunquam etiam circulans. i. e. caput modo huc, modo illuc circumferens. *Collabefieri*, zu Grunde gehen/ verbum ut insolens, *q)* quo vtitur, et ipsi vitio vertunt. Immerito: nam CORN. NEPOS *r)* de Aristide memorat, quod *a Themistocle collabefactus testula illa, exilio decem annorum multatus* sit. OVIDIVS: *s)*

Et vastum motu collabefactat onus.

Et LVCRETIVS: *t)*

Collabefactatus rigor auri soluitur aestu.

Contabulatio, die Täfelung/ ipsi fuerat in vsu, *v)* vt ipsum verbum *contabulare*, quod est tabulis consternere. *x)* *Detrimentosum y)* quod detrimentum adfert. *Dolabratus*, *z)* behauen/ gehobelt. *Explicitius a)* facilius, expeditius, minore cum difficultate ac periculo. *Insuefactus*, abgerichtet/ fere apud ipsum *b)* solum hac Latinae linguae aetate reperitur. *Magistratu*, pro *magistratui*, praeesse *c)* et similia sine i litera dicenda censebat: vt *vnius arrogantiae superbiaeque dominatuque*; item *et honori erant, et ornatu. d)* Scripsit porro *materiari*, *e)* nach Holtz gehen / vt lignari. *Speciarius* pro *specialis*, sed perperam, ponitur, *f)* et omnino putem illum Caesaris locum, *speciariis donis amplissime donare*, esse mendosum, aliamque vocem ibi substituendam. Reliqua vt leuiora, nec tanti momenti, lubens praetermitto, et aliorum examini relinquo.

§. XXVIII.

q) De bello ciuili l. 2. c. 6. *r)* Aristid. cap. 1. *s)* Fast. lib. 1. v. 566. *t)* Lib. 1. v. 492. *v)* De bello ciuili l. 2. c. 9. *x)* De bello Gallico l. 7. c. 22. confer. SVETON. Calig. c. 19. *y)* De bello Gall. l. 7. c. 33. *z)* De bello Gall. l. 7. c. 73. *a)* De B. C. l. 1. c. 78. *b)* De B. G. l. 4. c. 24. *c)* De B. G. l. 1. c. 16. *d)* Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 4. c. 16. *e)* De B. G. l. 7. c. 73. *f)* De B. C. l. 3. c. 53.

§. XXVIII.

A. HIRTIVS *g)* nobilissimo genere natus, et literarum auidissimus, Ciceronem audiuit, *h)* qui virum illum vocat sibi amicissimum, et iis studiis, in quibus a pueritia vixerit, deditum: *i)* vsque adeo vt etiam vbique pro Cicerone magistro suo litigaret. *k)* De Cicerone saepius ad Atticum et perhumane scripsit; librum quoque ad Ciceronem suum misit de Catone: quem is diuulgari voluit, vt ex illius vituperatione sit ipsius maior laudatio. *l)* Caesari vero semper adhaesit, sub cuius imperio in Galliis meruit, cuiusque partes in ciuili bello continuo secutus, familiaris et intimus tanti herois factus est. *m)* Caesare interfecto, cum omnes perturbationum nouarum caussae quaeri viderentur, consilia sua cum Cicerone communicauit de pace et concordia ciuium restituenda: vt otium, si quod superesset, cuique suum stabiliretur. *n)* Anno ab V. C. DCCXI. Romae fuit consul cum Pansa, quocum ab Antonio caesus est, cum ad Brutum liberandum, Mutinae obsessum venisset. *o)* Vbi ASINIVS POLLIO *p)* testatur, cum nihil non summi ducis consilio gessisse. At CICERO, *q)* cum vidisset auctum, miratur, quod sit tam ineptus atque sine riuali

g) Alii scribunt *Hircius*; sed *Hirtii* lectionem non solum lapides antiqui, verum etiam consuetudo probat. vid. ALDVS in orthographia. Ex errore in quibusdam exemplaribus vocatur *Hirtius Pansa* qui ejus in consulatu collega fuit. Et mirum videtur hoc non animaduertisse magnum MORHOFIVM polyhist. liter. l. 4. c. 11. §. 9. vbi *A. Hirtius Pansa* scribitur. *h)* CICER. ad famil. l. 7. epist. vlt. l. 9. epist. 16. *i)* Idem de fato cap. 1. *k)* Ad Attic. l. 13. epist. 19. *l)* Ad Attic. l. 12. epist. vlt. *m)* Ad Attic. l. 7. epist. 4. *n)* CICER. de fato cap. 1. seqq. *o)* Vide. SVETONIVS August. c. 11. ASINIVS POLLIO apud CICERONEM ad famil. l. 10. epist. 33. l. 12. ep. 25. Ad Brutum epist 9. *p)* Apud CICERON. ad famil. l. 10. epist. 33. *q)* Ad Q. Fratrem l. 3. epist. 8.

riuali vsque adeo se ipse amans. Luxuriosius viuebat, ac inter principes versabatur, qui Cereri et Baccho dediti splendidissimis conuiuiis inclaruere. Hinc CICERO ad Papirium Paetum scribit: *r) Hircium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, caenandi magistros. Puto enim te audisse, illos apud me declamitare, me apud eos caenitare.*

§. XXIX.

Auctor est ille Hirtius libri octaui de Caesaris bello Gallico. Ex cuius praefatione constat, eundem et libellos, qui de bello Alexandrino et Africano cum Caesaris commentariis eduntur, scripsisse. Quamuis TRANQVILLVS: *s)* testetur, dubitatum de iis, Oppiine, an Hirtii essent. Idem Hirtius videtur non haec solum, verum omnia scripto consignauisse, quaecunque Caesar post Gallicum bellum vsque ad finem vitae gessisset. Eius coniecturam faciunt ipsius verba: *t) nouissimeque imperfecta ab rebus gestis Alexandriae confeci, vsque ad exitum, non quidem ciuilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris.* Dictionem haud immerito commendat LIPSIVS: *v)* et MARCVS TVLLIVS: *x)* Volumnium significat suo tempore ipsius eloquentiae magis, quam quod se audierit, inuidisse. Vitio ipsi vertunt, quod contra sui seculi consuetudinem, scripserit patiendi forma, *aspernari ab omnibus. y)* Quod dixerit alibi: *z) paruulam modo caussulam nactus Caesar.* Atqui ipse TVLLIVS *a)* Lysias, inquit, *paruarum rerum caussulas scripsit.* Neque nouum erat, *cruciabiliter*, quo

r) Famil. l. 9. epist. 16. *s)* Caesar. cap. 56. confer. LIPSIVS elect. l. 2. c. 22. VOSSIVS de histor. Latinis, l. 1. c. 13. *t)* Praefat. lib. 8. de bello Gallico. *v)* Ad Tacit. annal. lib. 2. *x)* Ad famil. lib. 7. epist. vlt. *y)* De Bello Africano cap. 93. *z)* De bello Africano cap. 54. *a)* De opt. gen. or. c. 3.

quo aduerbio noster vtitur: *b)* cum iam pridem ante ipsum PLAVTVS: *c)* *cruciabiliter*, dixit, *me accipito:* et alibi *d)* aegritudinem et angores per *cruciabilitates animi* exprimit. Ad eiusdem PLAVTI *e)* imitationem *filiis* pro *filiabus* dixit. *f)* *Insectatus* passiue apud ipsum est *g)* vbi *miles*, inquit, *ab his insectatus constiterat.*

§. XXX.

Fuit tempore Ciceronis quidam CORNELIVS BALBVS, genere Gaditanus, Caesaris familiaris, *h)* qui res eius absentis curabat: adeo vt non solum Caesaris epistolarum ad hunc fuerit liber singularis; *i)* verum etiam ipse ad alios Caesaris nomine litteras dederit. *k)* SVETONIVS testis est, *l)* eum gesta Caesaris consignasse: *cuius rei*, inquit, *ne quis fabulosam aut commentitiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Caesaris.* Atque etiam ille continuis precibus Hirtium commouit, *m)* vt Caesaris prosequeretur historiam. Vtrum vero, quod VOSSIVS *n)* autumat, librum de bello Hispaniensi annexum conscripserit: valde dubitamus. TRANQVILLVS certè, *o)* vbi mentionem illius fecit, prorsus de Balbo silet: *nam*, inquit, *Alexandrini Africique et Hispaniensis belli incertus auctor est. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli nouissimum imperfectumque librum suppleuit.*

b) De bello Afric. c. 46. *c)* Pseud. A. 4. S. 1. *d)* Cist. A. 2. S. 1. *e)* Poen. A. 5. S. 3. Stich. A. 4. S. 1. *f)* De bello Alex. cap. 33. *g)* De bello Alex. cap. 71. *h)* CICER. ad Attic. l. 2. epist. 3. Hinc putant Caesarem a Cornelio Balbo fuisse retentum, ne assurgeret, cum adeuntes se cum honorificis decretis vniuersos Patres conscriptos, ad multorum inuidiam sedens excepit. vid. SVETONIVS Caesar. c. 78. *i)* Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 17. cap. 9. *k)* Vid. CICER. ad Attic. l. 9. epist. 8. 9. 10. 16. 17. et 18. *l)* Caesar. cap. 81. *m)* Vid. praefat. lib. 8. de bello Gallico init. *n)* De hist. Lat. l. 1. cap. 13. *o)* Caesar. cap. 56.

pleuit. Balbum vero, cuius Ephemeridem Sidonivs Apollinaris *p*) laudat, non diuersum esse a Balbo Cornelio Theophane, cuius meminit Capitolinus, contra Vossium Baelivs *q*) notauit. Quomodocunque res sese habeat: ille liber mutilus et valde corruptus ad nos peruenit: neque cum aliis optimi seculi scriptorum monumentis vllo modo comparari potest. Et Vossio iudice, *r*) stilus duriusculus est, et ornatu carens: quam ob rem, sed perperam, aliqui eum barbarum vocant. Quocum et Iosephvs Scaliger *s*) sentit, vbi inter alia: *de Liuio, cuius dictio ornatior, quam Latinior illi critico videbatur, qui Patauinitatem in eo animaduertebat: et quidem fortasse iustius, quam ii, qui militem, qui scripsit diarium belli Hispanici, barbarum vocant: quum tamen eo scripto nihil Latinius concipi possit. Sed horride loqui vllum militem, quem horridum vocant Poetae, non tam mirum videri debet, quam putare ideo barbare loqui, quod incondite.*

§. XXXI.

Neque silentio praetermittendus est CAIVS OPPIVS, Ciceronis *t*) non minus quam Caesaris amicus et familiaris, *v*) eodem loco habitus, quo Cornelius Balbus: adeo vt summus Imperator ad hos praefectos et, absente se, curatores suos literas easdem fere communes scribere consueuerit: quarum

p) Lib 9. epist. 14. ad Burgundionem: *Nam si omittantur quae de titulis Dictatoris inuicti scripta Patauinis sunt voluminibus, quis opera Suetonii, quis iuuenci Martialis historiam, quisue ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequauerit?* *q*) In Lex. vbi de Caesare. *r*) De hist. Latin. l. 1. c. 13. *s*) Proleg. in Manilium. *t*) Vid. eius ad familiares lib. 11. epist. vlt. *v*) Sveton. Caesar. c. 52. et 72. et Plvtarchvs in Pompeio eum καίσαρος ἑταῖρον, *Caesaris familiarem* vocat.

A. GELLII aetate x) volumen integrum exſtitit. Erant tunc ordinum diuerſa ſtudia: et qui vicerant, publice valebant. Oportet ergo C. Oppii et Cornelii Balbi maximam fuiſſe fortitudinem: quod illi primi Caeſaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. y) Atque etiam Caeſaris amor et beneuolentia erga Oppium inde patet, quod illi ſe comitanti per iter ſilueſtre, ac ſubita valetudine corrupto ceſſerit loco in diuerſorio, quod vnum erat, ac ipſe humi ſub diuo cubuerit. z) Scripſit hiſtorica varia, ſed quae iniuria temporum ſimul omnia periere, vt praeter obſcura nonnulla fragmenta a) ſolum ipſius nomen ad aetatem noſtram peruenerit. Sic in vita Caſſii ab Chariſio; in vita Scipionis Africani ſuperioris ab A. GELLIO; b) in vita C. Marii a PLINIO; c) in vita Cn. Pompeii a PLVTARCHO. d) Vnde VOSSIVS, e) nec immerito, colligit, Oppium illum vitas illuſtrium virorum condidiſſe. Et SVETONIVS f) teſtatur, illum ex Iulii amicis, quaſi res defenſione et patrocinio egeret, librum edidiſſe, non eſſe Caeſaris filium, quem Cleopatra dicat. Mox etiam g) illum neſcio ex quo libro citat de Caeſare auctorem, quod adeo indifferens fuerit circa victum, vt quondam ab hoſpite oleum corruptum pro viridi appoſitum, ceteris aſpernantibus, ſolus appetierit largius: ne hoſpitem aut negligentiae, aut ruſticitatis arguere videretur. Idem, h) quod ſupra aliquoties monui

x) Noct. Attic. l. 17. c. 9. conf. CICERON. ad Attic. l. 9. epiſt. 8. 9. 10. 17. y) TACITVS annal. lib. 12. cap. 60. z) Teſte SVETONIO Caeſar. c. 72. a) Quae inter alia habet ANTONIVS RICCOBONVS ad calcem libri de hiſtoria, qui prodiit Venetiis, 1568. et Baſil. 1579. 8. b) Noct. Attic. lib. 7. cap. 1. c) Hiſt. natur. lib. 11. cap. 45. d) In Pompeio. e) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 13. f) Caeſar. cap. 52. g) L. c. cap. 53. h) Caeſar. cap. 56.

monui, Oppium vel Hirtium habet auctorem belli Alexandrini, Africi et Hispaniensis, quae cum Iulii Caesaris commentariis vulgata fuerunt. Sed illa Viri docti sentiunt, esse Hirtii; hoc vero cuius sit, non conueniunt Critici, et sub iudice lis est.

§. XXXII.

C. Iulii Caesaris elegantissimi de rebus suis commentarii, eorundemque ab A. Hirtio scripta supplementa, post inuentam artem typographicam, primo publicam lucem viderunt *Romae* 1469. fol. in domo P. de Maximis. 1472. et 1476. fol. *Venetiis* 1471. fol. per Nicolaum Ienson, Gallicum. 1482. fol. 1490. fol. curante Raymundo Marliano per Mag. Theodorum de Regazonibus de Asula. 1494. fol. per Philippum de Pinciis. 1490. fol. Non adscripto editionis loco prodierunt 1473. fol. Vbi haec in fronte conspiciuntur: *Iulii Caesaris bellum Heluetiorum; bellum Ariouisti; qualiter omnes Belgae, inter quos Neruii in deditionem capti sint, de Galba inuaso circa Alpes; bellum Veneticum; de Vbiis; de transitu Rheni; profectio in Britanniam; oppugnatio castrorum Titurii et Ciceronis per Ambiorigem; de Menapiis per Labienum victis; de moribus Galliae; de destructione Eburonum, subditorum Ambiorigis; de Germanis fortuna delatis ad castra Ciceronis; de defectione totius Galliae; Vertingetorige duce; obsidio et captio Auarici; victoria Labieni; defectio Heduorum; obsidio Gergoie; proelium cum Vercengetorige; obsidio mirabilis Alesiae.* Argumentum libri, omnium elegantissimi, profecto non conueniens et indignum.

§. XXXIII.

Seculo sequenti Caesaris scripta prodierunt *Venetiis* 1517. fol. per Augustinum de Zannis de Portesio. 1519. 8. apud Aldum.

dum. 1564. 8. cum Ioh. Mich. Bruti ſcholiis, 1571. 8. 1575 4. et 1590. 8. cum fragmentis et ſcholiis Aldi Manutii, Pauli Manutii F. et Fuluii Vrſini emendationibus. *Bononiae* 1504. et 1509. fol. editio Philippi Beroaldi. *Florentiae* 1523. apud Iuntam. *Pariſiis* 1522. 4. curante Petro Daneſio. 1543. fol. apud Michaelem Vaſcoſanum. 1544. 8. apud Rob. Stephanum cum Henrici Glareani notis. *Lugduni* 1536. et 1540. 8. apud Seb. Gryphium. 1546. forma minori. apud Seb. Gryphium. 1555. forma minori. 1574. fol. cum Manutii ſcholiis, Vrſini emendationibus, et Franciſci Hottomanni commentario. *Antuerpiae* 1570. 8. apud Plantinum, cum Ioh. Michaelis Bruti ſcholiis. 1574. 8. apud Plantinum, cum notis et caſtigationibus Iucundi, Bruti, Manutii, Fuluii Vrſini, et ſpicilegio Ioh. Sambuci. 1586. 8. apud Plantinum. *Lauſannae* 1571. fol. *Baſileae* 1521. 8. apud Tho. Wolfium. 1535. apud Heruagium. 1543. 8. cum Ioh. Rhellicani Tigurini notis. 1566. 8. et 1583. 8. cum Henrici Glareani annotationibus. *Argentorati* 1596. forma minori cum Ioh. Michaelis Bruti ſcholiis. *Francofurti* 1575. et 1589. fol. ex muſeo Iac. Stradae, cum notis Glareani, Hottomanni, Vrſini et Manutii. 1584. 8. apud Ioh. Wechelum, cum Fuluii Vrſini et aliorum emendationibus, Fr. Hottomanni commentario, et Raym. Marliani veterum Galliae locorum alphabetica commemoratione. *Lipſiae* 1574. 8. cum notis Ioh. Glandorpii a Reinero Reineccio excerptis.

§. XXXIV.

Poſt reparatam generis humani ſalutem decimo ſeptimo ſeculo Caeſaris commentarii vulgati ſunt *Patauii* 1695. 12. nitida editione. *Pariſiis* 1678. 4. opera Ioh. GodWini, in vſum Delphini. *Londini* 1693. et 1697. 8. Ioh. Godwini, in vſum Delphini. *Antuerpiae* 1606. 8. apud Plantinum. *Amſtelodami* 1661. 12. ex officina Elzeuiriana et emendatione Scaligeri.

1670.

1670. 8. apud Elzeuirium, cum notis variorum, accurante Arnoldo Montano 1697. 8. cum integris variorum notis, cura Ioh. Georg. Graeuii. *Lugduni Batau.* 1606. 8. apud Raphelengium ex recognitione Iosephi Scaligeri. 1613. 8. cum notis Rhellicani, Glareani, Glandorpii, Ioach. Camerarii, Bruti, Manutii, Fuluii Vrsini, Petri Ciacconii et Hottomanni. 1635. apud Elzeuirium. 1651. 1658. 1665. 1670. 1686. 8. opera Arnoldi Montani, cum selectis variorum notis. *Argentorati* 1658. 8. ex bibliotheca Ioh. Henr. Boecleri. *Francofurti* 1606. et 1669. 4. prodierunt C. Iulii Caesaris quae extant, cum interprete Graeco librorum VII. de bello Gallico, variorumque notis, annotationibus et commentariis, opera et studio Gothofredi Iungermanni, ex officina Zunneriana. *Lipsiae.* 1696. 8. cum notis Scaligeri 1700. 8. cum notis Cellarii.

§. XXXV.

Nostro denique seculo Caesaris commentarii prodierunt *Cantabrigiae* 1706. Ioh. Dauisii praestantissima editione. *Londini* 1704. 8. 1706. et 1716. 8. *Roterodami* 1713. 8. duobus voluminibus, cum variorum notis, curante Graeuio. *Traiecti ad Rhenum* 1718. 12. ex emendatione Io. Scaligeri. *Lipsiae* 1705. 1713. et 1722. 8. editio Christophori Cellarii, notis et tabulis geographicis illustrata, et pleno Latinitatis indice aucta. *Halae Magdeb.* 1718. 8. in der Rengerischen Buchhandlung/ mit Teutschen Anmerckungen/ darinnen 1) die schweresten Constructiones gewiesen/ 2) die Antiquitäten hinlänglich erleutert/ 3) die eingeschobenen falschen passagen bemercket und 4) die nettesten phrases auf eine ungezwungene Art ins Teutsche übersetzt werden: nebst 6 accuraten Land-Charten/ einem darüber gestellten curieusen Register/ noch einem andern Real- und Verbal-Indice, einer Vorrede/ und

und Summarischen Lebens-Beschreibung des unvergleichlichen Helden Caesaris.

§. XXXVI.

CORNELIVS NEPOS, *i)* pueris etiam ex superstite elegantissimo, quem manibus quotidie versantur de vitis Imperatorum libello, ad primam nominis recitationem, satis notus, ea demum fata vidit, vt qui virorum illustrium accuratissime et ambitiose descripsit familiam, res gestas, alia, ipse, etiam neglectus ab omnibus, de se praeter famam, quae quidem maxima est, in orbe literato prorsus nihil reliquerit. Magnificum nomen prae se fert *Catulli* Veronensis Poetae libellus, nostro adscriptus:

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Solius praenominis quidem in ipso carmine, breuitatis studio, aut versus lege meminit: ipsa tamen inscriptio, *Ad Cornel. Nepotem*, illius nomen exprimit integrum, veteribus satis vulgatum perusitatumque. *k)* Hinc AVSONIVS: *l)* nomen a Catullo praeteritum, reposuit illius ab se expressi loco:

Cui dono lepidum nouum libellum,
Veronensis ait Poeta quondam,
Inuentoque dedit statim Nepoti.

Vtut

i) M. ANT. MVRETVS l. 2. epist. 7. *De praenomine Nepotis nihil habeo, nisi quod semper suspicatus sum ex* C. Cornelio Nepote, *librarios, qui eandem literam bis ponere laboriosum putarent, fecisse Cornelium: saepe hoc ita commissum scio.* Quod negat DAN. GVIL. MOLLERVS Disputatione circulari de Cornelio Nepote §. 8. *k)* Vid. PLINIVS Hist. nat. l. 3. c. 17. et 18. l. 4. c. 12. l. 5. c. 1. l. 6. c. 11. l. 9. c. 39. *l)* Ad Trepanum Pacatum Latinum.

Vtut parentes eius nulli a quoquam indicentur, facilis tamen ex praenomine coniectura est, eum ex splendidissima et maxime tum florenti familia originem habuisse. Quis enim dubitat Corneliorum gentem Romanos inter summis honoribus defunctam atque multis rebus gestis omnium nobilissimam fuisse? *m)* *Nepotis* vero cognomen unde habuerit, non satis constat. Potuit auo adhuc viuente natus fuisse. Potuit etiam fuisse Corneliorum agnatus cognatusue: hos enim dictos generatim esse Nepotes, colligimus ex STATII: *n)*

- - neque enim magis ille trahentem
Spernit et ignota credit de stirpe nepotum.

Vel denique potuit fuisse generis Corneliani *non pes* siue basis et fundamentum, sed appendix quaedam et ἀπόγονος. Aliis suam, si quam magis plausibilem habent, coniectandi rationem saluam sartamque praeterea esse volumus, eius quantumuis mentionem facere nullam potuerimus. Patria *Veronensem* fuisse, ONVPHRIVS PANVINIVS ipse Veronensis *o)* ait: *constantissimo ciuitatis nostrae testimonio Cornelium Nepotem virum doctissimum et antiquitatum omnium peritissimum Veronensem fuisse traditur, cui in summa cum reliquis Veronensium illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate.* Imo locus natalis fuit Hostilia, vicus Veronensium in transpadana Italiae parte, quae antiquis Gallia togata nominabatur. *p)* Hinc PLINIO *q)* *Padi accola*, CATVLLO *r)* *Italus*, AVSONIO *s)* *Gallus* vocatur. Dies et annus, quo sit in lucem editus, quoue

m) FRANCISCVS NANNIVS peculiarem de claris Corneliis Romae libellum conscripsit. *n)* Lib. 2. sylu. 1. Confer. BARTHIVS ad h. l. *o)* In catalogo illustrium scriptorum Veronensium. *p)* Vid. G. I. VOSSIVS de Hist. Latin. l. 1. c. 14. MOLLERVS disp. circ. de Cornel. Nepote §. 12. *q)* Hist. natur. l. 3. c. 18. *r)* Ab exord. carminum libelli. *s)* Epist. 24. *t)* Ce-

quoue debitum naturae soluerit, *t)* quantum memini, apud nullum auctorem expressis verbis adhuc reperiri licuit: sed ante Caesaris dictaturam, eo ipso dictatore, et postea vixisse, non adeo difficilis probatio est. Ciceronis amicus et familiaris a GELLIO *v)* vocatur, quicum frequens habuit literarum commertium. *x)* T. Pomponii Attici (is enim Ciceronis coaeuus, aequalis et intimus fuit) tempore Nepotem nostrum vixisse, primo intuitu cuilibet apparet ex prooemio libri, quem de vitis excellentium Imperatorum scripsit. Hic enim Atticum appellat, eique monumentum istud consecrat: cuius rogatu de Catone commentatus est; *y)* cuiusque domesticis rebus propter familiaritatem saepe interfuit. *z)* De Catullo iam dictum est, quod nostro sua carmina inscripserit. Et ne quis eum fortasse putet fuisse tum iuuenili aetate, CICERO *a)* etiam de Nepotis filio ad Atticum scribit: vnde simul euidens est illis temporibus nostrum auctoritate et virili robore coniugem et familiam suam habuisse. Octauii Augusti Imperatoris aetatem quoque attigit ad cuius annum IV. ab V. C. IↃCCXIV. Olympiade CLXXXV. ceu clarus scriptor historicus ab HIERONYMO *b)* refertur: fortassis quod tum demum ea opera

t) Celeb. WALCHIVS professor nunc Ienensis Theologus, de literis elegantioribus optime meritus, historia critica L L. cap. 8. §. 3. p. 343. *defunctus est*, inquit, *primis annis principatus Augusti V. C.* DCCXXIV. Errore, si quid sentio, typographico: et forsan Cl. auctor ex chronico Euseb. annum DCCXIV. Augusti IV. notare voluit, quo clarus fuit noster historicus: defunctum esse non constat. *v)* Noct. Attic. l. 15. c. 28. et l. 17. c. 21. *x)* Vid. CICER. ad Attic. l. 10. ep. 5. SVETON. Iul. Caesar. c. 55. AMMIAN. MARCELLINVS initio libri 26. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 1. *y)* CORN. NEP. Caton. extr. *z)* Idem Attic. c. 13. *a)* Ad Attic. l. 17. epist. 16. *b)* In Chronico Eusebiano confer IOH. FVNCCII chronol. fol. 89. C. GER. IOH VOSSI de Hist. Latin. l. 1. c. 14. in fine. MOLLERI disp. circul,

opera diuulgare coepit, quibus maxime inclaruit. Et PLINIVS *c*) cum sub diui Augusti principatu diem obiisse supremum memoriae prodidit. De honoribus quamuis nihil certi statuendum sit, tamen, si nomen eius inprimis illustre, si eruditionem, si vrbanum sermonem et facundiam, si historiarum notitiam, si Catulli gentilis carminum dedicationem, si denique maximam eius cum M. T. Cicerone, viro consulari, et T. Pomponio Attico, Equite Romano, familiaritatem consideramus, summa eum Romanos inter auctoritate fuisse, et officiis functum haud vulgaribus, affirmare nulli dubitamus. Nec frustra Herennius *d*) tanti aestimauit illius imaginem, vt posuerit in bibliotheca sua: cum illi etiam Veronae in summa curia poneretur statua ex publica auctoritate. *e*)

§. XXXVII.

Extant eius *vitae excellentium Imperatorum, f*) Pomponio Attico dicatae. Quos ibi recenset Imperatores Graeciae sunt sequentes: *1. Miltiades, 2. Themistocles, 3. Aristides, 4. Pausanias, 5. Cimon, 6. Lysander, 7. Alcibiades, 8. Thrasybulus, 9. Conon, 10. Dion, 11. Iphicrates, 12. Chabrias, 13. Timotheus, 14. Datames, 15. Epaminondas, 16. Pelopidas, 17. Agesilaus, 18. Eumenes, 19. Phocion, 20. Timoleon.* His subiungit 21. *de Regibus* Persarum atque Graecorum breuem commentationem. Illorum res gestae separatim sunt relatae ab Cornelio Nepote, quod ipse monet ab introitu illius pertractationis: hodie vero eiusmodi nihil extat. Reges se-

 quun-

cul. de Corn. Nep. §. 6. *c*) Hist. natur. l. 9. c. 39. l. 10. c. 23. *d*) Apud PLINIVM l. 4. epist. 28. *e*) Vid. PANVINIVS in catal. illustr. scriptor. Veronensium. *f*) Genuina operis inscriptio patet ex ipsa praefatione in cuius fine auctor scribit: *Quare ad propositum veniemus, & in hoc exponemus libro vitas excellentium Imperatorum.*

quuntur duo Carthaginienses Imperatores, 22. *Hamilcar*, et eius filius, 23. *Hannibal.* Sed videtur auctoris animus fuisse, omnis generis *viros illustres* describere *g*) et superstites imperatorum vitas particulam esse illius operis, cuius mentionem fecit A. GELLIVS, *h*) CHARISIVS *i*) autem secundum, decimum quintum et decimum sextum libros citauit. Certe libro sequenti egisse de Romanis, haec eius *k*) verba ostendunt: ***Sed nunc tempus est huius libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores: quo facilius collatis vtrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari.*** Ex his aetatem tulerunt superioribus annexi 24. *Cato*, de cuius vita et moribus in fine inquit auctor, peculiarem librum fecisse, qui desideratur; et denique 25. *Atticus*, quem VINETVS *l*) inter Ciceronis ad Atticum epistolas seruatum fuisse notat. Eo pertinet quoque *Ciceronis vita* qua de libros aliquot scripsisse, nostra aetate nusquam gentium obuios, A. GELLIVS *m*) testatur. Sic quoque *Terentium* descripsit, quod ex *Donato*, vel, qui verus illius scripti auctor est, *Suetonio* in vita Terentii discimus. Singularem vero de *illustribus viris* librum, qui a Proca Rege Albanorum incipit, in Cn. Pompeio terminatur, perperam tribui Cornelio, aut Plinio, aut Suetonio aut Tacito; sed Aurelii Victoris esse discimus ex eruditissima SCHOT-

g) Ideo HIERONYMVS praefatione libri de scriptoribus ecclesiasticis, apud *Fabricium* Biblioth. Eccles. pag. 13. Nepotem inter eos refert, quorum exemplo acturus sit de iis, qui scribendo claruerunt. *h*) Noct. Attic. l. 11. c. 8. vid. etiam SERVIVS in Aeneid. 1. v. 368. *i*) Lib. 2. col. 195. lib. 1. col. 114. et eiusd. col. 113. *k*) In extrema Hannibalis vita. *l*) Ad Auson. Idyll. 7. *m*) Noct. Attic. l. 15. c. 28. confer. D. HIERON. epist. 61. ad Pammachium cap. 4.

Schotti epiſtola, Cornelio Nepoti praemiſſa: vbi etiam de *verſione Daretis* agitur.

§. XXXVIII.

Aemilium Probum falſo libellus de vitis Excellentium Imperatorum aliquot abhinc ſeculis prae ſe tulit: donec omnis literaturae communes diſcuterentur tenebrae, ac reuiuiſcente bonarum artium ſtudio, verum auctoris nomen operi reſtitueretur. Error ſine dubio venit ex illis male intellectis, quos antiquo codici praefixos viderunt, verſibus:

Vade liber noſter, fato meliore memento
Cum leget haec dominus, te ſciat eſſe meum.
Ne timeas fuluo ſtrictos diademate crineis
Ridenteis blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis, hominem ſed regna tenere
Se meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur ſteriles, facilis tectura libelli,
Theodoſio, et doctis, carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paullatim detege noſtrum,
Tunc Domino nomen, me ſciat eſſe Probum.
Corpore in hoc manus eſt genetricis, auique, meaque:
Felices, Domini quae meruere manus.

Enim vero Aemilius Probus non ipſe libri auctor, ſed librarius fuit, ſub Theodoſio Imperatore, cui Nepotis volumen, et matris, et aui, et ſua manu deſcriptum, obtulit: quod ex memoratis verſibus abunde patet. Sed Tulliani aeui ſcriptorem eumque Cornelium Nepotem fuiſſe, arguunt oppido multa veterum teſtimonia; ipſius auctoris confeſſio, quod Attici, Ciceronis amici, rogatu multa fecerit, cui etiam inde vitas Imperatorum ſacras eſſe voluit; ſcribendi ratio, quae liberae ſtatum Reipublicae prodit; denique ſtilus, qui maxi-

mam oſtendit puritatem, eamque virtutem, quae Tulliano aeuo propria, omnium vero minime Theodoſiano tempori conuenire potuit. Sunt ergo alii ſaniores paulo, et hos inter BARTHIVS, *n*) qui malunt affirmare, Nepotem ab Aemilio Probo in compendium eſſe redactum, vt Trogus a Iuſtino, Feſtus a Paulo quodam Diacono: ita quidem vt omnia de puriſſimis Cornelii fontibus hauſerit. Verum etiam hoc non admittit operis concinnitas et aequalis vbique orationis forma. Neque illum in animo habuiſſe prolixius aliquid memoriae prodere, ipſius verba nos edocent, quibus vitam Pelopidae ingreditur: *Si res explicare incipiam, non vitam eius enarrare, ſed hiſtoriam videar ſcribere: ſi tantummodo ſummas attigero, ne rudibus litterarum Graecarum minus lucide appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque vtrique rei occurram, quantum potero; et medebor cum ſatietati, tum ignorantiae lectorum.* Quemadmodum PLVTARCHVS *o*) inquit: ὔτε ἱςορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίυς: ſic quoque noſter, hiſtoriam inter et deſcriptionem vitae, inſignem ſtatuit differentiam: illa enim actui publico aptior, ideoque inſtructior eſſe debet; haec priuatim moribus ſeruit, ac ſimpliciori forma gaudet. Neque ſatis ego mirari poſſum, quid ſit, quod ſua hypotheſi et contradicendi quadam libidine captus ille BARTHIVS *p*) mirari non erubeſcat, tot doctos, tot repetitis reuiſisque editionibus, homines non aduertiſſe, aut monuiſſe, multa in iis vitis eſſe parum Nepotis aeuum ferentia: quod ſi vnius genium, cum Attici vita committas, inquit, offendas vtique multas ſalebras, et minime perennem illum dictionis candorem,

n) Aduerſar. l. 24. c. 18. et l. 25. c. 15. *o*) In principio vitae Alexandri. *p*) Animaduerſ. ad Papin. Stat. 2. Thebaid. pag. 331.

rem, et illaesam suauitatem in docta atque prudente simplicitate. Scilicet vt vitas Imperatorum Graecorum Aemilio Probo vindicet, Atticum et pauca alia scriptori genuino relinquat. Ego vero adhuc eiusmodi nihil, quam maxime studerem, deprehendere potui: vt vel nihil sapiam, vel aequalis pro re nata rerumque circumstantiis elegantia, et inaffectata Latinitas vbique esse videatur.

§. XXXIX.

Opera scripsit praeterea Corn. Nepos, quorum hodie nullum extat, inter alia haec: 1. *Chronicorum libros tres*, de quibus ciuis et amicus eius CATVLLVS: *q)*

- - namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, cum ausus es vnus Italorum
Omne aeuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter, et laboriosis.

2. *Exemplorum libros*, quorum secundum CHARISIVS: *r)* quintum A. GELLIVS *s)* laudant. 3. *Epistolas t)* quarum ille praesertim frequens cum Cicerone commercium habuit. *v)* Alia, quorum fragmenta ab ANDREA SCHOTTO omnium diligentissime collecta plerisque Cornelii editionibus subiiciuntur.

§. XL.

Varie accusant viri eruditissimi officium historici in auctore

q) Ab exord. carminum, quae Cornelio nostro dedicauit. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 21. SOLINVS Polyhist. c. 2. AVSONIVS epist. 16. (Vineti edit. 3.) *r)* Grammat. l. 1. *s)* Noct. Attic. l. 7. c. 18. *t)* Vid. LACTANTIVS Instit. diuin. l. 3. c. 15. *v)* Vid. SVETONIVS Iul. Caesar. c. 9. AMMIANVS MARCELLINVS l. 26. initio, MACROBIVS Saturnal. l. 2. c. 1. inprimis CICERO ad Attic. l. 16. epist. 5.

ctore nostro, quod neglexerit, vel contradicendo sibimetipsi, vel rem non satis exhauriendo, vel denique fidem, quae virtus in historico summa est, parum vbique custodiendo: vt magis videretur imperatorum laudi, quam historiae veritati studere. Haec dum scribo, in manus meas venit epistola Viri elegantiorum literarum amantissimi, vt experiretur vires meas, quaedam quasi inuectiua, *Quomodo dici potest Miltiadem fuisse inter Principes, quos Darius, in Scythas traiecturus exercitum, secum ex Ionia et Aeolide duxerat: cum iisdem quidem temporibus Miltiades imperaret coloniae Atheniensium in Chersoneso Thracica?* x) *Num traiiciens Hellespontum hanc Chersonesum occupauit armis? Non videtur. Hoc enim tempore cum Atheniensibus Dario nondum bellum fuit. Num denique illa colonia vltro fidei et tutelae Darii se dedidit? etc. Sane fuisset boni historici, qualis C. Nepos habitus est, et fine controuersia fuit, haec, vt rem omnino memorabilem, referre.* Vix mihi persuadere possum, ex omni quotquot fuerunt, historicorum numero fuisse quenquam industrium adeo et solicitum, vt minimas rerum gestarum circum-

x) Pari modo accusatur a PETAVIO Rationarii temporum part. 1. lib. 3. c. 2. commissi in Miltiade erroris, quod duos Miltiades confundat, ac vtriusque res gestas vni tribuat. Nec sensit aliter celeberrimus ISELIVS Differt. de historicis Latinis melioris aeui cap. 3. Vel hac sola ratione, quod Miltiadas distinguat AELIANVS. Sed frustra: quod statim videbimus. Neque hic, quo procul dubio respicit, variar. hist. l. 12. c. 35. aliud memoriae prodidit, praeterquam haec verba: καὶ Μιλτιάδαι τρεῖς, ὁ τὴν Χεῤῥόνησον κτίσας, καὶ ὁ Κυψέλλου, καὶ ὁ Κίμωνος. *Et Miltiadae tres, vnus qui Cherronesum condidit, alter Cypselli filius, tertius Cimonis.* Quae verba vt obscura et concinna, ita valde ambigua sunt: neque si rem ipsam clarius paulo memoriae prodidissent, Nepotis fidem infringere vllo modo potuisse videntur.

circumſtantias omnes notare, et poſteritatis magis curioſae, antiquiſſima quaeque plus ſemper vltra perſcrutandi cupiditatem explere ſecum conſtituerit. Fateor, boni hiſtorici officium eſſe hoc, vt, quantum fieri poteſt, res clare et vere proponat: aliis tamen atque aliis placet alia pertractationis methodus, neque hiſtoriarum ſcopus eſt omnibus idem. Hinc fieri, ſuapte induſtria quilibet facile videt, quod alii prolixius, alii preſſius, rurſum alii magis ornate, circumſtantiis aliquanto diuerſis, cauſſam eandem memoriae prodiderint. Neque ſemper, quod quidem imbecillitati humanae tribuendum eſt, in Re ipſa conueniunt. Ita Alcibiadem a plerisque infamatum Thucydides, Theopompus, et Timaeus, grauiſſimi hiſtorici, extulerunt ſummis laudibus. *y*) De morte Themiſtoclis apud pleroſque multis modis ſcriptum eſt. *z*) Mirum ergo nemini poſſe videri putem, Cornelium noſtrum Darii Hyſtaſpis filii ex Aſia minori per Thracium Boſporum, quem ponte iunxit exercitu traiecto, in Scythas Europaeos expeditionem numeris omnibus non abſoluiſſe. Id enim ſibi datum eſſe non exiſtimauit, vt bella Darii, vel hiſtoriam eius temporis prolixiorem ſcribat: dum inter excellentes imperatores ordine vitam Miltiadis et conciſe et digitis, ſaltem commonſtrato ſynchroniſmo, perſequi animum induxerat. Adeone ſufficiebat indixiſſe omnibus circumſtantiis, Miltiadem Athenienſium coloniae Cherſoneſum proficiſcenti ducem fuiſſe electum, forti manu eam prouinciam, ex pacto Lemnum inſulam vicinam accepiſſe, mox etiam Cyclades: neque multo poſt ab Dario, Scythis bellum inferente, cum aliis conſtitutum fuiſſe pontis in Iſtro flumine facti cuſtodem, prae-

y) Cornel. Alcibiad. cap. vlt. *z*) Idem Themiſt. cap. vlt.

praefectumque oppidorum. etc. Minime gentium in illis sibi contradicit. Clariss. Obseru. auctor quidem sibi legisse videtur, Miltiadem ex eorum numero fuisse, quos Darius ex Ionia et Aeolide secum duxerat. Ego vero non opinor, eam auctoris mentem esse. Potius rem ita capio, Miltiadem fuisse in numero eorum, Graeca lingua loquentium, quibus cum perpetuo imperio Darius pontis tradiderat custodiam: vt eximendus sit Miltiades princeps custos, quem Cornelius data opera describit, ab istis custodibus, quos ex Ionia et Aeolide fuisse, dicit. Nam valde mihi credibile est, illas minores prouincias omnem aduentanti cum magno exercitu Dario, classe, consilio, iunctisque viribus suis, ad beneuolentiam captandam suaque imperia stabilienda, opem tulisse: primo quidem propiores, vt Aeolis et Ionia, mox aliae maris Aegaei insulae, denique Thracia illa Scythis Europaeis proxima praesertim illi adiacens Chersonesus, cui Miltiades tunc temporis imperabat: Inde HERODOTVS a) Chersonesi illius incolas distinguit iure meritoque ab aliis saepius memoratis, eosque Hellespontios vocat. Ipsius verba damus, sed latine versa: *Darius transmisit in Europam, iussis Ionibus nauigare in Pontum vsque ad Istrum, atque vbi eo peruenissent, se illic praestolari, fluuium ponte iungentes. Ducebant enim classem Iones et Aeoles et Hellespontii.* etc. Ex his, quos Hellespontios Halicarnasseus historicus vocat, Miltiades fuit, neque vllo modo ex verbis Cornelii vel Ionibus vel Aeolibus adscribendus. Cetera quod attinet, procul dubio, ex amicitia et foedere, vt reliquae Graecorum coloniae Miltiades se cum Persis coniunxit: quum Darius illis in regio-

(a) Lib. 4. p. m. 248.

regionibus, quas in ea expeditione transire necessario debebat, nihil hostile minitaretur: contra vero illi pertimescerent summam Darii potentiam, qui septingenta hominum millia cum equitatu educebat, praeter classem, quae constabat ex nauibus sexcentis. *b*) Qua quidem vi bellica tunc temporis Darius omnibus et mari et terra maximum terrorem incutere potuit. Hinc et ipse Miltiades, quum sentiret ab Scythis premi Darium, pontis custodes hortatus est, *ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent: nam si cum his copiis, quas secum transportauerat, interiisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo.* etc. Illa vero quae Vir eruditissimus in Cornelio nostro Nepote desiderat, etiam frustra apud illos quaeret, qui data opera expetitionem hanc scriptis reliquerunt.

§. XLI.

Officium historici quidem noster in illis, quas habemus, virorum illustrium vitis, non vbique praestitit: vt qui laudare potius res gestas omnium, quam describere studuit. *c*) Vtrum vero ex hac sola ratione historicis accenseri nequeat, consule VOSSIVM *d*) et MOLLERVM *e*) qui Vossium nullus dubitauit cum allegatis eius eo vsque describere, vt etiam sibi ab luculentis typographorum erroribus imponi pateretur.

 Quis

b) Vid. HERODOTVS histor. l. 4. p. m. 247. IVSTINVS l. 2. c. 5.
c) Probamus ergo sententiam ERASMI DESIDERII in Ciceroniano suo de Aemilio seu verius Nepote; *Candidus est laudator omnium, quorum vitam descripsit, vt encomiasten dicas verius, quam historiographum.*
d) De historicis Latinis l. 1, c. 14, p. m. 70. *e*) Disp. circulari de Cornelio Nepote §. 27.

Quis dubitaret, vt hoc ſolum intranſitu moneam, Criticum, quem ſe diſſertationum argumento profitetur et hiſtoricum, toties totiesque noctes Auli Gellii Atticas perlegiſſe atque adeo propemodum deuoraſſe: vt, quot libros contineant, ſaltem ignorare non poſſit. At quum videret ab Vossio *f*) de Chronicis Cornelii Gellium citari libro XXVII. vbi ab typographo ſignum denarii X errore bis poſitum eſt (ſunt enim noctium Atticarum libri tantum viginti.) Ipſe eumdem *g*) incautus erroris eodem libro 27. citauit. Haec, fateor, minuta ſunt, verumtamen ab nobis ideo monita, vt quibus placet, vel iure, vel iniuria alios exſcribere, diſcant ſua furta celare. Attamen, vt in viam reuertamur, Cornelius noſter optimo iure laudem promeruit cultiſſimi caſtiſſimique auctoris, qui cum Cicerone, Terentio et Caeſare de palma certare videretur. Certe pueris ille optimo inſtituto, ad formandam Latinitatem, omnium primo traditur totus ediſcendus: eſt enim materia in illo facilis intellectu et iucunda, ſermo ornatus, et elegans ſimul atque perſpicuus, et vere Romanus. De caſtitate et admirando verborum delectu ipſe TVLLIVS ad Atticum, *h*) non ſine animi offenſione, ſcribit: *Nepotis epiſtolam exſpecto: cupidus ille meorum, qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet.* Maxima vbique in eo deprehenditur gratia: cum ſtudio videatur ſimplicitatem ſectari; verborum autem elegantia, compoſitione ac ſenſu aliquid ſuauitatis ſuae praeter ſenſum lectoribus inſinuet. BOECLERVS, *i*) qui Nepotem noſtrum ſua opera ſaepius edidit, auctorem hunc locorum inſtar communium commendat: ad quos

f) De Hiſt. Latin. edit. Francof, 1677. in 4. pag. 70. lin. 3. *g*) Citata diſput. §. 20. lin. 2. *h*) Lib. 16, epiſt. 5. *i*) De eloquentia viri ciuilis. diſſert. tom. 1. pag. 105.

quos respicere possit ciuilis eloquentiae studiosus, quoties hominum mores et publicam priuatamque consuetudinem vitae; quadam subtili elegantia, non citra grauitatem et auctoritatem notari desiderat. Pauca nec tanti momenti a puriore Latinitate remota notantur apud ipsum, quae incuria librariorum videntur irrepsisse, ex. gr. *alterae* pro *alteri*, *capitulatim* pro *summatim*, *face* pro *fac*, *fungi* cum accusandi casu, *Neocli* pro *Neoclis* et id genus alia: quae non crebro obueniunt: et si ab ipso auctore prolata, ex vsu antiquiorum conseruata fuerunt. Ipsi vero dictionis elegantiae prorsus nihil decedit rarioribus eiusmodi, vel etiam propter numerum sparsis eloquentiae obliteratae terminationibus: cum auctor cetero vbique tam purus atque castus sit in oratione, vt non aeque alius apud Romanos. Neque ego satis mirari possum IOHAN. MEVRSII *k*) temeritatem, vbi, vt solet erudite probat ex Philone atque aliis, Solonem Atheniensibus permisisse matrimonia quam latissime: etiam sororum, quanquam tantum consanguinearum, non item vterinarum: et Cornelium Nepotem accusat, quod *l*) sororem, quam debuisset consanguineam vocare, non recte *germanam* dixerit. Vnde nam vero ille doctus et elegans antiquitatum scrutator virum Romanum Romanae linguae proprietatem docuerit? Forsan ex FRONTONE *m*) aut ISIDORO? *n*) Quorum auctoritatem ego in hoc genere ne tanti

 quidem

k) Themidis Atticae l. 1. c. 14. Conferantur SAM. PETITVS comm ad leges Atticas p. 440. et RVTGERSIVS var. lect. l. 1. c. 9. p. 39. *l*) In praefatione atque in vita Cimonis. *m*) Apud GOTHOFREDVM inter Auctores Latinae linguae pag. 1329. *n*) Origin. l. 9. cap. 6. VARRONIS enim apud Seruium in Aen. 5. v. 412. verba, *germanus est de eadem genetrice manans*, mihi valde suspecta sunt.

quidem facio. Promiscue, vt verum fateor, illa vox *Germana* vsurpatur, atque etiam inde verum et sincerum significat: et *germani* dicuntur optimae notae scriptoribus non solum ὁμοπάτριοι eodem patre nati, sed etiam vterini ex eadem matre. *o*) Proprie vero, vt Nepos proprietatis in sermone omnium studiosissimus est, *Germani* a *germine*, quod ex arborum surculis nascitur, dicti sunt eadem stirpe geniti. *p*) Stirps autem a patre est familias, non a matre, quae ipsa saepe in aliorum familiam transit. Et optimus verbi interpres est ipse Cornelius, *q*) vbi *habebat*, inquit, *in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen: non magis amore, quam more ductus. Nam Atheniensibus licet, eodem patre natas vxores ducere.* Vnde fortassis SPIEGELIVS criticus suo tempore doctissimus: *r*) *Germanus est consanguineus frater, i. e.* ὁμοπάτωρ, *non etiam vterinus.*

§. XLII.

Seculo post reparatam generis humani salutem decimo quinto Cornelii Nepotis, quae supersunt, excellentium Imperatorum vitae primum sub falso, quod supra vidimus, Aemilii Probi nomine prodierunt *Venetiis* 1471. fol. per Nic. Ienson, quae ex typis editio est omnium antiquissima. Eam deinde exceperunt ibidem aliae 1473. et 1499. fol. *Parmae* 1480. fol.

§. XLIII.

Sequenti seculo *Lutetiae Parisiorum* 1569. 4. cum Dionysii Lambini emendationibus et commentariis. *Coloniae* 1543. 8. apud Gymnicium cum scholiis Gyberti Longolii. *Basileae* 1563. cum Hieronymi Magii annotationibus. *Bardi Pomera-*

o) Vid. RVTGERSIVS var. lect. l. 1. c. 9. p. 40. seq. *p*) FESTVS in *Germen.* *q*) In vita Cimonis cap. 1. *r*) In iuris ciuilis lexico.

meranorum 1594. 8. ex recensione Nathanis Chytraei. *Argentorati* 1506. 4. ex aedibus Schurerianis, hoc titulo: *Aemilii Probi vitae excellentium Imperatorum Tito Pomponio Attico dedicatae; Ti. Pomponii Attici vita per Cornelium Nepotem descripta; Plutarchi liber de illustrium mulierum virtutibus; eiusdem paralelia.*

§. XLIV.

Decimo septimo post Christum natum seculo elegantissimus Cornelii Nepotis libellus prodiit *Parisiis* 1602. forma minori, cum Ioh. Sauaronis castigationibus atque notis. 1675. 4. illustrante Nic. Courtino in vsum Delphini. *Londini* 1688. 12. accurante Rutgero Hermannide. 1691. 8. Nic. Courtini opera in vsum Delphini. *Oxonii* 1675. et 1687. 12. 1697. 8. *Amstelodami* 1644. et 1662. 12. cum Iani Gebhardi notarum spicilegio. 1648. 8. cum Ioh. Loccenii notis politicis et indice philologico. 1689. et 1692. 12. Rutgeri Hermannidae. 1691. 12. cum Dauidis Hoogstratami notis selectis, cura I. A. Bosii. *Lugduni Batauorum* 1642. 12. cum scholiis Gyberti Longolii. 1658. 1667. 1675. et 1687. 8. cum variorum notis curante Rob. Keuchenio. *Traiecti* 1665. 12. cum Ioh. Henr. Boecleri notis. 1691. 12. cum Hermanni Essenii animaduersionibus. *Argentorati* 1640. 8. cum commentario, notis, et luculento indice Ioh. Henr. Boecleri, quae saepius repetita est ita, vt iam 1681. sexta vice ederetur. *Francofurti* 1608. fol. cum scholiis Andreae Schotti, Gyberti Longolii et aliorum, quibus accedit Petrinanni de claris Corneliis libellus. editio praeclara. 1673. 12. cum notis Loccenii. 1668. 12. cum versione Germanica Sculteti. 1697. 8. cum notis Christiani Grünbergii. *Ienae* 1635. 8. cum Iohannis Rauenii notis. 1675. 8. cum Ioh. Andr. Bosii commentario, additis Gebhardi, Boecleri et Henr. Ernstii

Ernstii notis. *Lipsiae* 1653. 8. Iac. Mylii, adiunctis Boecleri, Gebhardi, Ernesti notis. 1657. 8. cum Ioh. Andr. Bosii commentariis. 1666. 12. Friderici Hildebrandi. 1675. 8. Bosii editio. 1680. 8. cum notis Kirchmeieri. 1688. 8. cum notis Augusti Buchneri. 1689. 1694. 1700. 12. cum notis Christophori Cellarii. 1699. 12. cum notis ad modum Minellii. *Hamburgi*. 1648. et 1677. 12. cum Iohannis Rauenii notis. 1673. 12. cum Ioh. Loccenii notis politicis et indice philologico. 1697. 8. ex recensione Ioachimi Henningii. *Holmiae* 1638. 12. cum Ioh. Loccenii notis politicis et indice philologico. 1654. 8. cum Ioh. Loccenii notis.

§. XLV.

Seculo recentissimo Cornelius Nepos typis vulgatus est *Patauii* 1720 8. cum var. lectionibus Nicolai Ienfonis et Aldinis; accessit elegantiorum locutionum index. *Londini* 1715. 8. curante M. Maittaire. *Oxonii* 1709. 8. *Amstelodami* 1704. 8. cum iconibus. 1704. 12. ex editione Ioh. And. Bosii. 1706. 12. Hoogstratami. 1707. 8. cum notis variorum. 1711. 12. *Vltraiecti* 1705. 12. charta maiori, cum notis Hermanni Essenii. *Basileae* 1724. 12. cura Mich. Maittaire. *Norimbergae* 1702. 8. cum imitationibus. *Vlm.* 1715. 8. Kocheri. *Augustae Vindelicorum* 1715. 1717. 1721. 1724. 8. cum Germanica interpretatione et annotationibus Emanuelis Sinceri. *Francofurti* 1705. et 1709. 8. cum notis Chr. Grunebergi. 1722. 8. cum interpretatione Ioh. Casp. Malschii. *Lipsiae* 1706. 1711. 1715. 12. cum notis Cellarii. 1707. 8. cum notis Ernesti, 1707. 1712. 1715. 1718. 12. cum notis ad modum Minellii. *Custrin.* 1705. 8. Wegneri. *Berolini* 1724. 12. cum indice Latino Germanico vocabulorum et phrasium locupletissimo. *Lipsiae* 1728. 12. cum annotationibus Abr. Kriegelii.

§. XLVI.

§. XLVI.

TITVS *k*) LIVIVS, *l*) historicus inter omnes aeui cuiuscunque scriptores clarissimus et elegantissimus, Patauii, *m*) oppido

k) *Titi* praenomen vnde sit ortum, auctores non conueniunt. Festvs in voc. *tituli* putat, ortum esse ex ea voce, qua milites appellantur, quasi *tutuli* quod patriam tuerentur. Vnde Persivs Satyr. 1. v. 19. 20.

Heic, neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos - -

Vbi quidem Cornvto, seu, vt aliis placet Acroni, antiquissimo huius poetae interpreti videtur, Titi praenomen esse a membri virilis magnitudine. Alii id vocis deriuant a Sabino quodam vid. Titvs Probvs apud Dionys. Gothofr. Auctor. LL. Syntagm. p. 1399. et Carol. Sigonivs de nominibus Roman. ibid. p. 1407. Rursum alii aliunde. *l*) Clarissimum Liuiorum nomen fuit, et familia tum Romae, tum Patauii illustrissima. vid. Sertorivs Vrsatvs monument. Patau. l. 1. sect. 1. Glandorp. Onomast. col. 546. Tomasinvs vita Liuii Patauini cap. 1. Mollervs Disp. de Tito Liuio §. 9. *m*) De patria Liuii non idem omnes sentiunt. In quibusdam Hieronymi editionibus, vt Erasmi tom. 4. et Mariani Victorini tom. 9. epist. 49. quam Valerius Ruffino scripsit, ne ducat vxorem, Liuius *Poenus* vocatur: sed procul dubio ex insigni librariorum mendo, quod facile potuit irrepsisse, cum scriptum esset notis velocissime Pvino pro Patavino: vt vi in oi vel oe tractu temporis permutarentur literae. confer. Mollervs l. c. §. 1. et 3. Sunt qui *Titulo* vico non ignobili inter Euganeos colles, vulgo *Monti di Padoa*, Liuii nostri natales adscribunt, atque hinc *Titi* praenomen deriuant, etiam domum eius et imaginem ibi ostendunt. vid. Iacobvs Philippvs Tomasinvs in vita T. Liuii cap. 1. et 10. Dan. Gvil. Mollervs Disp. de T. Liuio §. 1. et 4. Sunt denique alii, qui Liuium esse natum affirmant in *Apono* vico, hodie *Abano*, non procul ab vrbe Patauio, perducti in hanc sententiam a versu Martialis lib. 1. epigr. 62. *Censetur Apona Liuio suo tellus*: vt eo modo Patauinus dicatur, quo Maro dictus est Mantuanus, cum natus esset Andibus in agro Mantuano. Sed eiusmodi nihil ex epigrammate Martialis vrgeri potest, vbi a fonte Apono, qui

oppido Italiae vetustissimo ad Timauum fluuium, anno secundo Olympiadis CLXXX. ab V. C. DCXCIV. *n*) ex familia satis clara et honestis parentibus *o)* natus est. Primis annis se statim ingenii acumen prodidit, quocum singularis humanitas comitasque coniungi videbatur: vt nihil venustius eo, nihil amabilius fingi potuerit. Cum adeoque diuino praeditus ingenio et multis animi dotibus, ad summa quaeque gerenda praesertim ad studia literarum natus esset: ab solicitis parentibus, quantus fuerat, totus consecrabatur Musis: quibus admodum fauentibus, ille vasta memoria et spiritu perspicaci miros quotidie in liberalibus scientiis profectus fecit. Philosophus naturae totius arcana perlustrauit. Iuris tam naturalis, quam gentium, et legum latarum cognitionem cum ciuili prudentia in promtu habuit semper: vt orationem et incomparabilem, quae cum Liuio quasi nata fuit, eloquentiam, rerum grauitate ac sententiarum ponderibus augere posset. Ita bonis artibus instructus et probe ornatus magis magisque videbatur elucere: donec in eam ciuitatem penetraret, quae caput imperii fuit, ac maiorem eruditionis suae radios diffundendi co-

inter Patauinas aquas celebratissimus erat, Apona terra generatim dicitur pro Patauina, non pro vico Apono, cuius nequidem illis temporibus nomen fuisse videtur, vid. CLVVERIVS in Italia, VOSSIVS de histor. Latin. l. 1, c. 19. TOMASINVS l. c. MOLLERVS de Liuio §. 1. et 6. vbi quidem in diuersam sententiam ire atque Liuium Aponi natum esse conatur probare; postquam antecedente §. 5. illorum argumenta infringere sibi visus est, qui patriam Liuio Patauium vrbem assignarunt. *n*) EVSEBIVS in Chronico num. 1958. *Messala Coruinus orator nascitur et Titus Liuius Patauinus scriptor historicus.* *o*) Quamuis illorum nomina vetustas nobis inuiderit, praestantissimos tamen fuisse, liberalis filii educatio, studia, et in aula Octauiani Caesaris Augusti familiaritas totidem argumentis probant.

di copiam haberet. *p)* Imperii fasces et rerum summam tenebat tunc temporis Octauianus Caesar Augustus, qui clauso Iani templo, certissimus omnium literatorum fautor aedem aperuit Musarum atque beneficiis omnes vndique liberalium artium cultores in felicissimam orbis et politici et literarii sedem pellexit. Neque Tito nostro Liuio difficilis erat accessus ad Imperatorem Augustum, cui dialogos, de philosophia olim conscriptas in patria, detulit, auibus minime aduersis: illos enim tantus eruditionis et ingeniorum aestimator hilari fronte excepit; ipsum vero auctorem, cuius praestantiam admiratus fuerat, multis exornatum muneribus, ad consilia vel amicitiam et prope familiaritatem admisit: quam ne partes quidem Pompeianae infringere potuerunt, cum tantis laudibus efferret Pompeium magnum, vt Augustus eum *Pompeianum* appellauerit; neque tamen istud eorum amicitiae officeret. *q)* Quam primum se conferret Romam, Liuius equestri adscriptus ordini statim ad consignandas Romanorum res gestas animum induxit, *r)* suasque historias scribere coepit quidem post Augusti de Aetiaco bello triumphum et quintum consulatum, sed ante Cantabros domitos siue decimum Augusti consulatum, adeoque intra annum ab V. C. ıɔccxxv. et ıɔccxxx. Quod ex ipso Auctoris textu et facta de Iano semel clauso mentione *s)* Vossivs, *t)* vt solet omnia, erudite et eleganter demonstrauit. Sunt qui existimant, historicum nostrum Pataui tantum scripsisse, suaque per de-

 cadas

p) Confer. Tomasinvs in vita Liuii cap. 1. Mollervs disp. de Liuio §. 13. *q)* Teste Cremutio apud Tacitvm Annal. l. 4. c. 34. *r)* Vid. Liuii vita ex cod. MS. in bibl. coll. noui in editione historiarum eius noua Oxoniensi 1708. 8. *s)* Liv. lib. 1. c. 19. *t)* De histor. Latin. l. 1. §. 19.

cadas *v*) librariis et bibliothecarum cuſtodibus Romam miſiſſe, nec quenquam, cum ſcriberet, ſecum potuiſſe conferre. Alii vero non Pataui tantum ſcripſiſſe, ſed etiam Romae, et in aliis locis, quae non procul ab vrbe ſibi aliquando ad ſolitariam manſionem delegerat. *x*) Nam et ſtudiorum cauſſa, nonnunquam relicta Roma, Neapolin ſeceſſit. *y*) Sed vt plurimum in ipſa vrbis celebritate verſabatur, et vnus e cunctis aeui ſui praeſtantiſſimis Rhetoribus Claudio Caeſari adoleſcenti magiſter dabatur, vt Auguſtam Iuuentutem imperio dignis moribus atque ſtudiis formaret: illi etiam auctor erat in ea tenerrima aetate, vt hiſtoriam ſcribere aggrederetur. *z*) Quam celebris et ſplendida fuerit tum temporis Patauini noſtri hiſtorici fama, vel ex eo patet, quod ab extremis partibus orbis homines ad eum viſendum venerint, tanto deſiderio, vt ſi abeſſet, etiam illi, neglecta Roma, Liuium extra ciuitatem perquirerent. Ita PLINIVS: *a*) *Nunquamne legiſti, Gaditanum quendam, T. Liuii nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum ab vltimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, vt viderat, abiiſſe?* Et HIERONYMVS: *b*) *Ad T. Liuium, lacteo eloquentiae fonte manantem, de vltimis Hiſpaniae Galliarumque finibus quosdam veniſſe nobiles*

v) Ego tamen cum eruditiſſimis libros, quam decadas, numerare malo: non enim ipſe qui ſcripſit, verum ignauia legentium illam hiſtoriam in decadas ſcidit, vt pridem obſeruauit FRANC. PETRARCHA in epiſtola ad Boccatium. Confer. PETRVS CRINITVS 12, 7. de honeſta diſciplina. SIGONIVS in limine notat. VOSSIVS de arte hiſtorica p. 131. FABRICIVS bibl. Lat. l. 1. c. 11. p. 181. *x*) Vid. Liuii vita ex MSto Oxonienſi modo citata. *y*) Confer. STEPHAN. Vinand. Pighius Hercule Prodicio p. 455. et MOLLERVS l. c. §. 18. *z*) Teſte SVETONIO in vita Claudii cap. 41. *a*) Lib. 2. epiſt. 3. *b*) Oper. tom. 3. Epiſt. 103. ad Paulinum.

nobiles legimus: et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa aetas inauditum omnibus seculis celebrandumque miraculum: vt tantam vrbem ingressi, aliud extra vrbem quaererent. c) Tamen vetus auctor *d)* affirmat, Liuium fuisse, cum viueret, paucis probatum, sed post fata demum meritos consecutum honores. Obiit vero, cum LXXVI. aetatis annum ageret, ab V. C. ıɔccLXX. Tiberii Caesaris IV. anno, si fides EVSEBIO, *e)* Patauii. Atque etiam ciues eius sepultum ibi esse volunt, producentes lapidem a quopiam solito altius agrum fodiente repertum. Annus erat, post Christum natum, cIɔccccXIII. cum e canonicis Patauinis quidam pro fundamento aedificii sternendo apud monasterium sanctae Iustinae virginis terram altius effodere curaret. Apparuit tum forte fortuna pauimentum vetustissimum, quo fracto, capsam plumbeam inueniunt ossibus plenam. Exclamatur statim, Liuium ibi sepultum esse, quod monachi meminerint, eodem loco veterem effossum lapidem cum Liuii epitaphio. *f)* Famam in continenti sequitur confluxus populi et maximorum quorumque virorum, qui capsulam amplexabantur, et efficiebant, vt breui post illius Diui ossa reperta magno conuentu et pompa ciuitatis insigni, Nobilium humeris in forum maximum deportarentur. Deinde quem locum illis assignarent satis commodum, quodue monumentum satis illustre super ista erigerent, inter se diu multumque disputarunt: plerisque publi-

cum

c) Confer. MORHOF. de patauinitate Liuii. *d)* Apud SVIDAM in χορυϐλος, *e)* In Chron. num. 2033. *Liuius historicus Patauii moritur.* *f)* Totam huius rei historiam Sicco Polentanus epistola scripsit Nicolao Florentino, quam LAVRENTIVS PIGNORIVS inseruit Originum libro cap. 17. Confer. MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. 3.

cum locum designantibus; aliis ex optimatum venerabili ordine promittentibus monumentum longe pretiosius, si permissum fuerit condere ossa Liuii prope aedes suas. Vicit tandem publica pietas, vt deportarentur ad occidentalem Praetorii parietem, et T. Liuii cum imagine praeclarum elogium affigeretur. Eius rei fama cum ad sapientem Arragoniae Regem Alphonsum perueniret, anno CIϽCCCCLI. per legatos os brachii Liuiani, quo Romanam historiam incomparabilem consignauerit olim, a Patauinis obtinuit, atque illud Neapolim deportauit. Reliqua ossa Pataui anno CIϽIϽXLVIII. translata sunt in eminentiorem locum eiusdem occidentalis partis Praetorii. Illic etiamnum THOMASINO et MORHOFIO g) testibus, spectatur T. Liuii mausolaeum nobilitatum aeneis tabellis, inscriptionibus et vetustissima, vt aiunt, imagine eius marmorea. Sub illa imagine marmor id collocarunt, quod olim in D. Iustinae templo effossum fuerat, et ex quo ipsa ossa postmodum reperta T. Liuii historici esse iudicarunt. Sunt autem insculptae literae sequentes:

V. T.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS.
CONCORDIALIS
PATAVI.
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

Dextram

g) L. c.

Dextram huius mauſolaei partem obtinet Aeternitatis, ſiniſtram Mineruae ſtatua. Sub Aeternitatis pedibus excurrit Tibris, ſub Mineruae pedibus Medoacus, qui fluuius eſt Venetorum, Patauium alluens, qui nunc Brenta vocatur. In meditullio lupa Romulum atque Remum lactans conſpicitur. Sed falluntur Patauini; certe monumentum, quod iactant, Liuii hiſtorici eſſe, poſt ea tempora, doctiſſimi quique, ipſa eadem tabella freti, et certiſſimis inde hauſtis argumentis pernegarunt.*b*) Marquardus Gudius primus fuit, qui, cum apud Patauinos verſaretur, hunc errorem detexit: quod facere haud difficulter potuit, accuratius paulo inſcriptionis verba perluſtrans, quae procul omni dubio legenda ſunt: *Viuus fecit Titus Liuius Liuiae Titi filiae quartae libertus Halys concordialis Pataui ſibi et ſuis omnibus.* Pertinet igitur haec inſcriptio non ad T. Liuium hiſtoricum, ſed ad quendam Titum Liuium Halyn, libertum Liuiae, Titi, incertum an hiſtorici, an filii eius, an alterius, Liuii filiae quartae. Mos enim antiquorum fuit, vt feminae ab familia nomen ſortirentur. Ita *Octauiam* nouimus accepiſſe nomen ab Octauia familia, *Terentiam* a Terentia, et hanc *Liuiam* a Liuia: eo quidem ordine, vt primo genita diceretur *Liuia prima*, quæ ſecundo loco *ſecunda* et ſic porro. Proinde ex hac, et alia inſcriptione, cuius verba haec ſunt:

T. LI-

b) Confer. BLONDVS Ital. illuſtr. p. 382. edit. Baſil. 1559. SERTORIVS VRSATVS monum. Patau. p. 28. THOMASINVS in vita Liuii cap. 8. FERRETIVS Muſ. Lapid. Antiq. p. 321. ZAMOSCIVS analect. lapid. pag. 29. GRONOVIVS theſaur. Graec. antiq. vol. 3. lit. vvv. MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. 3.

T. LIVIVS. C. F. SIBI. ET. SVIS.
T. LIVIO. T. F. PRISCO. ET.
T. LIVIO. T. F. LONGO. ET.
CASSIAE. SEX. F. PRIMAE
VXORI.

ſaepius iam laudatus TOMASINVS *i*) coniecturam facit, Liuio duas fuiſſe vxores, filios duos et filias quatuor. MOLLERVS *k*) autem, duas illum habuiſſe vxores negat, referens illud in citato monumento *primae* non ad vxorem, ſed ad Sexti filiam. Ad prius vero monumentum, et in viam vt reuertamur, conſtat omnibus et vulgo notum eſt, libertos Patronorum nomen adſciſcere, ſuoque nomini ſeruili, quod interdum mutabant, interdum retinebant, ſolitos fuiſſe praemittere: id quod pluribus inſcriptionum exemplis MORHOFIVS demonſtrauit: *l*) item per literam L. ſignificari Libertum, et ſeruile nomen eſſe *Halys*, neutiquam Romanum, forſan a fluuio Aſiae minoris, quod fieri non raro ſolebat, ſeruo impoſitum. Nomen *concordialis* officium denotat, qui vocatur ſacerdos Concordiae Deae: neque haec dignitas tanta fuit, quin libertis aliquando, quod ex non vno antiquitatis monumento patet, etiam publice adſcriberetur. Quomodocunque res ſeſe habeat, ſub veteri ſtatua in palatio Patauino T. Liuii hiſtorici hoc epitaphium legitur:

Oſſa tuumque caput ciues tibi, maxime Liui,
Promto animo hic omnes compoſuere tui.
Tu famam aeternam Romae patriaeque dediſti:

Huic

i) In Vita Liuii cap. 8. *k*) Diſſert. de Liuio §. 14. *l*) De Patau. Liu. cap. 3.

Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria haec; et si maiora liceret;
Hoc totus stares aureus ipse loco.

Ossa Liuii, si Diis placet, magno in honore asseruantur sublimi loco curiae maioris: sed sine brachio altero, quod Alphonso Arragoniae Regi dono dedisse supra notauimus. Haec enim inscriptio ibidem legitur: *m*) *Inclyto Alphonso, Arragonum Regi, studiorum fautori, Reip. Venetae foederato, Antonio Panormita Poeta legato suo orante, et Matthaeo Victurio, huius vrbis praetore constantissimo intercedente, ex historiarum parentis T. Liuii ossibus, quae hoc tumulo conduntur, brachium Pataui ciues in munus concessere, anno Christi millesimo quadringentesimo primo*, XIV. *Kal. Septembris.*

§. XLVII.

Puritatis in sermone simul atque perspicuitatis, quae summa historici virtus est, semper et vbique testatur fuisse studiosissimum. Atque etiam de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem, seueritatem putant, aiebat, Miltiadem Rhetorem eleganter dixisse: ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται. *n*) Neque consideratio haec nostri Patauini vana fuit: quin ipse manum operi admouerit, et quantum perspicua illa sermonis puritas ad promouendas bonas literas artesque valeat, reipsa demonstrauerit. Perlustratis enim summa vigilantia veterum annalibus, librisque historicis multis modis laborantibus, tandem spiritu maximo historiam patriam aggressus est, atque superfluis omissis incomparabili fide ac veritate, solida et succiplena, decora simul

m) Vid. VOSSIVS de histor. Latin. lib. 1. c. 19. *n*) SENECA pater Controu. 25.

ſimul atque perlucida oratione, adeoque ſumma ſtili elegantia rerum Romanarum centum quadraginta duos *o*) libros conſcripſit, eosque publicae luci dedit. Initium ſumſit ab vrbe condita, ſuamque hiſtoriam protraxit vſque ad illud tempus, quo Druſus, Tiberii Caeſaris frater, aduerſus Germanos bellum gerens cruris fractura mortuus eſt: quod circa Olympiad. CLXXXIV. et annum ab V. C. IↃCCXLIV. Octauiano Auguſto imperante, factum creditur. Sed ex omnibus hodie nihil amplius habemus, praeter quinque et triginta libros. *p*) Prima librorum decas integra ſupereſt, ex quibus qui ordine primus a Roma condita incipit, ita quidem, vt nonnihil, ad meliorem vrbis conditorum notitiam, a capta Troia praemittat: vltimus in L. Papirii Curſoris et Sp. Caruilii Maximi conſulatu, ſeu anno Vrbis CCCCLX. terminatur. Secundam librorum decadem iniuria temporum nobis abſtulit. Sequentium libri, ex quibus nonnulli ſunt mutili, a XXI. ad XLV. extant. Vigeſimus primus quidem ab actis belli Punici ſecundi, cuius initium incidit in annum Vrbis IↃXXXIV. orditur: et quadrageſimus quintus in Q. Aelii Poeti et M. Iunii Penni conſulatu, et anno Vrbis IↃLXXXVI. deſinit. Reliqui omnes perierunt. Inſignia duo fragmenta de Cicerone ex hiſtoriarum libro CXX. apud M. SENECAM *q*) exſtant. Fatalis

o) Epitomas quidem librorum habemus tantummodo CXL: ſed CXXXVI. et CXXXVII. librorum epitome deſideratur, vt obſeruatum eſt iam tum a Sigonio, qui vacuum interuallum deprehendit in MS. codice et aſſentitur Petrarchae non CXL. ſed CXLII. libros a Liuio eſſe conſcriptos.
p) De integra Liuii hiſtoria, an ſuperſit hodie, et in quibus orbis regionibus eam latitare, fama percrebuerit, vid. MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. I. et qui deſcripſit fere illum, DAN. GVIL. MOLLERVS diſp. de Tito Liuio §. 24--28. *q*) Suaſoria ſexta.

talis erat Liuii ſcriptis et orbi literato annus poſt Chriſtum natum MDXXXI. cum enim hucusque ex opere Liuii hiſtorico vaſtiſſimo tantum XXX. libri ſupereſſent, et in omnibus, quotquot prodierant, eius editionibus legerentur, SIMON GRYNAEVS membranaceum volumen inuenit antiquiſſimum, quod praeter iſtos continebat XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. Liuii libros, quos primus, maximo cum omnium applauſu, Baſileae typis Frobenianis publicae luci reddidit. Praefationem tum ſcribebat DES. ERASMVS, vbi inter alia: *T. Liuius, Latinae hiſtoriae princeps, iam quidem frequenter excuſus eſt, ſed nunquam antehac vel magnificentius, vel emendatius, et ſi hoc parum eſt, quinque libris modo repertis auctus, quos bono quodam genio in bibliotheca monaſterii Lauriſſeni, aut, vt vulgo, Lorſenſis, reperit Simon Grynaeus, vir, vt in omni genere literarum citra ſupercilium eruditus, ita prouehendis liberalibus ſtudiis natus. Id autem monaſterium eſt e regione Wormaciae ſiue Berbethomagi trans Rhenum a Carolo M. ſeptingentis abhinc annis et eo amplius extructum, ac librorum copioſiſſima ſupellectile inſtructum. Nam haec olim praecipua cura Principum fuit, et hic ſolet eſſe chariſſimus coenobiorum theſaurus. Archetypum erat admirandae vetuſtatis priſco more perpetua literarum ſerie ita depictum, vt difficillimum fuerit verbum a verbo dirimere, niſi docto, attento, et in hoc ipſum exercitato. Vnde non parum negotii fuit in parando exemplari, quod typographicis operis traderetur vtendum: nec minore cura, quam fide aduigilatum eſt, ne vſquam in deſcribendo ab archetypo recederetur.* r) Circa annum reparatae ſalutis MDCXV. IOH. HORRION S. I. ſacerdos Bambergae

r) Confer. P. LAMBECIVS in B. C. tom. 2. p. 944.

gae in membranas incidit, quae complures T. Liuii libros, et in his partem priorem XXXIII. s) adhuc desideratam continebant. Eam viri docti sibi gratulantes exceperunt maxima cum laetitia, et in exemplis, post ea tempora impressis, auctori optimo vindicari curarunt. VOSSIVS t) quidem, *qui nuper*, inquit, *tanquam Liuii genuinam*, *Libri* XLIII. *partem maiorem e veteri, vt ait, bibliotheca primus iuris publici fecit auritis Midis*; *non illis*, *quibus corculis esse datum est*, *et qui norunt*, *quid aera lupinis distent*. Sed inconsideratius haec scribere visus est multis, et ipsi Gronouio, qui, ceu diligentissimus Liuii emaculator, illius procurauit editionem accuratissimam, et procul dubio recte potuit de insigni ea particula iudicare. Atque etiam lubentissime illum inde Oxoniensis elegantissimae Patauini historici nostri editionis doctissimus auctor secutus est. Librorum perditorum epitomas seu argumenta habemus, quae vulgo L. Ann. Floro tribuunt: quamuis sint alii, qui mallent ipsum Liuium epitomas illas velut indices singulis libris ex more veterum praefixisse: atque illas cum alia rerum Romanarum epitome confundi ac referri deinde ad Florum auctorem facile potuisse. Ipsos vero libros, quos dolemus esse deperditos, aeuo recentiori Ioh. Freinshemius restituit, ex epitomis desumto argumento, et clarissimis auctorum Graecorum aeque ac Latinorum adhibitis monumentis tanto ingenio et solertia, vt in hoc genere concinnius simul atque copiosius et verius fingi nihil potuerit. v)

§. XLVIII.

s) TOMASINVS l. c. cap. 5. VOSSIVS de hist. Latin. l. 1. c. 19. plures alii exempla ante Gronouianum impressa secuti crediderunt fragmentum esse libri XLIII. ad quem argumentum istius vix pertinere videtur. t) l. c.
v) Primi decem libri prodierunt Holmiae 1649. 12. Libri sexaginta postmodum

§. XLVIII.

Scripſit Liuius noſter, praeter laudatam hiſtoriam Romanam, libros quoque alios, apud veteres quidem memoratos, ſed qui vna omnes hodie lucem fugiunt, et fruſtra deſiderantur. Hos inter ſunt *de philoſophia dialogi*, SENECA teſte, *x*) non magis philoſophiae, quam hiſtoriae annumerandi; *Libri philoſophici* ex profeſſo philoſophiam continentes; *y*) et *epiſtola ad filium* de arte Rhetorica, cui Demoſthenem atque Ciceronem vnice legendos eſſe perſuaſit, breuiſſima et tutiſſima ad eloquentiam via. *z*) Frequentius viris illuſtribus, vel in ipſis hiſtoriis, quaſi funebrem laudationem reddidit: ex quibus Tullii eloquentiae magiſtri, apud SENECAM *a*) ἐπιτάφιον extat. Idem *b*) teſtatur, cum omni ſtudio Thucididem non ſolum eſſet imitatus verum etiam vinceret, illum Salluſtio iniquiorem fuiſſe: vt eo facilius et huic et iſti palmam praeriperet. In vtroque et Liuio et Salluſtio Pompeius Troius reprehendit, quod conciones directas, pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriae modum exceſſerint. *c*)

§. XLIX.

Admiratores ſuos Liuius, vt inter recentioris aeui ſcriptores, ſic iure merito quoque apud aequales et in monumentis paſſim venerandae antiquitatis inuenit. SENECA pa-

modum Argentorati 1654. 4. Hos denique cum adiunctis xxxv. poſtumis ab heredibus Freinshemii redemtis Ioh. Douiatius publici iuris fecit in ea Liuii editione, quam in vſum Delphini procurauit. *x*) Epiſtola 100. *y*) Vid. SENECA l. c. *z*) Ita meminit huius epiſtolae FABIVS inſtit. orat. l. 10. cap. 1. *a*) Suaſor. 6. *b*) Lib. 4. controu. 24. et ex lib. 9. controu. declam. 1. *c*) Vid. IVSTINVS hiſt. l. 38. cap. 3. extr.

ter *d*) dicit, quod plenisſimum Ciceroni reddiderit teſtimonium, vt *natura candidiſſimus omnium magnorum ingeniorum aeſtimator.* SENECA filius *e*) eum vocat *diſertiſſimum virum:* et alibi, *f*) *librum tuum*, ſcribit, *quem mihi promiſeras, accepi - - qui, quam diſertus fuerit, ex hoc intelligas licet: breuis mihi viſus eſt; quum eſſet nec mei, nec tui corporis, ſed qui primo aſpectu aut T. Liuii, aut Epicuri poſſet videri. Tanta autem dulcedine me tenuit et traxit, vt illum ſine vlla dilatione perlegerem.* FABIVS illi nunc *miram facundiam g*) nunc *lacteam vbertatem h*) tribuit, ac poſt multa, *i*) *nec indignetur*, inquit, *ſibi Herodotus aequari Titum Liuium; cum in narrando mirae iucunditatis clariſſimique candoris; tum in concionibus ſupra quam enarrari poteſt eloquentem. Ita dicuntur omnia cum rebus, tum perſonis accommodata. Sed affectus quidem, praecipue eos, qui ſunt dulciores, vt parciſſime dicam, nemo hiſtoricorum commendauit magis. Ideoque immortalem illam Salluſtii velocitatem diuerſis virtutibus conſecutus eſt. Nam mihi egregie dixiſſe videtur Seruilius Nonianus, pares eos eſſe magis quam ſimiles. k)* CORN. TACITVS *l*) Liuium inter veteres auctores eloquentiſſimum habet, ac rurſum *m*) eloquentiae ac fidei eum dicit eſſe praeclarum in primis: HIERONYMVS *n)* autem *lacteo eloquentiae fonte manantem.* Et MARTIALIS *o)* vel a ſtili elegantioris granditate, vel ab operis magnitudine, quod centum et quadraginta duobus libris denique abſoluitur:

Pelli-

d) Suaſoria 6. vel, vt alii, 7. *e*) De ira l. 1. c. 16. *f*) Epiſt. 46. *g*) Inſtit. orat. l. 8. c. 1. Proinde etiam pueris eum proponendum eſſe cenſet l. 2. c. 6. *h*) Lib. 10. c. 1. *i*) Ibid. *k*) Confer. VELLEIVS PATERC. lib. 2. c. 36. *l*) Vit. Agricolae cap. 10. *m*) Annal. lib. 4. cap. 34. *n*) tom. 3. epiſt. ad Paulinum, 103. *o*) Lib. 14. epigr. 190.

Pellibus, inquit, *exiguis arctatur Liuius ingens,*
Quem mea non totum bibliotheca capit.

§. L.

Veteres non immerito ſequuntur aeui recentioris, quotquot fuerunt, doctisſimi viri, qui vno ore omnes Liuium hiſtoricum ſummis laudibus efferre ſtuduerunt. Agmen ducit SEBASTIANVS MACCIVS, Italus polyhiſtor, *p*) qui de hiſtoria Liuii amplum volumen conſcripſit, atque in laudes eius adeo ſe diffudit, vt dotes Latinorum ſcriptorum in ipſo vno omnium agnoſceret. *Titus Liuius*, inquit, *q*) *aureum ac pene dixerim coeleſte et diuinum profudit eloquentiae flumen. Vaſtiſſimus hic ille eſt profundiſſimus Latinae locutionis oceanus, mare doctrinarum ac diſciplinarum omnium maximum, immenſiſſimum ac inexhauſtum eruditionis omnis et ſcientiae pelagus. Summa in eo erant olim omnia, ſumma quoque in eodem illo ſunt his diebus. Nam ſplendorem Caeſaris, Hortenſii candorem, grauitatem Bruti, elegantiam Laelii, vim Galbae, integritatem Claudii, Domitii et Piſonis puritatem, maieſtatem Virgilii, copiam, amplitudinem, ſpiritum et gratiam Ciceronis perfectiſſimam, ſingularique modo et ratione ceterarum omnium praeſtantiſſima ſuis praeclariſſimis hiſtoriis ad viuum expreſſit. Hic enim princeps orationis, pater hiſtoriae, ſplendor veritatis, gloria litteratorum doctorumque hominum, tenebris lumen, locutioni virtutem, ſermoni puritatem, verbis granditatem, rebus ſublimitatem, principibus con-*

p) Hic, teſte ERYTHRAEO Pinacoth. 1. imag. 152. ſcriptis in omni ſcientiarum genere excelluit, tantaque opera in lucem edidit, vt manus dextrae pollici atque indici ſulcos alte impreſſos ex aſſidua calami tractatione haberet. *q*) Lib. 2. c. 8. Apud MORHOFIVM de Patauinitate Liuiana cap. 1. fin.

constantiam Reip. Romanae animam, Italiae spiritum, patriae nomen, mortalium ingeniis honorem perpetuum, et famam nullis vnquam terminis nullisque finibus circumscriptam attulit. Huic de Liuio sententiae, paulo sublatius et declamatorio spiritu, dictae MORHOFIVS *r)* ita subscribit, vt Liuium historiae leges cumulatissime impleuisse non dubitet, in ceteris vero sentiendum esse modestius existimet. PHILIPPVS COMINAEVS Liuium existimauit esse Latinorum Polybium, omnibusque Senatoribus et rerumpublicarum gubernatoribus perlegendum. ISAACVS CASAVBONVS ad Liuium transtulit illud Senecae Rhetoris de oratorum principe encomium, Populum Romanum huius vnius ingenium par imperio suo habuisse. Et quidem certe adeo visus est nonnullis cum Cicerone conferendus, vt non dubitauerint affirmare, Ciceronem ipsum, si adscriptionem historiae totam illam vim forensis facundiae conuertisset, futurum fuisse Liuio nostro aliquanto inferiorem. Sed errant, ac forsan nimium sibimetipsis indulgent. Nam Cicero ita summus orator est, vt historicus esse possit; Liuius ita summus historicus, vt orator esse possit. BOECLERVS: *s) quid Liuio*, inquit, *copiosius? laetius? validius? splendidius? quid fortius ad sensum, accommodatius ad vitam dici potest? legant, qui discere cupiunt, quid sit maiestas stili ad imperii et reip. maiestatem quodammodo exacta.* Alibi: *t) Liuium si omnis politicae eloquentiae promtuarium credideris, a vero nil alienum putabis.* Post pauca: *hic eruditi habent, quod insatiabili affectu mirentur: hic tam praesentis gratiae vis inest, vt*

r) l.c. *s)* Differt. de compar. Latina lingua, quae prodiit cum Schefferi libro singulari de stilo. pag. 217. *t)* De eloquentia viri ciuilis. Differt. tom. 1. pag. 107.

vt animos interiore disciplina non imbutos, tamen rapiat teneatque. Hic omnis aetas inuenit, quod amet.

§. LI.

Vti vero mortalium nemo vnquam illum obtinuit perfectionis gradum, vt omnibus placeret, eundemque plausum per vniuersum literatum orbem promereri videretur: et olim fuere, et nunc sunt, quibus alio alioque modo Liuii optimam historiam accusare in deliciis est. Ita, quod nemo ignorat, olim Pollio Asinius *v*) Patauinitatem in T. Liuio inesse putauit: quam, dispeream, si Asinius ipse, calumniae tam ridiculae inuentor, quid esset, sciebat. FABIVS quidem *x*) vbi mentionem illius fecit, haud obscure innuit, aliquod dictionis vitium subaudiri voluisse: cum delicatum palatum suum videretur sibi in Liuio quid gustare, quod genium sermonis Romani non vsque quoque saperet. Fuerunt tamen alii, qui malebant ire in diuersa, et fingere aliud super aliud sub ficto Liuianae Patauinitatis nomine; vel quaestionem inexplicatam in medio relinquere. Ita non nemo *y*) voluit studium partium Pompeianarum illam esse Patauinitatem ab Asinio notatam: alii per Patauinitatem intelligunt, odium Gallicae nationis; alii πατριδομανίαν, qua ille Patauinorum res gestas praetulit aliorum fortiter et egregie factis, vel patriae suae suorumque ciuium laudes parte operis iam deperdita effuse amplificatas. *z*) LAVRENTIVS PIGNORIVS alter Pata-

v) Apud QVINTILIANVM instit. orat. l. 1. c. 9. et l. 8. c. 1. De ista vero Patauinitate Liuiana MORHOFIVS singularem et elegantissimum conscripsit librum, qui extat etiam in dissertationum syntagmate pag. 471. seqq. et omnino conferendus est. *x*) LL. cc. *y*) PAVLVS BENIVS aduersus quem disputat laudatus MORHOFIVS l. c. cap. 2. *z*) Confer. MORHOF. l. c.

Patauinorum Liuius, originum patriae atque adeo totius antiquitatis indagator solertissimus putat, sola orthographiae peregrinitate Patauinitatem illam constitisse: quum enim scripserit Liuius *sibe* et *quase* pro *sibi* et *quasi*, hanc literarum I et E commutationem Patauinis familiarem, hanc Liuio Patauinitatem peperisse. MORHOFIVS vero *a*) illum quoque fortioribus argumentis refutauit. Neque ferre potest *b*) RAPINI *c*) sententiam, in sola pronunciatione vitium hoc consistere. Credunt alii eam Patauinitatem in Liuio nihil aliud esse, quam plurium simul in iisdem periodis verborum iterationem. Sed mihi et sanioribus omnibus cum MORHOFIO, quem toties iam laudaui, stat sententia, nihil aliud esse, quam indignum Liuio historico optimo et Latinitatis rectae studiosissimo ex inuidia conuicium, et cauillationem Asinii aequalis et aemuli, ad eam stili grandioris laudem prorsus inepti: qui vt famam seruaret: aliud dicendi genus eligere, et Atticos pro ingenio aemulari, principes contra eloquentiae maledictis quoquo modo proscindere instituit. Audiendus itaque non est Pollio cum Patauinitate sua, quam inurere Liuio, historico optimo, frustra studet. Multo minus probandi sunt illi, qui nimium secure istius maledicentiam sequi malunt, et ignorare virtutes quae in Liuio sunt, quem praeter merita sensaque calumniantur ipsi, et aliis suspectum faciunt. Quod facere, ipse STVRMIVS *d*) non dubitauit, *in Liuio*, inquiens, *Pollio Patauinitatem deprehendit: quam non considerasset, si non ex melioribus cognouisset, quid Romanum*

a) L. c. cap. 3. *b*) Ibid. in fine. *c*) La comparaison de Thucydide et de Tite Live. ou les oeures diuerses concernant les belles lettres. tome 1. p. 232. *d*) In Nobilitate litterata sua. Pl. confer, MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. 5. Dissert. pag. 508.

manum esset, et quid Patauinum. Et qui Ciceronis aquis bene os imbutum habent, eodem illi gustatu in Liuio eam, vt ita loquar, peregrinitatem sentire poterunt, quam sensit Pollio. Insana magis fuit Caii Caligulae Imperatoris inuidia, quam illa Pollionis: hic enim procul dubio, nec habita, si quae fuisset, Patauinitatis ratione, historici nostri scripta legit et dilexit; iste etiam ad primam famam non erubuit publico prosequi odio, ac propemodum furore: et minimum, teste SVETONIO, *e*) absuit, quin Maronis et Liuii libros ex omnibus bibliothecis amoueret, accusans alterum nullius ingenii doctrinaeque perexiguae, alterum verbositatis et negligentiae. Caesar quoque *Antoninus f*) quod aiunt, exprobrat Liuio malam fidem, quod Tuscorum clarissimis rebus gestis inuiderit. Ad quem locum ANNIVS VITERBIENSIS haec annotauit: *Quid sibi velit quod ait, cuius praeclaris gestis inuidit Liuius, equidem alii alia existimant. Dicam et ipse opinionem meam. Suetonius Tranquillus in vita C. Caligulae scribit, paululum absuisse, quin ab omnibus bibliothecis statuas et scripta Liuii deleret, qui illum, vti verbosum et negligentem in historia carpebat. Est autem negligens is, qui supprimit quae referenda sunt: et verbosus, qui absque probatione contradicit afferenti rationes et auctores. Et his duobus peccauit Liuius in multis, vt patet. Sed ex multis, quo ad Fanum Volturnae haec exempla sint. Caelius Thuscus Lartes Fani iuuit Romulum implorantem ab eo auxilium contra Ceninenses, Crustuminos, et Latinos, et retulit triumphum. Et ididem fecit contra Sabinos Galeritus Lucumo. Et ob id ipse primus posuit Praetoria Romae, et diuisa*

e) In vita Caligulae cap. 34. *f*) In itinerario suo, illius si verus autor est Antoninus: qui non videtur.

diuisa Roma in tres tribus, imposuit nomina, et tertiam partem dedit Thuscis. Vt clare tradunt Propertius in elegia ad Vertumnum, et altera paululum praecedente, et Varro in 1. de lingua Latina, et Fabius Pictor de origine vrbis Romae, et Dionysius Halicarn. in 2. lib. et Mythici sub fabula Iani eiaculantis aquas sulphureas in Sabinos, vt Macrob. in 1. Saturn. et Ouidius in 1. de Fastis indicant. At liuidus fuit Liuius vt hic notat Antoninus, qui, vt funditus extingueret Thuscorum fulgorem, et triumphos obnubilaret, ab eis partos, non a Romulo gestos; omnino etiam scribere vnum verbum neglexit. Quod profecto inuidissimi hominis est officium, et negligentis veritatem in historia. Similiter fuit verbosus, quia absque certo auctore et probatione, dicit contra Varronem, quod Lucerum nomen incertae originis. Fabius enim Pictor, antiquior eo, ostendit ab historia esse Etruscae originis atque certissimae. Rursus Liuio antiquior et doctior Varro in 1. de LL. dicit esse certae originis; a Lucumone Luceres dictos: idque probat vetustissimis auctoribus, Iunio, et Tolumnio, Tuscarum tragoediarum scriptore. Et item inexpugnabili argumento, quod Luceres est deriuatio Etrusca a Lucumone, et non Latina a luco Asyli, vt Pedianus, et Plutarchus in vita Romuli, turpiter in Grammatica Latina aberrantes, dicunt, quia lucus Latine a luceo verbo per antiphrasin deriuatur, et a luco Lucii et Lucani, Latina deriuatio est, et non Luceres, vt linguae Latinae peritissimus Varro ostendit. Non est igitur mirum, si Caesar excanduit ira contra scripta Liuii, negligentia, et supprimentia, quae clarissima erant: et eum appellauit iure verbosum, qui contra Varronem afferentem testes antiquissimos, et inuincibilem rationem, verbosa solum et anili loquacitate dixit, Lucerum nomen est incertae originis

nis Et ideo, vt vtamur regula B. Hieronymi, eadem facilitate Liuius, et omnes alii similes, contemnantur, qua sine ratione, ac certo auctore, contra doctiores sola verbositate vsi proferunt. Quum vero constet Liuium non ignorasse, quae Varro, et Fabius Pictor, et alii, referunt, constat equidem illum non ignoratione scientiae; sed malignitate naturae in historia neglexisse dicenda, et verbose dixisse subticenda. Et ob id, vti Caius, ita et Antoninus Caesar, eum arguit inuidiae, dicens: Volturnae praeclaris gestis inuidit Liuius. Satis verborum; ne minimum quidem salis et bonae fidei: vt satis mirari non possim, inuisum omnibus Annium eruditissimis, vt in aliis, hic etiam imponere potuisse, et in partes suas cum ceteris pertraxisse L. IOH. SCOPPAM Parthenopaeum *g*) HENRICVM GLAREANVM, *h*) atque ipsum BARTHIVM, *i*) qui vna omnes conqueruntur Liuium bellicosae Gallorum gentis egregia facinora odiose tractare, virtutesque illorum maligne eleuare. Sed Gregorii S. cognomine magni, Pontificis Romani, pietas, si Diis placet, tanta fuit, vt, teste ANTONINO, Archiepiscopo Florentino, *k*) omnes Liuii libros, quotquot in Italia reperiri potuere, diligenter conquiri et postea comburi iuberet, quod multae in iis superstitiones ethnicae traditae sint. Qui licet vniuerso orbi literato exposuerit se ludibrio: in multis tamen eandem reliquit male vouentium, qui aequo animo ferre non possunt, quod superstitiose referat prodigia tam multa. Sic IOH. BODINVS *l*) vir alias in-

 compa-

g) Collectaneorum lib. 1. cap. 18. *h*) Praefat. in ea, quae ad Liuium annotauit. *i*) Aduersar. lib. 60. in Augustini de ciuitate Dei lib. 1. cap. 6. *k*) Part. 2. Summae Theol. tit. 3. c. 7. Confer. RADERVS comment. in Martialem fol. 970. MOLLERVS de T. Liuio disp. §. 31. *l*) Methodo histor. cap. 4. p. m. 68.

comparabilis iudicii et lectionis multae; *in eo genere Liuius nimis religiose dicam, an superstitiose omnes superauit. nihil enim frequentius, quam boues loquutos, scipiones arsisse, stagnas sudasse, quod pluuio coelo frequenter accidit: Deum Anibali apparuisse, infantem semestrem triumphum clamasse* &c. Neque illi, *m*) qui homo Gallus fuit nasutulus aliquando, stilus placuit: accusat enim in Liuio dicendi varietatem, cum interdum valde copiosus sit, interdum vero concisus; contra quam fecit Polybius, sibi semper aequalis. Etiam LIPSIVS, vir ab ingenii elegantia et varia eruditione, quam dictione laudatior, *n*) Liuium alibi supinum, aut frigidum, imo et ταυτολόγον agnoscit; deriuaturus tamen libenter in exscriptores hanc culpam. *o*)

§. LII.

Hactenus nimis patienter profecto Liuii osores et maleuolos aduersus ipsam historiam et locutionis rectae virtutes latrare audiuimus. Breuibus nunc subiiciemus sententiam nostram: refellere namque sigillatim omnia, otio suo plane fuerit abuti. Patauinitatem ab Asinio Pollione obiectam singulari et erudito tractatu Liuio abstergere conatus est MORHOFIVS, cui nomen nostrum subscribere praecedenti paragrapho nulli dubitauimus. Caii Caligulae testimonium ne tanti quidem est, vt qui SVETONIO auctore *p*) *non minore liuore ac malignitate, quam superbia saeuitiaque paene aduersus omnis aeui homines grassatus est*; statuas illustrium subuertit; neque solum T. Liuium, sed etiam Virgilium et Homerum, Poetarum in Graeca et Latina lingua principes, contemsit

m) Ibid. pag. 69. *n*) Apud VOSSIVM de Hist. Latinis lib. I. c. 19. *o*) Vid. etiam, qui huic iudicio subscribere videtur POSSEVINVS bibliothecae selectae lib. 16. *p*) In eius vita cap. 34.

temsit. Vulgo notum est ex eodem, quid de abolendis Iureconsultis iactarit saepe; et quale iudicium eius de L. Seneca fuerit. Ad Antoninum Imperatorem quod attinet, teste G.I.VOSSIO *q*) nusquam leguntur ea de Liuio verba in genuino seu Antonini, seu Antonii, seu Aethici itinerario, quod primum edidit Iosias Simlerus, et Hieronymus Surita Caesaraugustanus ex antiquis codicibus correxit postea et commentario illustrauit. Sunt autem verba in itinerario isto, quod Annius Viterbiensis monachus in omnibus suis pessimae fidei commentus fuit, ac naris obesae hominibus, vt genuinum, obtrusit: quo nihil insulsius indoctiusue nihil excogitari potuit. Quod PHIL. CLVVERIVS *r*) quoque pluribus demonstrauit. Ipsa Annii commentatio nititur liuido Caligulae effato. Exemplum quod probationem intendit, lepidum est ac temeritatis plenum: eiusmodi saltem vt historico eiusque fidei ne hilum detrahere possit. Fateor nullam aut Caelii aut Lucumi principum Thuscorum, Romuli temporibus inclutum mentionem fieri apud Liuium. Atqui etiam illius longe aliud institutum fuit, quam DIONYSII HALICARNAS. *s*) qui res gestas vtriusque, vt multa alia ex infimis Italorum antiquitatibus recenset. Satis erat indicare summa rerum capita, et illa quae inprimis ad Romanam Remp. stabiliendam faciebant. Vetustissimam historiam in plerisque vidit incertam atque multis conspurcatam fabellis; rerum commentarii, nascente imperio, vel nulli, vel pauci fuerunt et subobscuri; sed imperio florente, innumerabiles extiterunt, eiusdemque valoris, quos longe tutius sequi poterat *t*) Sed cum inui-

q) De Hist. Latinis l. 1. c. 19. *r*) In Italia sua. *s*) Roman. Antiq. l. 2. c. 5. *t*) Confer. IOH. BODINVS method. histor. cap. 4. p. m. 69.

inuidiſſe praeclaris Thuſcorum factis, nemo niſi plane hoſpes in eius ſcriptis affirmare conatur: paſſim quippe virtutes et victorias illorum celebrat, et, quantum ex ſuperſtitibus libris patet, nihil omiſit, quod praeclare factum et notatu dignum fuit. *v*) Quum vero de tribus equitum Romanorum centuriis ſcribit: *x*) *Eodem tempore et centuriae tres equitum conſcriptae ſunt; Ramnenſes ab Romulo, ab Titio Tatio Titienſes appellati. Lucerum nominis et originis cauſſa incerta eſt. Inde non modo commune, ſed concors etiam regnum duobus regibus fuit.* In eo hiſtoricus non peccat, verum dicit ingenue, quid rei ſit, auctorum, quod ipſi eius inimici fatentur, antiquiorum teſtimonio ſuffultus. Neque enim VARRO, vt de aliis Ennii fidem habere potuit; quam aliunde nec tanta fiducia petere viſus eſt. Sed ipſum audiamus: *y*) *Ager Romanus*, inquit, *primum diuiſus in partes tres, a quo tribus appellatae Tatienſium, Ramnium, Lucerum: nominatae, vt ait Ennius, Tatienſes a Tatio, Ramnenſes a Romulo: Luceres*, NB. *vt ait Iunius, a Lucumone.* Aliter FESTVS: *z*) *Lucerenſes et Luceres, quae pars tertia populi Romani eſt diſtributa a Tatio et Romulo: appellati ſunt a Lucero Ardeae rege, qui auxilio fuit Romulo aduerſus Tatium bellanti.* Nec idem ſibi conſtat, et breui poſt: *a*) *Lucomedi*, inquit, *a duce ſuo Lucomo dicti qui poſtea Lucerenſes appellati ſunt.* ASCONIVS *b*) iſtos a *Lucretino* deriuare maluit, PLVTARCHVS *c*) a *luco* aſyli, in quem multi fuga delati ciuitate donati ſunt. Vt non immerito Liuius huius verbi incertam

v) Vid. LIVIVS lib. 2. cap. 49. 50, 51. ſeq. l. 5. c. 45. l. 5. c. 33. l. 2. c. 14. alibi. *x*) Lib. 1. cap. 13 extr. *y*) De lingua Latina l. 4. c. 9. *z*) In v. *Lucerenſes.* *a*) In v. *Lucomedi.* *b*) Verrin. 3. *c*) In Romulo p. m. 10.

incertam cauſſam originis eſſe ſcripſerit. *d*) Gallorum res praeclare geſtas notare noluiſſe vel aliter narrare, quam ſeſe habeant, hucusque nemo probare potuit. Contra veritatis eum fuiſſe ſtudioſum, vel ex eo intelligimus, quod ne Auguſto quidem in deſcriptione belli ciuilis gratificari voluit, ac res aliter narrare, quam geſtae fuerant. Vnde TACITVS: *e*) *Titus Liuius, eloquentiae ac fidei praeclarus inprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum cum Auguſtus appellaret.* Quum maleuoli cenſores Liuii multa dicunt fabuloſa in hiſtoriis referri, atque colligere inde volunt, fidem eius in ceteris quoque eſſe parui momenti: ſciant, egregie ſemetipſum tueri, eiusque rei cauſſam conferre *f*) in exemplarium defectum, quorum pleraque illo incendio, quo Roma poſt Allienſem aciem, et captam eo terrore incenſamque vrbem, conflagrauit, interciderint. Adeoque illa, quae ſcripſit de rebus ante id tempus geſtis, ſolo rumore, et eo diſcrepanti, fabulisque poeticis ferebantur: et neceſſe omnino erat, referre iſta, quae poterant ſciri: cum Liuio animus nec fuerit affirmare, vt incerta, nec refellere, vt in penuria veri. Poſſent quidem obiicere mihi, etiam poſt illa tempora quaedam aperte falſa recenſeri, vt cum *fuſam e L. Marcii coma flammam* memorat, *g*) et huius furfuris quaedam alia. Sed notari meretur, pleraque referri ab illo ita, vt ipſummet dubitare appareat. Sic *L. Marcii gloriae id miraculi addi*, memoriae mandauit: ac relaturus voces ſtatuae Iunonis, quae Veiis erat, *dein*, inquit, *h*) *quum quidam ſeu ſpiritu diuino tactus, ſeu iuuenili ioco, Viſne Romam*

d) Id SIGONIVS ita accipiendum arbitratur, non quod nullam ipſe tenuerit, ſed quod incertam eam diuerſos auctores feciſſe exiſtimarit.
e) Annal. l. 4. c. 34. *f*) Principio libri 6. *g*) Lib. 25. c. 40. *h*) Lib 5. c. 22.

mam ire Iuno? dixisset, annuisse ceteri conclamauerunt: inde fabulae adiectum est, vocem quoque dicentis, velle, auditam. Constat inde historicum nostrum, vt decet, veritatis studiosissimum fuisse, vtpote qui rem incertam relaturus, ex quibus illam hauserit, auctores nominat, vel non obscure significat, isti nec semetipsum adhibere fidem, aut, sententiis aliorum relatis, lectori iudicium relinquit. Curiosior item videretur alicui, quod omina prodigiaque annotet omnia; imo trahat multa in omen, quae caussas naturales suas habent, vt sunt fulmina, ordinarii lunae defectus, id genus alia. Verum ab eiusmodi accusationibus se liberat ipse, dum fatetur, se non ignorare portenta illa ac prodigia tempore suo parum attendi; nihilominus tamen sibi tota mente praeclara antiquorum facta versanti antiquum quasi animum esse. Ita probe sciuit seruire temporibus, et cuiusque aetatis cum mores et consuetudines, tum actiones resque gestas quam fidelissime describere propemodum ac recentioribus ponere ob oculos potuit. Quamdiu versatus est in memoria illorum temporum, quibus praesagia multum valuere in plerorumque animis; eorum auctoritatem voluit referre. Postquam vero mortales illa non attendere magis visi sunt; eorundem mentionem ipse minime gentium fecisset. *i)* Sunt etiam, qui redarguunt digressiones in illo crebriores, ex. gr. de militia Romanorum, quid successus Alexander M. fuisset habiturus, si in Italiam iter flexisset, *k)* orationes directas, quas a Liuio esse confictas negare nemo potest. Sed illos abuti ingenio suo facile patior: vt nihil rectum putent, nisi quod cum

i) Confer. CORN. NEPOTIS praefationem libelli de excellentibus Imperatoribus. *k)* Lib. 9. c. 17.

cum vſu et moribus iſtorum conuenit. Sic viſum eſt Liuio de hiſtoriis et eloquentia optime merito, qui leges et modum res geſtas conſignandi procul dubio nouit, et artem, qua cum veritate ornatum, cum vtilitate fidem coniungere, et ſcripto exprimere poſſet.

§. LIII.

Licet Patauinus hiſtoricus noſter elegantiſſimus ſit, et minime gentium accuſandus quorundam ſermonis municipialis idiotiſmorum: in aliquibus tamen negari non poteſt, a communi loquendi vſu receſſiſſe: ſcilicet voces interdum fuere, quarum vim et ἐνέργειαν ſcriptores etiam optimi vel ignorarunt, vel non ſatis curare, et in mentem reuocare voluerunt. Id quod in Liuio *l*) TANAQ. FABER *m*) obſeruauit, qui, cum verba in annalibus legeret haec: *claſſibus ad Fidenas pugnatum*, non intellexerit, per *claſſes* in plurali numero equeſtres copias ſignificari, vnde et tubas eorum *claſſica* vocamus. *n*) At ſingulari numero *claſſis* nomen collectiuum eſt, ac nauium multitudinem ſignificat. *Seruitudo* apud illum eſt *o*) pro *ſeruitus*, at ſemel tantum: vt quidam, et hos inter Lipſius, de ſana ſcriptura dubitent. Quamuis enim FESTVS eandem vocem agnoſcat, in rariſſimis tamen, ſi non in ſuſpectis, ponenda eſt. *p*) Neque, cum aureo et proximo Latinitatis aeuo *iubendi* verbum frequentiſſime et elegantiſſime infinitiuus ſequeretur, apud LIVIVM *q*) admodum probari poteſt *iubeo* verbum cum particula *vt* ſuoque ſub-

l) Lib. 4. c. 34. *m*) Lib. 1. epiſt. 47. et libro peculiari aduerſus Ephemeridum Gallicarum ſcriptores, hanc Fabri cenſuram notantes. confer. MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana c. 13. *n*) Confer. VIRGILIVS Aeneid. l. 2. v. 30. et l. 7. v. 715. vtrobique SERVIVS. *o*) Lib. 24. c. 22. *p*) Confer. CELLARIVS Cur. poſter. c. 5. p. 189. *q*) Lib. 32. cap. 16.

ſubiunctiuo poſitum: *iuſſitque, vt, quae ex ſua claſſe veniſſent, naues Euboeam peterent. r)* Illud vero, quod vulgo creditur verbis neutris actiuam ſignificationem tribuiſſe, culpa vacat: cum et alii eiusdem aetatis et optimi ſcriptores ad eundem modum locuti ſint: neque ſatis conſtet recentioribus criticis, quousque ſe verba iſta, quae credunt eſſe neutra, extendant. Quum ex. gr. id enim calumniantur, verbum *abſtineo* cum quarto caſu ponit: *s)* ſecutus eſt TERENTIVM, *t)* vbi, *non manum*, inquit, *abſtines*, *maſtiga*? Pari modo locutus eſt CICERO, *v)* et HORATIVS: *x)* vt conſenſum omnium aetatis ſuae ſcriptorum habere videatur. Ita quoque, *ſubſiſtere feras*, inquit: *y)* pro excipere aut conficere: vt CAESAR *z)* *ſubſiſtere hoſtes.* Contra verbis actiuis quibusdam ſignificationem neutram addidit; vt: *a)* *Cladis Caudinae nondum memoria aboleuerat.* Rurſum: *b)* *cuius rei prope iam memoria aboleuerat.* In quibus verbum *abolere*, quod alias accuſandi caſum regit, abſolute et neutraliter ponitur.

§. LIV.

Optimus Romanae hiſtoriae ſcriptor primum typis vulgatus eſt *Romae* 1470. fol. curante Ioh. Andreae, Alerienſi Epiſcopo. 1471. et 1472. fol. ex emendatione Ioh. Ant. Campani Interamnenſis Epiſcopi. *Mediolani* 1478. fol. apud Philippum Lauagniam. 1480. fol. apud Antonium Zarottum, ex Petri Iuſtini Philelphi recenſione. *Parmae* 1480. fol. apud Melchior.

r) Vid. CELLARIVS l. c. p. 180. *s)* Lib. 1. c. 1. l. 2. c. 16. l. 4. c. 59. l. 7. c. 27. l. 8. c. 24. l. 42. c. 26. *t)* Adelph. A. 5. S. 2. v. 6. *v)* Ad Brutum epiſt. 17. De Diuinat. l. 1. c. 45. Philipp. orat. 2. c. 3. De Oratore lib. 1. c. 43. extr. Tuſcul. quaeſt. l. 4. c. 37. *x)* Serm. l. 2. ſatyr. 3. v. 202. *y)* Lib. 1. cap. 4. *z)* Bello Gallico lib. 1. c. 15. *a)* Lib. 9. c. 36. *b)* Lib. 3. c. 55.

chior. Sueſſam. *Taruiſinae* editiones 1482. fol. recenſente Luca Porro, et 1485. fol. a priore diuerſa. *Venetae* 1491. fol. cum Sabellici annotationibus, et 1498. fol. per Bartholomaeum de Zanis a Porteſio. In omnibus his et ſequentibus Liuii editionibus ad annum 1518. quo Moguntina prodiit, tantum libri XXIX. neque illi integri proſtant.

§. LV.

Eadem ſeculo ſequenti prodierunt opera *Venetiis* 1501. fol. per Georgium de Ruſconibus Mediolanenſem. 1506. & 1511. fol. 1518. 1519. & 1520. 8. tribus voluminibus, editio Aldina ex Moguntina 1518. caſtigata. 1521. fol. opera Aldi Manutii. 1533. 8. tribus iam vulgatis Aldi Manutii heredes e Baſilienſi Grynaei editione 1531. volumen quartum addiderunt. 1541. apud heredes Lucae Antonii. 1542. fol. cum Glareani epitome chronologica. 1555. fol. 1566. fol. et 1572. fol. ex officina Pauli Manutii cum ſcholiis Caroli Sigonii et noua chronologia. 1592. fol. apud Aldum Manutium nepotem cum vniuerſae hiſtoriae epitomis et ſcholiis Caroli Sigonii. *Florentiae* 1522. 8. apud Philippi Iuntae heredes. *Pariſiis* 1511. 8. apud Badium Aſcenſium, ex recognitione Sabellici. 1513. et 1516. fol. apud eundem cum Sabellici notis. 1529. Andreae Laueſcatii editio ex officina Nicolai Saueterii. 1530. fol. apud Aſcenſium, cum nuper in Germania inuentis quibusdam fragmentis; cum epitome L. Flori in omnes etiam non exſtantes libros; cum Ant. Sabellici ad Liuianae hiſtoriae veriorem lectionem annotatis; cumque Iodoci Badii Aſcenſii de hiſtorico decore regulis, et vocabulorum non omnibus notorum interpretatione. 1549. et 1574. 4. apud Vaſcoſanum, cum Glareani annotationibus. 1552. fol. apud Audonaeum Paruum, decades tres cum dimidia, longe quam hactenus ex collatione meliorum codicum corre-

correctiores et emendatiores; quibus accesserunt Sim. Grynaei de vtilitate legendae historiae, Barth, Marliani de origine vrbis Romae, Messalae Coruini libellus, in quo historia Romana ab exordio breuissime describitur; Sexti Rufi de historia Romanorum libellus; Flori epitome in Liuium; H. Loriti Glareani annotationes in eas quae exstant decades; chronologia eiusdem in vniuersam Romanam historiam; Laur. Vallae iudicium ex quibusdam apud Liuium locis; emendationes in sex libros de bello Punico; Ioh. Velcurionis introductio in historiam Romanam; Coelii Secundi Curionis libellus de mensuris etc. 1573 fol. cum Sigonii chronologia, Pomp. Laeti obseruationibus et variorum commentariis opera Iac. Gohorii. *Lugduni* 1537. 8. ex officina Trechseliorum cum Sigism. Gelenii et Beati Rhenani notis. 1540. fol. per Glareanum. 1542. 1548. et 1554. 8. apud Gryphium. 1553. fol. apud Ioh. Frellonium cum Vallae, Sabellici, Rhenani, Gelenii, Velcurionis, Glareani et Theod. Morelli obseruationibus. 1589. 8. cum chronologia accommodata ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci, et notis Robortelli et Godeleuaei: *Antuerpiae* 1579. 8. ex recensione I. Lipsii. 1590. 8. apud Chr. Plantinum. *Basileae* 1525. fol. ex Iac. Sobii castigatione. 1531. fol. qua editione Simon Grynaeus libros XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. primus addidit ex antiquissimo codice, maiusculis literis sine vlla vocum distinctione exarato, qui tunc in monasterio Wormatiae Laurisano fuit, nunc in Caesarea Viennensi bibliotheca seruatur. *c*) 1535. fol. apud Frobenium cum Sigismundi Gelenii et Beati Rhenani notis ac praefatione Des. Erasmi, accedit Henr. Glareani chronologia. Editio haec pereximia cum

c) Teste LAMBECIO in catalogo l. 2. p. 522. 943.

cum iisdem notis 1539. et 1543. fol recuſa proſtat, 1545. 8. cum Ioach. Perionii notis. 1549. fol. ex recenſione Coelii Sec. Curionis, cum Rhenani et Gelenii notis, et Glareani chronologia. 1554. 8. 1555. fol. apud Heruagium cum Laur. Vallae, Coccii Sabellici et Coelii Sec. Curionis caſtigationibus et notis. *Francofurti* 1551. 8. cum notis Guil. Godeleuaei. 1568. 1578. et 1588. fol. apud Sigiſm. Feyerabend. duobus voluminibus, quorum priori continentur haec: epiſtola Eraſmi ad Carolum Montioium; Simonis Grynaei de vtilitate legendae hiſtoriae praefatio; Bartholomaei Marliani de origine vrbis Romae libellus; Meſſalae Coruini ad Octauianum Auguſtum libellus, in quo Romana hiſtoria ab exordio quam breuiſſime deſcribitur; Sexti Rufi de hiſtoria Romanorum libellus; Tabula concionum atque orationum omnium T. Liuii velut generis diuiſionem in ſpecies complectens ad communem quandam omnium generum ſcribendi dicendique facultatem comparandam; Coelii Secundi Curionis libellus de menſuris, ponderibus reque nummaria Romanorum et Graecorum; L. Flori epitome in ſingulos T. Liuii libros; ipſa T. Liuii hiſtoria Romana libris omnibus, quotquot ad noſtram aetatem peruenerunt, cum picturis atque argumentis marginalibus; accuratiſſimus index; chronologia noua in T. Liuii hiſtoriam accommodata ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci; Franciſci Robortelli Vtinenſis de conuenientia ſupputationis Liuianae ann. cum marmoribus Romanis, quae in Capitolio ſunt; poſteriori tomo continentur: Pomp. Laeti de antiquitatibus vrbis Romanae libellus; Iohannis Bartholomaei Marliani Patricii Mediolanenſis de antiquae Romae topographia epitome; Pub. Victoris de vrbis Romae regionibus et locis; Henrici Loriti Glareani annotationes; Caroli Sigonii ſcholia cum Glareani

reani responsione; eiusdem chronologia; Laurentii Vallae iudicium de quibusdam apud Liuium locis, ex quo eruditus lector, qua cura ac diligentia auctores sint legendi, facile perspiciet; emendationes eiusdem in 6. libros de secundo bello Punico; M. Antonii Sabellici, Beati Rhenani, Sigismundi Gelenii annotationes; Ioh. Velcurionis introductio in vniuersam Romanam historiam; Ioh. Saxonii Hattestedii commentarioli duo ad historiam Liuii ab V. C. librum XXI. et XXII. Wilhelmi Godeleuaei in omnes Liuii libros, qui quidem exstant, obseruationes. 1588. fol. ex recensione Modii cum notis Gruteri et aliorum. 1588. 8. et 12. *Moguntiae* 1518. fol. ex officina Ioh. Scheferi, qua liber XXXIII. a capite XVII. et liber XL. a capite XXXVII. primum prodiere ex antiquo codice literis longobardicis scripto, qui repertus fuit in aede S. Martini illius vrbis; accessit index copiosus, et annot. in libros septem belli Macedonici. *Coloniae* 1528. fol. Eucharii Ceruicorni. 1579. 8. ad varias editiones et vetusta exemplaria recognita.

§. LVI.

Romae 1616. apud Barthol. Zannettum prioribus septendecim capitibus libri XXXIII. auctior ex MSC. codice bibliothecae ecclesiae cathedralis Bambergensis primum editus. *Patauii* 1694. 8. quinque volum. ad fidem codicum optimorum recognitus, cum nouis argumentis, chartis geographicis etc. *Parisiis* 1616. 8. ex editione Romana prioribus septendecim capitibus libri XXXIII. auctior. 1623. et 1625. fol. a Iano Grutero cum variorum obseruationibus et notis. 1679. 1680. 1681. et 1682. 4. sex voluminibus cum notis Douiatii et XCV. praeclaris supplementorum libris, Ioh. Freinshemio auctore, in vsum Delphini. *Lugduni* 1614. 8. 1621. 4. cum chronologia

et

et indicibus. *Cantabrigiae* 1679. 8. duobus voluminibus ad Gronouii editionem. *Amstelodami* 1654. et 1661. 12. vnico volumine. typis minutissimis. 1664. 1665. 8. tribus voluminibus, apud Elzeuirios, cum Caroli Sigonii et selectis variorum notis, cura Ioh. Frid. Gronouii. Editio haec recusa est 16 9. auspiciis eius filii, elegantia par priori, et quod ad annotationes spectat e MSt. et paternis schedis locupletata, suisque coniecturis plurimum aucta. *Lugduni Batauorum* 1624. 12. tribus voluminibus, ex officina Elzeuiriana, recensente Daniele Heinsio. Eadem recusa 1634. et 1645. 12. tribus volum. apud Elzeuirios, opera Ioh. Frid. Gronouii. *Geneuae* 1609. fol. inter scriptores Latinos veteres historiae Romanae. 1622. forma minori. *Francofurti* 1607. fol. 1619. 8. et 1628. fol. editiones Gruterianae. 1609. 1612. 1634. 1659. 8. ad Gruterianam editionem, additis Godeleuaei notis. 1696. 8. apud Frid. Knochium ex editione Gruteriana accurante Ioh. Gerardo Arnoldo.

§. LVII.

Seculo recentissimo Liuius lucem publicam vidit *Londini* 1703. 8. duobus voluminibus ad Gronou. editionem. *Oxonii* 1708. 8. sex voluminibus, MSt. codicum collatione recognita et annotationibus illustrata, editio omnium nitidissima. *Amstelodami* 1710. et 1719. 8. decem voluminibus, cum integris Ioh. Freinshemii supplementis, Iohannes Clericus recensuit et notis auxit. *Venetiis* 1714. 4. sex voluminibus, cum interpretatione et notis Ioh. Douiatii in vsum Delphini, supplementis Freinshemii et Ioh. Clerici animaduersionibus. *Patauii* 1718. 12. quinque tomis, variis lectionibus illustratus.

CAPVT V.

De Historicis, quorum monumenta iam nulla vel perexigua exstant.

§. I.

INter historicos fama minores recensentur Atticus, Hortensius atque Cicero. 2. *M. Terentius Varro.* 3. *L. Aelius Tubero.* 4. *L. Lucceius.* 5. *M. Tullius Tiro.* 6. *L. Arruntius.* 7. *Trogus Pompeius.* 8. *Lucius Fenestella.* 9. *Historici omnes numerari non possunt.*

§. I.

Hactenus satis prolixe clariorum, quorum hodie monumenta supersunt, historicorum memoriam prosecuti sumus. Plures adhuc sunt nobis recensendi, quorum scripta dudum iniuria temporum interiere, et ipsi praeter nominis famam nihil reliquerunt, quod virilem Latinae linguae aetatem comprobare possit. Nobilissimum et arcto vel aemulationis, vel amicitiae vinculo Romae coniunctum fuerat summae eruditionis trifolium, ATTICVS, HORTENSIVS atque CICERO, de quibus, vt opinor, satis prolixe suis locis egimus, et *T. Pomponium Atticum* libros annales, id genus alios scripsisse vidimus. *a*) Idem notauimus de *Q. Hortensio*, *b*) quod nobis saltem ex relatione VELLEII PATERCVLI *c*) innotuit, qui annalium istius mentionem facit. *Ciceroni* quoque *d*) in animo fuisse, conscribere historiam, ipsius scripta

a) Huius tract. part. 1. cap. 2. §. 7. *b*) Eiusd. part. 2. cap. 1. *c*) Hist. lib. 2. c. 16. *d*) Vid. huius tract. part. 2. cap. 2.

ſcripta paſſim loquuntur. *e*) Reuera ſcripſit commentarium conſulatus ſui graece, *f*) itemque verſibus Latinis, quos tribus libris abſoluit. *g*) Marii quoque res geſtas carmine deſcripſit. *h*) Ipſius chorographiam PRISCIANVS *i*) citat. De geographia dubitandum. *k*) Eximiam vero nobis reliquit hiſtoriae literariae partem de claris oratoribus in eo libro, quem Brutum inſcripſit, quemque propitium nobis fatum in ceteris eius elegantisſimis operibus conſeruauit. *l*)

§. II.

Ipſius Ciceronis Ariſtarchus fuit Romanorum doctisſimus M. TERENTIVS VARRO, de cuius meritis alibi ex profeſſo quaedam notauimus. *m*) Inter eius ſcripta quamplurima, vt πολυγραφώτατος praedicatur, etiam *Siſenna* fuit, ſeu *de hiſtoria* liber, *n*) *annales* citantur CHARISIO: *o*) ſic quoque veteribus ſaepe citantur *antiquitates rerum humanarum et diuinarum*, quibus res veteres Romanas explicuit. *p*) Rerum humanarum fuerunt libri viginti quinque, diuinarum ſedecim: vtriusque operis argumentum AVGVSTINVS *q*) recenſet. Confecit porro libros *de vita populi Romani*, T.

 Pom-

e) Vid. CICER. de oratore l. 2. de legibus lib. 1. c. 2. Ad famil. lib. 5. epiſt. 12. *f*) Eodem teſte ad Atticum lib. 1. epiſt. vlt. l. 2. epiſt. 1. PLVTARCHO in vita Cicer. *g*) CICER. ad famil. l. 1. epiſt. 9. al. 10. VOSSIVS de hiſtoricis lat. l. 1. c. 11. Hui. tract. part. 1. c. 4. §. 3. *h*) CICERO de legibus l. 1. c. 11. ad Attic. l. 12. epiſt. 48. VOSSIVS l. c. *i*) Lib. 6. *k*) Vid. CICER. ad Atticum l. 2. epiſt. 6. ſeq. *l*) Vid. Huius tract. part. 2. cap. 2. *m*) Huius tract. part. 1. c. 5. §. 4. ſeqq. *n*) Vid. A. GELLIVS noct. Atticis l. 16. c. 9. *o*) Lib. 1. vbi ex illorum tertio refert, Seruium Tullium primum fuiſſe, qui nummum argenteum conflaret; eumque fuiſſe quatuor ſcriptulis maiorem, quam Varronis foret aeuo. *p*) Iſtas DIONYSIVS l. 1. ἀρχαιολογίας appellat; in quibus paſſim affirmat ſe Varronem ſecuturum. *q*) De ciuitate Dei l. 6. c. 5.

Pomponio Attico inscriptos, quorum vndecimum NONIVS *r)* laudat: *de gente populi Romani* libros quatuor, Arnobio et aliis citatos; et illi ipsi VOSSIO *s)* esse videntur, quibus quod FABIVS testatur *t)* *initia vrbis Romae* enarrauit: *de republica v)* libros, quorum vigesimum NONIVS allegat: *hebdomadum* siue *de imaginibus libros:* de quibus PLINIVS: *x)* *imaginum amorem flagrasse quondam, testes sunt et Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, et Marcus Varro, benignissimo inuento, insertis voluminum suorum foecunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed et aliquo modo imaginibus; non passus intercidere figuras, aut vetustatem aeui contra homines valere* etc. Scripsit quoque *de proprietate scriptorum, y)* de actionibus scenicis, de scenicis originibus, de poetis, de bibliothecis, de vita sua, de bello Punico secundo, de familiis Troianis etc. *z)*

§. III.

L. AELIVS TVBERO, Quinti Ciceronis in Asia legatus, diuersus ab aliis Aeliis Tuberonibus apud Ciceronem in Bruto, oratione pro Ligario et alios passim obuiis, qui vulgo mirum quantopere confundi solent: *a)* idem esse videtur, qui pro praetore ex S. C. et lege Pompeia Africam sortitus; rebus autem infectis redire coactus fuerat. Quod CAESAR *b)* ita memoriae prodidit: *Tubero cum in Africa venisset, inuenit*

r) Cap. 2. n. 714. vbi notat *paupertates* noue positum numero plurali. Vid. etiam c. 2. n. 594. 621. *s)* De historicis Latin. l. 1. c. 12. *t)* Instit. orat. l. 1. c. 7. *v)* NONIVS cap. 2. n. 611. *x)* Hist. natur. l. 35. c. 2. confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 3. c. 10. *y)* NONIVS cap. 4. n. 275. *z)* Vid. FABRICII bibliotheca Latina l. 1. c. 7. *a)* Vid. VOSSIVS de historicis Latinis l. 1. c. 12. *b)* De bello ciuili lib. 1. confer. PAVLVS OROSIVS lib. 6. cap. 15. p. m. 398.

nit in prouincia cum imperio Actium Varum -- Hic venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur: sed sublatis anchoris, excedere eo loco cogit. DIONYSIO HALICARN. *c*) vocatur δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής. *grauis et diligens in colligendis rebus historiae mandatis.* Optime eum commendat CICERO *d*) ad Quintum fratrem suum scribens: *Quanquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae: de quibus honore, et dignitate, et aetate praestat Tubero: quem ego arbitror, praesertim quum scribat historiam, multos ex suis annalibus deligere, quos velit, et possit imitari.*

§. IV.

L. LVCCEIVS, *e*) Q. filius, praeturam gessit: in consulatu vero, quem petiit, ipsi Bibulus praelatus est, quod minus omnia ex voto Caesaris gesturus crederetur. Bello ciuili Pompeium secutus est, *f*) cui cum Theophane auctor fuit, vt

c) Rom. antiq. l. 1. c. 10. p. m. 103. Citatur etiam a LIVIO histor. l. 4. c. 23. l. 10. c. 9. ab A. GELLIO noct. Attic. l. 14. c. 7. et 8. l. 6. c. 3. et 4. l. 10. c. 28. Idemque l. 7. c. 9. testatur Aelium Tuberonem libro ad C. Oppium scripto *occecurrerit* dixisse. *d*) Ad Q. Fratr. l. 1. epist. 1. *e*) Ita scilicet, non *Lucceius*, vetera monumenta habent. Romae in antiquo lapide:

C. M.
LVCCEIAE
SECVNDINAE
TI. CLAV.
PRISCVS VITRICVS
VIX. AN. II. MEN. V.

Confer. VICTORINVS ad Cicer. epist. 13. l. 5. famil. quae aliis est epistola 12. *f*) CICERO ad famil. l. 13, epist. 41. et 42. al. 42. et 43.

vt Italiam desereret. A Caesare victore veniam meruit. Frequens illi cum Cicerone literarum commercium intercesserat: qui cum bellis ciuilibus, Caesare summam rerum obtinente, solicitus de rep. in agrum se abdidit, ne communem omnium videret calamitatem: atque literis eum erigente Lucceio, magnum testatur ex illis fructum coepisse, vt, quod monuerat, se ad literarum studia transferre constituerit. g) Consilium hoc Lucceius probat: h) si eo animo in rus abierit, vt in variis disciplinis scribendo alios iuuare possit: lacrumas vero damnat, quod casum reip. ita lugeat, quasi non futurum praeuiderit: ac frustra eos esse in moerore, quorum res immutari nequeant. Ex quibus consolatoriis Cicero Lucceii amorem agnoscit, sed eum non capere dicit moeroris caussam, quae non alia, quam quod remedium nullum videret. i) Quamuis summus orator historicum passim de humanitate, constantia, et doctrina commendet; nimium aliquando tamen videtur fuisse grauis: de Q. Cassio certe supra modum vehemens erat: k) ac ipsi Attico veteri amico inuisus. Quamobrem TVLLIVS ad eum scribit: l) *accedebat hortator assiduus Sallustius, vt agerem quam diligentissime cum Lucceio de vestra vetere gratia reconcilianda. Sed quum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne caussam quidem elicere immutatae voluntatis.* Lucceius hic, vt arte dicendi peritissimus erat, conscripsit belli socialis, quod et Marsicum et Italicum appellatur, historiam: atque in ea dixerat, de

g) Vid. CICER. ad famil. l. 5. epist. 14. al. 13. *Quanquam ipsa consolatio* etc. h) Epistola sequente. i) Ad famil. l. 5. epist. 16. al. 15. *omnis amor tuus* etc. k) CICERO ad Atticum l. 5. epist. 20. l) Ad Attic. l. 1. epist. 7.

de Cicerone eiusque rebus geſtis mentionem ſe facturum. Cicero autem, quod gloriae auidiſſimus eſſet, remque differre Lucceium videret: epiſtola *m*) eum rogat, vt rerum a ſe geſtarum commentarios in continenti perſcribere velit, cum propter ingenii excellentiam, tum propter alias cauſſas. Quod ipſi ſe ita facturum reſcripſit. *n*) Ex ſcriptis eius omnibus hodie nihil exſtat, niſi epiſtola ad Ciceronem vnica, quae eſt decima quarta vel quinta libri quinti ad familiares, elegans quidem, ſed quae ad ſpiritum gloriamque Ciceronis adſpirare nequit.

§. V.

M. TVLLIVS TIRO, Ciceronis libertus, quem propter ſummam eruditionem, modeſtiam, virtutes reliquas, in deliciis habuit, *o*) ac manumiſſum, fortuna et conditione ſua indignum, maluit eſſe ſuum et fratris Quinti, et doctiſſimorum quorumque amicum, quam ſeruum. *p*) Adeo charus fuit omnibus, et exſpectatus: vt nemo amaret Ciceronem ipſum, qui Tironem non dilexerit. *q*) Cum valeret in omni ſtudiorum ac negotiorum genere, Ciceroni mirabilis vtilitatis fructum praebebat: *r*) tanto magis, quod nihil illo adoleſcente caſtius, nihil diligentius eſſet. *s*) Quamobrem ad eum ipſe ſcribit: *t*) *ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibique conſeruandum.* Rurſum: *v*) *omnia a te data mihi putabo, ſi te valentem videro.* Officia eius innumerabilia praedicat. *x*) Domino dictitante, totas

m) 13. al. 12. lib. 5. ad famil. *n*) CICERO ad Atticum l. 4. epiſt. 6. *o*) CICERO ad Attic. l. 7. epiſt. 5. *p*) Ad famil. l. 16. epiſt. 16. *q*) CICERO ad famil. l. 16. epiſt. 2. et 6. *r*) Ad Attic. l. 7. epiſt. 5. *s*) Ad Attic. l. 6. epiſt. 7. et l. 7. epiſt. 2. *t*) Ad famil. l. 16. epiſt. 13. *v*) Ibid. epiſt. 15. *x*) Ad famil. l. 16. epiſt. 6. et 7.

totas περιοχὰς persequi solebat, cum aliis syllabatim verba dicenda fuissent: *y)* vt eo absente studia etiam Ciceronis languerent, sui librarii desiderio: ad quem inter alia: *z) Pompeius apud me erat, quum haec scribebam. Hilare et libenter ei cupienti audire nostra dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu musis nostris para vt operas reddas.* Et alibi *a)* fatetur quod Tiro suorum scriptorum κανὼν siue regula esse soleat. Tenerrimae vt plurimum valetudini accedebat animi aegritudo, forsan ex communi omnium, Domini praesertim sui calamitate. Hinc *audio*, ad eum scribit, *b) te animo angi, et medicum dicere ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatemque propter quam mihi es charissimus. Nunc opus est, te animo valere, vt corpore possis.* Cicero quum rediens e Cilicia iter per Achaiam faceret: hunc Tironem aegrotum Patris, Peloponnesi oppido reliquit, *c)* eumque iussit summo studio valetudinem curare: atque scriptis frequentibus ad eum literis, *d)* beneuolentia et amore tenerrimo plenis, toties repetit non tam hoc praeceptum, quam preces: quod iste morbus sibi maximae solicitudini esset. *e)* Praedium sibi tandem emit, quod Cicero filius ipsi gratulatur: *f)* atque in eo valde senex aetatem egit. HIERONYMO teste: *g) M. Tullius Tiro*

y) Ad Attic. l. 13. epist. 7. *z)* Ad famil. l. 16. epist. 12. *a)* Famil. l. 16. epist. 17. confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 9. vbi Tiro vocatur Ciceronis alumnus et libertus adiutorque in literis studiorum. Et l. 7. c. 3. ingenio homo eleganti, et haud quaquam rerum literarumque veterum indoctus: eoque ab ineunte aetate liberaliter instituto adminiculatore et quasi administro in studiis literarum Ciceronem vsum fuisse. *b)* Famil. lib. 16. epist. 14. *c)* Ad Attic. l. 7. epist. 2. *d)* Quae librum epistolarum ad familiares vltimum constituunt. *e)* Ad famil. l. 16. epist. 8. passim. confer. ad Attic. l. 7. epist. 3. fin. *f)* Ad famil. l. 16. epist. 21. *g)* In chronico Eusebiano.

Tiro, Ciceronis libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano, vsque ad centesimum annum consenescit. Scripsit vitam Ciceronis, cuius librum quartum ASCONIVS PEDIANVS *h*) citat: et librum singularem de iocis Ciceronis. *i*) Praeter ea historica scripsit libros complures de vsu atque ratione linguae Latinae; item de variis atque promiscuis quaestionibus, in quibus praecipui fuerant, quos Graeco titulo πανδέκτας inscripsit: *k*) tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes. Dedit quoque ad patronum eiusque familiares et amicos epistolas: quarum vna M. Catonis pro Rhodiensibus orationem reprehendit: vnde apud A. GELLIVM *l*) fragmenta: praetereaque vix alia monumenta prostant. Patronus, vt palati fuerat omnium delicatissimi, eius dictiones non raro sub limam vocauit, vt illud tam ἄκυρον, *valetudini fideliter inseruiendo*: *m*) vbi aduerbium fideliter non inueniat locum, quod proprie de officiis dicatur. Notas quidem *n*) non primus inuenit, *o*) sed methodo faciliori ad vsum Latinae linguae reduxit: vt singulis aut binis literis integrae dictiones significarentur. Vsus enim notarum erat, vt quicquid pro concione vel contentione,

h) In oratione pro Milone. *i*) Vid. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 1. confer. QVINTILIANVS instit. orat. l. 6. c. 3. et 4. *k*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 9. *l*) Noct. Attic. l. 7. c. 3. Eiusdem quoque meminit l. 4. c. 10. alibi. *m*) Vid. CICER. ad famil. l. 16. epist. 17. *n*) FESTVS in verb. *nota*. ISIDORVS orig. l. 1. c. 21. *o*) Fuit enim antiquissima scribendi ratio per notas et signa. vid. differt. nostra de pueritia L. L. cap. 1. §. 11. et programma orationis de politices eloquentiae et historiarum in rep. vsu et nexu. Notas etiam vulgares longe ante Tironem Ennius mille et centum inuenit. ISIDORVS orig. l. 1. c. 21. Vt Graecos taceam, de quibus SALMVTH in notis ad Panciroll. nov. rep. tit. 14. et MORHOFIVS polyh. lit. l. 4. c. 2. §. 3.

ne, aut in iudiciis diceretur, librarii ſcriberent complures ſimul adſtantes. Tiro commentatus eſt notas, ſi fides ISIDORO, *p*) tantum praepoſitionum: quarum ope omnium prima Catonis Vticenſis oratio, Cicerone Conſule, excepta fuit. *q*) Poſt eum Tertius Perſannius, Philargius, et Aquila libertus Maecenatis alius alias addiderunt: *r*) quas DIO *s*) ipſi Maecenati adſcribit. Deinde Seneca, contracto omnium digeſtoque et aucto numero, opus effecit in quinque millia. *t*) Ex. gr. cum veteres iuris libri compendioſa ratione ſcriberentur, ſignificabant per B. F. *bonum factum*. S. C. *ſenatus conſultum*. R. P. *rempublicam*. P. R. *populum Romanum*. D. T. *duntaxat*. Ɱ. *mulierem*. P. *pupillum*. ᗡ. *pupillam*. K. *caput*. KK. *calumniae cauſſa*. I. E. *iudex eſto*. D. M. *dolum malum*. A. *pueritiam*. T. *ſuperſtitem militem*. Θ. *defunctum*. *v*) Quae et ſimilia in marmoribus antiquis hodie quoque ſpectantur. *x*) Extant adhuc Tironis notae, quas ad ſignandas voces excogitauit, auctae, ſi fides Trithemio, Senecae atque Cypriani voeum notis, quae ad vſum Chriſtianorum neceſſariae fuerant. Trithemius, cuius aeuo

p) Orig. l. 1. c. 21. confer. EVSEBIVS in chron, anno mundi 5190. POLYDORVS VERGILIVS de rerum inuentoribus l. 2. c. 8. *q*) PLVTARCHVS in Catone Vticenſi. *r*) ISIDORVS l. c. PANCIROLLVS nou. repert. tit. 24. et variar. lect. l. 1. c. 30. *s*) Lib. 55. in Auguſto. Conf. huius differt. part. 2. c. 8. §. 8. *t*) ISIDORVS l. c. *v*) Apud ISIDORVM l. 1. c. 22. 23. *x*) Videatur omnino VALERIVS PROBVS de ſiglis ſeu de interpretandis Romanorum literis. Etiam SERTORIVS VRSATVS Patauinus librum peculiarem de notis Romanorum ſcripſit, excuſum Patauii 1672. fol. et IOH. BAPT. PORTA de furtiuis literarum notis, Mompelgardi 1593. 8. Valerium Probum, notas iuris a Magnone collectas, Petri Diaconi de notis literarum more Romano librum, et huius generis alia vide apud GOTHOFREDVM ſcript. Lat. linguae corp. p. 1451. ſeqq.

aeuo rarissimae erant, illas ex abbatiae cuiusdam bibliotheca anno MCCCCXCVII. vili pretio a monachis rerum imperitis emit: eumque thesaurum sibi valde gratulatus est. *y*) Istiusmodi notis descriptum extitit Argentorati psalterium, cuius lepidam historiam simul TRITHEMIVS *z*) exponit: *Biennio post eques Argentinam in caussis ordinis mei ascendi, admissusque per Ioh. Keisersbergium, insignem loci concionatorem, in bibliothecam maioris ecclesiae, Psalterium reperi totum hisce Tullii et Cypriani notis exaratum, aureisque capitellis decentissime scriptum. Superscriptio autem ab ignaro mysterii talis fuerat extrinsecus posita: PSALTERIVM IN ARMENICA LINGVA. Ego doctorem adhibui, falsitatem ostendi, ita rescribendum admonui: PSALTERIVM NOTIS CICERONIS DESCRIPTVM. Quod fecerit, nec ne, incertum habeo, quoniam ad eam bibliothecam postea non sum reuersus.* Tandem IANVS GRVTERVS notas Tironis et Senecae cum illis Cypriani mixtis e duobus codicibus, suo uno, Ioh. Pistorii altero, edidit corpori inscriptionum adiectas. In praefatione vero docet, istas notas glossarii locum expleturas in libris, qui meris istiusmodi signis conscripti forsan in bibliothecis lateant: qualis non modo ille apud BEMBVM, *a*) sed et alius Curtii codex Bongarsianus, cui sub finem, et variis ad marginem locis, illitas esse id genus notas ipse Gruterus narrat.

§. VI.

L. ARRVNTIVS, Romanus senator, quem diuitem promtumque artibus egregiis, et pari fama, Augustus publice dignum imperio iudicauit, et ausurum, si casus daretur. *b*) Anno ab V. C. DCCXXXII. cum M. Claudio Marcello

y) In polygraphia. *z*) L. c. *a*) Ad famil. l. 5. epist. 8. quam huius differt. p. 2. c. 8. §. 8. exponemus. *b*) TACITVS annal. l. 1. c. 13.

consul fuit. In funere Augusti cum de honoribus ageretur, censuit, vt legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. *c*) Et oratione ipsum Tiberium in Senatu offendit, a quo cum propter opes, tum propter eruditionem atque famam alias magni solebat haberi. *d*) Cum Tiberis imbribus continuis auctus plana vrbis stagnaret, ac relabentem sequeretur aedificiorum et hominum strages, cum Ateio Capitone ipsi remedium coercendi fluminis mandatum est. *e*) L. Sullam nobilem iuuenem defendit contra Domitium Corbulum, cui inter spectacula gladiatorum, loco non decesserat. *f*) Etiam a Pisone in periculo patronus electus est, *g*) vt egregius orator fuerat, ac in iudicio Albutium quoque vsserat. *h*) Decem annos detentus est, ne proficisceretur in Hispaniam prouinciam, *i*) quam absens rexit. *k*) Denique coniurationis et adulterii, cum famosa multorum amoribus quadam Albucilla, *l*) accusatus, aetatis ac periculorum satur, venas resoluit: *m*) ad summa prouectus incorrupta vita, et facundia, *n*) et artibus sanctissimis: vt potentia ac diuitiae multorum inuidiam excitare viderentur. *o*) Temporibus Augusti Sallustiano stilo, nec sine κακοζηλία, historiam de bello Punico scripsit. SENECA *p*) de eo *haec*, inquit, *vitia vnus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputa-*

c) TACITVS annal. l. 1. c. 8. *d*) Ibid. c. 13. *e*) Ibid c. 76. et 79. *f*) Idem annal. l. 3. c. 31. *g*) TACITVS annal. l. 3. c. 11. vbi quidem mendose T. pro L. legitur: vt post Nicolaum Fabrum notat VOSSIVS de historicis Latinis l. 1. c. 18. *h*) SENECA praefatione libri 7. controu. confer. AND. SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus p. 6. *i*) TACITVS annal. l. 6. c. 27. *k*) Idem histor. l. 2. c. 65. *l*) Idem annal. l. 6. c. 47. confer. eiusdem libri c. 7. vnde patet eius accusatores Aruseium et Sanquinium malitiae dedisse poenas. *m*) Ibid. c. 48. *n*) TACITVS annal. l. 11. c. 6. *o*) Idem annal. l. 6. cap. 5. *p*) Epistola 114.

putatae sententiae, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura breuitas, fuere pro cultu. Arruntius vir rarae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus, et in id genus nitens. Est apud Sallustium: exercitum argento fecit: *id est, pecunia parauit. Hoc Arruntius amare coepit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco:* fugam nostris fecere. *Alio loco:* Hiero, Rex Syracusanorum, bellum facit. *Et alio loco:* quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, et pene continua, nec sine caussa, ille enim in haec incidebat: at hic illa quaerebat. Vides autem, quid sequatur, vbi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius:* aquis hiemantibus. *Arruntius in primo libro belli Punici ait:* repente hiemauit tempestas. *Et alio loco, cum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait:* totus hiemauit annus. *Et alio loco:* inde sexaginta onerarias leues, praeter militem, et necessarios nautarum, hiemante Aquilone, misit. *Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Sallustius dicit:* inter arma ciuilia aequi boni famas petit. *Arruntius non temperauit, quo minus primo statim libro poneret:* ingentes esse famas de Regulo. et quae sequuntur. IVSTVS LIPSIVS *q)* eum γεωγραφούμενα edidisse putat: nullo alio argumento, quam quod a PLINIO *r)* referatur inter scriptores, ex quibus in geographicis profecerit. Sed facilis coniectura est, eum, in commentariis de bello Punico, etiam descripsisse regiones et loca,

 in

q) In eruditis ad Tacitum notis. *r)* Hist. natur. l. 1. siue indice lib. 3. et 5. extr.

consul fuit. In funere Augusti cum de honoribus ageretur, censuit, vt legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. *c*) Et oratione ipsum Tiberium in Senatu offendit, a quo cum propter opes, tum propter eruditionem atque famam alias magni solebat haberi. *d*) Cum Tiberis imbribus continuis auctus plana vrbis stagnaret, ac relabentem sequeretur aedificiorum et hominum strages, cum Ateio Capitone ipsi remedium coercendi fluminis mandatum est. *e*) L. Sullam nobilem iuuenem defendit contra Domitium Corbulum, cui inter spectacula gladiatorum, loco non decesserat. *f*) Etiam a Pisone in periculo patronus electus est, *g*) vt egregius orator fuerat, ac in iudicio Albutium quoque vrserat. *h*) Decem annos detentus est, ne proficisceretur in Hispaniam prouinciam, *i*) quam absens rexit. *k*) Denique coniurationis et adulterii, cum famosa multorum amoribus quadam Albucilla, *l*) accusatus, aetatis ac periculorum satur, venas resoluit: *m*) ad summa prouectus incorrupta vita, et facundia, *n*) et artibus sanctissimis: vt potentia ac diuitiae multorum inuidiam excitare viderentur. *o*) Temporibus Augusti Sallustiano stilo, nec sine κακοζηλία, historiam de bello Punico scripsit. SENECA *p*) de eo *haec*, inquit, *vitia vnus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputa-*

c) TACITVS annal. l. 1. c. 8. *d*) Ibid. c. 13. *e*) Ibid c. 76. et 79. *f*) Idem annal. l. 3. c. 31. *g*) TACITVS annal. l. 3. c. 11. vbi quidem mendose T. pro L. legitur: vt post Nicolaum Fabrum notat VOSSIVS de historicis Latinis l. 1. c. 18. *h*) SENECA praefatione libri 7. controu. confer. AND. SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus p. 6. *i*) TACITVS annal. l. 6. c. 27. *k*) Idem histor. l. 2. c. 65. *l*) Idem annal. l. 6. c. 47. confer. eiusdem libri c. 7. vnde patet eius accusatores Aruseium et Sanquinium malitiae dedisse poenas. *m*) Ibid. c. 48. *n*) TACITVS annal. l. 11. c. 6. *o*) Idem annal. l. 6. cap. 5. *p*) Epistola 114.

putatae sententiae, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura breuitas, fuere pro cultu. Arruntius vir rarae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus, et in id genus nitens. Est apud Sallustium: exercitum argento fecit: *id est, pecunia parauit. Hoc Arruntius amare coepit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco:* fugam nostris fecere. *Alio loco:* Hiero, Rex Syracusanorum, bellum facit. *Et alio loco:* quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, et pene continua, nec sine caussa, ille enim in haec incidebat: at hic illa quaerebat. Vides autem, quid sequatur, vbi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius:* aquis hiemantibus. *Arruntius in primo libro belli Punici ait:* repente hiemauit tempestas. *Et alio loco, cum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait:* totus hiemauit annus. *Et alio loco:* inde sexaginta onerarias leues, praeter militem, et necessarios nautarum, hiemante Aquilone, misit. *Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Sallustius dicit:* inter arma ciuilia aequi boni famas petit. *Arruntius non temperauit, quo minus primo statim libro poneret:* ingentes esse famas de Regulo. et quae sequuntur. IVSTVS LIPSIVS *q)* eum γεωγραφέμενα edidisse putat: nullo alio argumento, quam quod a PLINIO *r)* referatur inter scriptores, ex quibus in geographicis profecerit. Sed facilis coniectura est, eum, in commentariis de bello Punico, etiam descripsisse regiones et loca, in

q) In eruditis ad Tacitum notis. *r)* Hist. natur. l. 1. siue indice lib. 3. et 5. extr.

in quibus Poeni cum Romanis pugnarunt: quod fieri apud historicos prope omnes videmus. *s*)

§. VII.

TROGVS POMPEIVS, illustris historicus, quoque Augusti temporibus vixit. Ipse maiores suos a Vocontiis *t*) originem ducere; auum suum, Trogum Pompeium, Sertoriano bello, ciuitatem a Cn. Pompeio percepisse dicit: patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse: patrem vero sub Caio Caesare militasse, epistolarumque et legationum, simul et annuli curam habuisse. *v*) Totius orbis, sed Graeciae praesertim historias Latino sermone XLIV. voluminibus cômposuit: easdemque a praecipuo argumento de rebus Macedonicis, quas a libro septimo ad quadragesimum primum exsequitur, *historias Philippicas*, Theopompi exemplo, inscripsit. Regni enim Macedonici dignitas maxima est a Philippo, Alexandri M. parente. Quemadmodum et Cicero suas in Antonium orationes, Demosthenis exemplo, Philippicas vocauit. Septem prioribus libris mundi origines descripsit. Ipsius Trogi libri nusquam supersunt: *x*) quos in epitomen Iustinus redegit. Nam et ipse

s) VOSSIVS de hist. Latinis l. 1. c. 18. *t*) Qui populus haud incelebris est in Gallia Narbonensi. *v*) IVSTINVS l. 43. c. 5. extr. Vnde patet iniuriam fieri Iustino apud BONIFACIVM historiae ludicrae p. 438. Trogi memoriam abolere voluisse. Neque audiendi sunt, qui Trogum vel Hispanum faciunt; vel eum temporibus Tiberii, vel etiam Antonini Pii, adscribere non dubitarunt. Confer. VOSSIVS de historicis Latinis l. 1. c. 19. *x*) Licet Aldus Senior Manutius ea epistola, quam Perotti Cornucopiae, ac tribus Grammaticis veteribus praefixit, scribere non dubitauerit, Trogi historias extare apud amicum quendam doctum et spectatae fidei, atque propediem in lucem edi posse. Vel etiam fuerint, qui integram Trogi historiam in Marquardi Gudii bibliotheca seruari, rumorem spargerent,

ipse *y*) testatur, se per otium, quo in vrbe versaretur, cognitione quaeque dignissima excerpsisse: et omissis quae nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo necessaria, breue quasi florum corpusculum fecisse. Quamuis ergo ipsis Trogi Pompeii Philippicis historiis perfrui non liceat: antiquos tamen earum prologos vel summaria habemus: ex quibus non tantum Iustini epitomarum quaedam emendationes fieri possunt; verum etiam apparet, quaenam illa sint, quae Iustinus, vt in praefatione fatetur, omisit. Sunt vero in prologis istis menda quamplurima a Bongarsio, Scheffero et aliis sublata, vt paulo minus quam antea lectu sint asperi futuri. Trogum in praefatione IVSTINVS priscae eloquentiae virum vocat: VOPISCVS *z*) scriptoribus disertissimis annumerat: atque PLINIVS *a*) eum vt seuerissimum auctorem citat.

§. VIII.

LVCIVS FENESTELLA, *b*) historicus Augusti tempore non incelebris, nouissimo Tiberii Caesaris principatu *c*) vel, vt HIERONYMVS *d*) habet, anno Christi XXI. septuagenarius moritur, sepeliturque Cumis. Ibi vocatur historiarum scriptor et carminum. Reliquit vero annales, quorum liber XXII. a NONIO citatur. *e*) Scripsit etiam archaica, si vera est

y) In praefatione. *z*) In Probo Imper. c. 2. *a*) Hist. natur. l. 11. c. 52. vbi et fragmentum eius illustre habemus. Citatur etiam l. 7. c. 3. l. 11. c. 39. l. 17. c. 10. l. 31. c. vlt. Et indice l. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 31. *b*) A FVLGENTIO mytholog. l. 3. cap. 2. de perdica, *Fenestella Martialis* procul dubio mendose dicitur: cum MSta habeant, *Fenestella in archaicis*. *c*) PLINIVS hist. nat. l. 33. cap. 11. *d*) Chron. Euseb. olymp. 199. *e*) Cap. 5. n. 403. Citantur quoque annales Fenestellae a NONIO MARCELLO c. 2. n. 660. et c. 3. n. 188. PLINIO histor. natur. l. 8. c. 7. l. 9. c. 17. et 35. l. 15. c. 1. meminit eiusdem DONATVS seu TRANQVILLVS in vita Terentii. A. GELLIVS noct. Attic. l. 15. c. 28. SENECA epist. 108. plures alii.

ra est e MStis Fulgentii emendatio, quam Commelinus sequitur. DIOMEDES *f*) ex epitomis Fenestellae testimonium affert, eruditis vel ideo suspectum, quod in eo sit vox *decollare*, Augusti temporibus ignota. VOSSIVS *g*) autem putat, eam vocem iam Tiberii aeuo obtinuisse: vt Diomedes recte testetur, quos veteres dixere *securi caesos*, Fenestellae *decollatos* vocari. LACTANTIVS *h*) eum diligentissimum scriptorem vocat. Nihil vero istiusmodi hodie superest. Et plane diuersus ab hoc iure censetur L. Fenestella, sub cuius nomine de magistratibus sacerdotiisque Romanorum libellus exstat: nam ille meminit non modo Plinii, *i*) Valerii Maximi, *k*) A. Gellii *l*) et aliorum recentioris aeui scriptorum; sed etiam *episcoporum* et *archiepiscoporum*, quae vocabula Plinio, eoque superioribus ignota fuerunt. Quod ipse VALENTINVS CVRIO, qui libellum Basileae 1532. edidit, in praefatione fatetur. Hunc vero pseudo-fenestellam esse Andream Dominicum Floccum, Florentinum Canonicum et Pontificis Romani secretarium, viri docti inuenerunt. *m*) Primus sub Flocci nomine hunc librum edidit Aegidius Witsius Brugensis IC. 1561. 8vo. *n*)

§. IX.

Huc etiam essent referendi, quorum paullo sunt obscuriora inter historicos nomina, *Tanusius Geminus*, *Volusius*, *Procilius*, *Furius*, *Bibulus*, *P. Volumnius*, *Vipsanius*, *A-*

grippa

f) Lib. 1. *g*) De Histor. Latin. l. 1. c. 19. extr. *h*) De falsa religione l. 1. c. 6. *i*) De sacerdotiis c. 14. passim. *k*) De magistratibus c. 1. *l*) De magistr. praefatione. c. 1. 11. et passim. *m*) LILIVS GYRALDVS de poetis dialogo IV. hunc Flocci librum testatur esse scriptum ad Brandem Cardinalem Placentinum, qui anno Christi 1411. creatus est. *n*) Vid. VOSSIVS de hist. Latin. l. 1. c. 19. FABRICIVS bibliotheca Latina l. 4 c. 4. p. 745.

grippa, *Sulpicius Galba*, plures alii: Sed praeter illa, quae ſuo tempore iam tum G. I. VOSSIVS *o*) notauit, neſcio an aliquid notatu dignum ex omni antiquitate commentari queat: vt fama iſtorum illuſtrior, aut fata Latinae linguae, vt deſcribuntur a nobis, elegantiora reddantur.

CAPVT VI.
De Philoſophis.

§. I.

Philoſophiae praeſtantia et vſus. 2. *Antiquitas et nominis origo.* 3. *Pythagoricae philoſophiae reſtaurator in Italia et Romae Nigidius Figulus.* 4. *Commune literatis hoc aeuo philoſophiae ſtudium.* 5. *Ciceronis circa eam merita.* 6. *Recenſetur Vitruuii vita eiusque* 7. *de architectura opus.* 8. *Vitruuii ſtilus.* 9. *Editiones ſeculi decimi quinti*, 10. *decimi ſexti*, 11. *decimi ſeptimi enumerantur.* 12. *Agitur de Aethico eiusque coſmographico opere ac* 13. *editionibus.*

§. I.

Cum philoſophia ſit mater omnium ſcientiarum, ſuaque virtute, quae ex recto rationis vſu venit, ſolum ad mores decentes humanitatemque homines reuocare queat: facilis coniectura eſt, eius ſtudium fuiſſe omnium antiquiſſimum, ac gentibus vbique moratioribus commune. Et MARCVS TVLLIVS *a*) iam tum ſuo tempore teſtatus eſt, laudandarum artium omnium procreatricem quandam, et quaſi parentem eam, quam φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus doctiſſimis iudicari: in qua difficile ſit enumerare, quot viri,

o) De hiſt. Lat. l. 1. c. 12. 17. 18. *a*) De oratore l. 1. c. 3.

Funccii Vir. Aet. L. L. P. II. Oo *b*) L. c

viri, quanta ſcientia, quantaque in ſuis ſtudiis varietate et copia fuerint, qui non aliqua in re vna ſeparatim elaborarint, ſed omnia quaecunque eſſent, vel ſcientiae perueſtigatione, vel diſſerendi ratione comprehenderint. Nec immerito *b*) iſtos deſcribit, qui ſtudeant omnium rerum diuinarum atque humanarum vim, naturam, cauſſasque noſſe, et omnem bene viuendi rationem tenere et perſequi, philoſophorum nomine appellari. Ecquid philoſophia Latinis eſt aliud quam ſapientiae amor? qua nihil eſt optabilius, nihil praeſtantius, nihil melius homini, nihil homine dignius. Siue enim aliquis delectationem quaerat animi, ſiue curarum requiem, ſiue ad bene beateque viuendum virtutis atque conſtantiae rationem, aut haec ars eſt, aut omnino nulla, per quam illas conſequatur. Hinc M. TVLLIVS: *c*) *vitiorum peccatorumque noſtrorum omnis a philoſophia petenda correctio eſt - - O vitae philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti. Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitae conuocaſti. Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum et vocum communione iunxiſti. Tu inventrix legum: tu magiſtra morum et diſciplinae fuiſti*, cetera. Idemque philoſophos virtutis magiſtros vocat. *d*)

§. II.

Ex ea philoſophiae deſcriptione facile quilibet intelligere poteſt, nihil rerum omnium antiquius fuiſſe. Et ipſum Adamum, et qui eum proxime ſequebantur cauſſarum inventores, agri cultores, ciuitatum ſtructores, omnes vitae ac morum emendatores, philoſophos fuiſſe oportet: quamuis nomen

b) L. c. cap. 49. de officiis l. 2. c. 2. *c*) Tuſcul. quaeſt. l. 5. c. 2. confer, eiusdem de legibus lib. 1, cap. 22. *d*) Tuſcul. quaeſt. l. 4. c. 33.

nomen paullo recentius esse confiteamur. Ipsam quidem sapientiam mortalibus ab orbe condito Ens summe perfectum atque sapiens cum ratione sana suaque imagine concessit: qui rerum diuinarum et humanarum, tum initiorum caussarumque, tum cuiusque rei cognitione, pulcherrimum hoc nomen assequebantur. *Itaque et illos septem*, inquit TVLLIVS *e) qui a Graecis σοφοὶ, sapientes a nostris et habebantur, et nominabantur, et multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc vrbem* (Romam) *conditam traditur: etiam heroicis aetatibus Vlissem et Nestorem accepimus et fuisse, et habitos esse sapientes. Nec vero Atlas sustinere coelum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus cum vxore, genero, filia traderetur, nisi coelestium diuina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset.* et quae sequuntur. Sapientes dicebantur vsque ad Pythagorae in Italia literarum statoris aetatem, qui artem se quidem scire nullam, sed esse *philosophum*, profitebatur: quod nomen deinceps quotquot sapientiae fuerunt studiosi retinere maluerunt. *f)* Quoniam autem proprium philosophi est, rerum inquirere veritatem: *philosophia* aliquando etiam pro disquisitione sumitur, et *philosophari* pro disquirere et inuestigare, vt apud CICERONEM: *g) quanquam quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magnopere indigere philosophia videamus.* Apud CICER. *h)* SENECAM, *i)* atque GELLIVM *k)* in plurali *philosophiae* sophismata vel disputationes ancipites dicuntur. De quorum patronis et philosophiae affectatoribus per ludibrium PLAVTVS. *l)*

Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,

Oo 2 *Qui*

e) Tuscul. quaest. l. 5. c. 3. *f)* CICERO l. c. *g)* Tusc. quaest. l. 2. c. 36. *h)* De oratore l. 3. c. 27. *i)* Epist. 48. *k)* Noct. Attic. l. 4. c. 1, l. 5. c. 3. *l)* Curcul. A. 2. S. 3. v. 9. conf. GELLIVS l. 9. c. 2.

Qui incedunt suffarcinati cum libris cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapete,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis,
Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio,
Vbi quid surripuere operto capitulo calidum bibunt:
Tristes atque ebrioli incedunt. - -

Et hi forsan temporibus Caesaris Octauiani Augusti fuerunt, quos vel animi gratia frequentissime ad conuiuia prouocabat, quosque alieno nomine TRANQVILLVS *m)* *aretalogos* vocat. Sed ad verae philosophiae cultores reuertamur.

§. III.

Sapientiae studium vetus id quidem in Italia, sed tamen ante Laelii atque Scipionis aetatem, CICERO *n)* reperire non potuit, quos appellaret nominatim. Et quos recenset, ne tanti quidem sunt, vt orationem nostram remorentur. Plerique fuerunt Graeci inde iam a temporibus Pythagorae, qui docuit in ea Italiae parte, quae magna Graecia dicta est. Istius schola non vltra nouem aut decem generationes mansit, ab Olympiade L. vsque ad Alexandri et Aristotelis aeuum. *o)* Post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, cum aliquot seculis in Italia Siciliaque viguissent, P. NIGIDIVS FIGVLVS fuit, *p)* qui illam renouaret: vir cum ceteris artibus egregie ornatus, tum acer inuestigator, et diligens earum rerum, quae a natura inuolutae videntur. *q)* Vnde non solum GELLIO, *r)* verum etiam CICERONI *s)* est vnus omnium doctissimus, et sanctissimus, et amicissimus

m) August. c. 74. fin. conf. CASAVBONVS ad h. l. *n)* Tuscul. quaest. l. 4. c. 3. *o)* ALSTEDII chronol. p. 457. *p)* De quo differt huius part. 1. c. 5. §. 10. *q)* CICERO de vniuersitate ab exord. *r)* Noct. Attic. l 4. c. 9. *s)* Famil. l. 4. epist. 13.

ſimus: ad quem cum ſcribenda eſſet conſolatoria, ea facultas, inquit, in te ſumma eſt, ſi vnquam in vllo fuit. *Itaque eam partem, quae ab exquiſita quadam ratione et doctrina proficiſcitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid ſit forti et ſapienti homine dignum, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid ſtudia, quid artes, quibus a pueritia floruiſti, a te flagitent, tu videbis.* Ille ſcilicet Nigidius cum eſſet ſingulari doctrina, dignitate atque gratia inter Romanos, ac Pompeianas partes ſequeretur: caeſo Pompeio, et oppreſſa republica, ipſe coactus a Caeſare exulabat, ac vehementer, non tam de ſua, quam reip. calamitate angebatur. Quam ob rem Tullius eum conſolatur, ſuamque apud Caeſarem promittit operam et auxilium, vt quamprimum reſtituatur.

§. IV.

Anno quidem ab V. C. ɔɔxCIII. de philoſophis aeque ac rhetoribus opprimendis ac ciuitate pellendis Senatus factum eſt conſultum, quod annis etiam ſeptuaginta poſt ad exequendum denuo propoſitum fuit. *t*) Iſtos vero oportet ſophiſtas ac falſos philoſophos, aut brutum fulmen fuiſſe. Inprimis enim circa ea tempora et breui poſt Romae ſtudium ſapientiae, vt omnium bonarum artium floruit, adeo vt excellentiſſimi quique et imperatores rebus iam praeclare geſtis incluti philoſophorum ſcholas frequentes adirent: *v*) ac omnes eloquentiae vel literarum amantiſſimi cum exercitationibus ſuis perpetuo philoſophiam coniungerent. *x*)

 §. V.

t) SVETONIVS de claris rhetoribus c. 1. A GELLIVS l. 15. c. 11 confer. diſſertatio noſtra de adoleſcentia LL. cap. 4. §. 5. *v*) Confer. huius diſſertationis pars prior c. 2. §. 9. poſterior. c. 2. §. 2. 3. 9. 11. *x*) Huius diſſert. p. 1. c. 1. §. 18.

§. V.

Philoſophiae ergo ſtudioſi fuerunt, quotquot hoc tempore ſcriptis in quocunque ſtudiorum genere nominis immortalitatem promeruere. CICERO, vt de ſemetipſo teſtatur, y) in primis huic ſcientiae multum adoleſcens dicendi cauſſa temporis tribuit. Poſtea quam honoribus inſeruire coepit, ſeque totum reip. tradidit: tantum erat philoſophiae loci, quantum ſuperfuerat amicorum et reip. temporis: quod omne conſumebatur legendo, ſcribendi otium non erat. Deinde ſtatu reip. mutato, et libertate oppreſſa, vt ſolatium haberet, ſe retulit ad mitiora haec ſtudia, et corpus philoſophiae deſcriptum reliquit, de quo ſupra non nihil potuimus notare, vbi verba nobis de ſummo oratore facienda erant. Ante eum poetae quidem plurimi res philoſophicas pertractarunt: atque hos inter Lucretius z) ſex libris de rerum natura ſcripſit, ac multa, Latinis adhuc incognita, in linguam vernaculam tranſtulit. Sed tamen ipſo etiam Ciceronis tempore, omnis philoſophiae honos apud Graecos fuerat. Quamobrem ille ipſe, qui dudum eloquentiae palmam iſtis eripuerat, non modo viribus eo incubuit omnibus, vt hanc quoque diſciplinam ſua lingua magis illuſtraret, atque Romanis quam familiariſſimam redderet: verum etiam hortatus eſt omnes, qui facere id potuerunt, vt veram philoſophiae laudem iam tum languenti Graeciae eripiant, atque perferant Romam. *Philoſophia naſcatur*, inquit, a) *Latinis literis ex his temporibus, eamque nos adiuuemus, nosque ipſos refelli, redarguique patiamur, quod hi ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam deſtinatisque ſententiis quaſi addicti et conſe-*

y) Officior. l. 2. cap. 1. Tuſcul. quaeſt. l. 5. c. 2. z) Vid. diſſert. de adoleſcentia Latinae linguae c. 3. §. 42. a) CICERO Tuſc. quaeſt. l. 2. c. 2.

consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quae non probare soleant, ea cogantur constantiae caussa defendere. Ipse primus philosophiam antiquam in forum deduxit, atque communem fecit caussam cum M. Catone, ad quem *b*) *extremum illud est*, scribit, *vt philosophiam ad te allegem, qua nec mihi charior vlla res vnquam in vita fuit, nec hominum generi maius a Diis munus vllum est datum. Haec igitur, quae mihi tecum communis est societas studiorum atque artium nostrarum, quibus a pueritia dediti ac deuincti, soli propemodum nos philosophiam illam veram et antiquam, quae quibusdam otii esse ac desidiae videtur, in forum atque in remp. atque in ipsam aciem pene deduximus, tecum agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto.* Et eo vsque Tullius Latinis literis mandauit, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractarunt: vt ille ipse labor in varias reprehensiones incurreret. *c*)

§. VI.

M. VITRVVIVS POLLIO quibusdam, nullo, quod sciam, argumento, Romanus esse dicitur, aliis Veronensis, quod Veronae in veteris structurae arcu legitur:

L. VITRVVIVS L. L. CERDO ARCHITECTVS.

Vnde etiam Iureconsultorum solertissimus ANDREAS ALCIATVS auctorem nostrum *L. Vitruuium Pellionem* vocare maluit, quod *pellio* et *cerdo* idem significaret. Ipsi vero iam tum suo tempore a PHILANDRO demonstratum fuit, in omnibus exemplaribus, praeter vnum recens scriptum *d*) *M.* non *L.* et *Pollionem* in omnibus, non *Pellionem* legi; neque *cerdonem* esse

b) Ad famil. l. 15. epist. 4. *c*) CICERO de finibus l. 1. c. 1. Tuscul. quaest. l. 2. c. 1. *d*) Lucius Vitruuius appellatur etiam in Florentina editione 1496.

esse continuo, quod *pellionem*; neque architecto rei quicquam esse cum pellibus; saltem hominis non studii esse indicem, vnde *cerdonis* non pellionis appellationem restituendam fuisse. Vulgatam ergo nos cum Philandro codicum scriptionem retinentes, nostrum ab isto Veronensi Cerdone diuersum fuisse arbitramur. Hoc constat solicita parentum cura liberalibus disciplinis ab ineunte aetate institutum fuisse, ac encyclopaediam absoluisse: quod de semetipso testatur: *e*) *omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis, Atheniensium non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudissent. Omnia enim munera fortunae cum dantur, ab ea facillime adimuntur; disciplinae vero coniunctae cum animis, nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae. Itaque ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes me arte erudiendum curauerunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteratura, encyclioque doctrinarum omnium disciplina. Cum ergo et parentum cura, et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus commentariorumque scripturis me delectans, eas possessiones animo paraui, e quibus haec est fructuum summa, nullam plus habendi necessitatem, eamque esse proprietatem diuitiarum maxime, nihil desiderare.* Hoc literatis facile potuit obuenire seculo, quod istis datum erat, omnium felicissimo: cum artes et scientiae ad honores, ad divitias, ad summam voluptatem mortalibus essent, atque fortes viri non solum ipsi literis darent operam, verum etiam doctores amarent, fouerent, ac beneficiis propemodum totos obruerent. Nunc proh dolor! tristia videmus eruditorum fata, bonaeque mentis soror paupertas manet. Vitruuius Iulio

e) Libri 6. prooemio.

Iulio Caesari fuit charus, *f)* atque nullam, sub illa tanti herois gratia, vitae molestiam sentire potuit. Post obitum Caesaris, aetate iam ingrauescente, aut affecta potius, ab Octauia fratri Augusto commendatus, apparitioni balistarum, scorpionum, ceterorumque tormentorum, cum M. Aurelio, P. Minidio *g)* et Cn. Cornelio praefectus est, annuo ipsi reditu satis liberali, quoad viueret, constituto. Et ipse innuit tantum Principis fauorem literis, non formae gratia, cum statura esset humili, promeruisse. Eius verba adscribam: *h)* ***Dinocrates a facie dignitateque corporis commendatus, ad eam nobilitatem peruenit. Mihi autem, Imperator, staturam non tribuit natura, faciem deformauit aetas, valetudo detraxit vires. Itaque quoniam ab iis praesidiis sum desertus, per auxilia scientiae, scriptaque, vt spero, perueniam ad commendationem.*** Augusti munificentia excitatus omnem aedificandi rationem decem libris consignauit, quos Imperatori et eruditorum summo fautori statorique literarum inscripsit. Ille contra huius architecti sui opera, in exstruendis Reip. ornamentis, inter ceteros vtebatur. In arcus triumphalis post victoriam Augusti de Dalmatis Carnunte exstructi dextrae basis angulari lapide litera M. conspicitur, quam LAMBECIVS

f) Praefat. lib. I. ad Augustum scribit: ***ideo quod primum parenti tuo de eo fueram notus, et eius virtutis studiosus: cum autem concilium coelestium in sedibus immortalitatis eum dedicauisset, et imperium parentis in tuam potestatem transtulisset: idem studium meum in eius memoria permanens, in te contulit fauorem.*** Lib. 8. c. 4. ***C. Iulius Masinissae filius, cuius erant totius oppidi agrorum possessiones, cum patre Caesare militauit. Is hospitio meo est vsus: ita quotidiano conuictu necesse fuerat de philologia disputare*** etc. *g)* Quem alii Vitruuiani codices *Numidicum* vocant. Vid. praefat. lib. I. *h)* Praefat. lib. 2.

 i) Com-

eivs *i*) architecti M. Vitruuii nomen denotare putabat. Epitaphium M. Vitruuii dicitur ab Alphonso, Rege Hispaniarum sapientissimo, inspectum esse prope Formium, ad quem locum ille laetus accurrerat, quod Ciceronis sepulchrum ibi exstare audiisset. *k*)

§. VII.

Extant Vitruuii *de architectura* ad Caesarem Octauianum Augustum libri decem, quos aetate iam prouectus tenui auena conscripsit, seculo omnium elegantissimo, quo ea disciplina quam maxime exculta fuit, quod et reliquiae templorum, aedificiorum, pontium, arcuum, sepulchrorumque testantur, a quibus nec immerito hodie praecepta deducuntur. Septem prioribus libris de structura publicarum atque priuatarum aedium, octauo de aquaeductibus, nono de gnomoniae, decimo de mechaniae agit. Neque vlterius quicquam addidit: ita enim operi imposuit finem: *quas potui de machinis expedire rationes pacis belliquo temporibus, et vtilissimas putaui, in hoc volumine perfeci. In prioribus vero nouem, de singulis generibus et partibus comparaui, vt totum corpus omnia architecturae membra in decem voluminibus haberet explicata.* Formae, quas ipse testatur subinde ad librorum calcem subiecisse, cum magna lectorum iactura interciderunt. Illarum tamen nonnullas ex ingenio suo Philander et alii commentatores restituere voluerunt.

§. VIII.

i) Comment. l. 2. p. 1000. vid. etiam FABRICII bibl. Lat. l. 1. c. 17. p. m. 288. *k*) Vid. ANTON. PANORMITANVS de dictis et factis Alphonsi p. 47. FABRICIVS bibl. Latin. l. 1. c. 17. p. 288.

§. VIII.

Scripsit Vitruuius quidem Iulii Caesaris et Augusti temporibus, sed non ea linguae castitate, qua reliqui huius aetatis, omnium felicissimae, classici auctores: adeo vt ex ipso stilo, *l*) quem cuilibet aeuo potius, quam Augusteo, dederis, et post doctissimorum quorumque curas obscurum esse atque difficilem deprehendere facili negotio potueris; sapientia magis Graeca et manus opificis, quam scriptoris ingenium appareat. Oppido multa vel aliunde hausit, vel ex infima plebe sibi tribuit. Enimuero peregrinitatem vel imperare vel excusare videtur nouitas argumenti: cum pene omnia ipsi ex fontibus Graecis haurienda fuerunt. Neque ipsi plebitas vitio esse potest, quod architectus necessario plebeiorum opificum manibus et lingua vtitur: qui saepe numero magis proprie de rebus, opere quotidiano sibi cognitis, quam in scholis philologi loquuntur. At in compositione et flexu verborum Graeco-Latinorum, quae ad mechanica spectant, leges grammaticas non adeo religiose obseruat. Quod ipse etiam ingenue fatetur: *m*) *cum ergo*, inquit, *talia ingenia a naturali solertia, non passim cunctis gentibus, sed paucis viris habere concedatur: officium vero architecti omnibus eruditionibus debeat esse exercitatum, et*

Pp 2 *ratio*

l) De stilo Vitruuii vid. CASP. BARTHIVS aduers. l. 1. c. 10. SCIOPPIO dicitur *orationem peregrinitate et plebitate infuscare*; et G. I. VOSSIO de vitiis serm. *scriptor suae licet artis, architecturae videlicet, intelligentissimus, multa e vulgo hausisse, quae elegantiores omnes refugerunt.* CELLARIO cur. post. prolegom. p. 16. est *architecturae* quidem *scriptor accuratissimus, sed quod ad Latinitatem pertinet, suos idiotismos habens.* Ipsi tamen aliquo modo patrocinatur OLAVS BORRICHIVS cogitationibus de variis Latinae linguae aetatibus p. 5. *m*) Lib. 1. c. 1. circa fin.

ratio propter amplitudinem rei permittat, non iuxta necessitatem summas, sed etiam mediocres scientias habere disciplinarum, peto, Caesar, et a te, et ab his, qui mea volumina sunt lecturi, vt si quid parum ad artis grammaticae regulam fuerit explicatum, ignoscatur. Namque non vti summus philosophus, nec Rhetor disertus, nec grammaticus summis rationibus artis exercitatus, sed vt architectus, his literis imbutus, haec nisus sum scribere. De artis vero potestate, quaeque insunt in ea ratiocinationes, polliceor, vt spero, his voluminibus, non modo aedificantibus, sed etiam omnibus sapientibus, cum maxima auctoritate, me sine dubio praestaturum. Inter alios Vitruuii notant idiotismos sequentes: *nullibi, n)* quod CELLARII *o)* iudicio, Vitruuius solus dixit, in cuius idiotismis, quorum multi sint, donec alia auctoritas veteris scriptoris accesserit, relinquendum esse censet. *Faciliter* pro *facile* habet passim, *p)* quod CELLARIVS pari modo *q)* pro idiotismo Vitruuiano habet. QVINTILIANVS *r)* hanc quidem aduerbii formam non laudat, sed permittit. Attamen ipse TVLLIVS *s)* et COLVMELLA *t)* non dubitarunt vsurpare *difficiliter* aduerbium, quod ab isto notam omnibus originem trahit. *Aëres* in plurali numero dixit. *v)* *Responsus* pro conuenientia, *x)* quod non modo in digestis Iureconsultorum,

n) lib. 7. c. 1. *nullibi exstantes.* *o)* Cur. post. c. 5. p. 183. *p)* Lib. 1. c. 1. *Itaque faciliter contra eas disciplinas disputare possunt.* Sic l. 2. c. 1. alibi. *q)* l. c. p. 178. *r)* Instit. orat. l. 1. c. 6. *s)* Acad. quaest. l. 4. c. 16. *t)* l. 5 c. 3. ineunte. *v)* l. 1. c. 1. *aëres locorum, qui sunt salutares, aut pestilentes.* confer. LVCRET. l. 4. v. 291. *x)* l. 1. c. 2. *omnium linearum responsus.* et l. 3. c. 1. *conuenientissimum habere commensuum responsum.*

torum, *y*) verum etiam apud MANILIVM *z*) reperies. *Commensus* die Gleichförmigkeit est apud Vitruuium, *a*) quo *συμμετρίας* vocem graecam reddidit. *Magnificenter* pro magnifice idem dixit. *b*) *Consonantissime*. *c*) *Deformatio* ein Abriß. *d*) *Officinator* i. e. faber *e*) quem ab architecto distinguit. *Cardinalis*, *e*) quod ad cardinem pertinet, soli ex hac aetate Vitruuio tribuitur: *f*) vt et *rotunditas* pro forma rotunda, *g*) nomen Plinio et aliis post ea tempora commune. Idiotismus vero omnium pessimus, vel, si mauis, barbarismus apud Vitruuium est *calefaciuntur h*) pro calefiunt. *Scamillus i*) diminutiuum a scamno: quamuis quid ibi sint scamilli, inter omnes non conueniat. De ea voce BERNALDINVS BALDVS integrum librum composuit, editioni Vitruuii Elzeuirianae 1649. fol. impressae adiunctum. Neque memini, id vocis ab alio saltem hac Latinae linguae aetate vsurpatum fuisse. Cetera non curamus nunc, alioqui ex aliis nominibus infinitis, quae singularia vel a se facta habet, cernere omnes possent, Vitruuium nostrum in arte architectonica describenda occupatum, suam fecisse libertatem Stoicorum, quos CICERO *k*) architectos verborum vocat.

§. IX.

RAPHAEL VOLATERRANVS *l*) refert, librum Vitruuii de hexagonis, heptagonis et id genus anno MCCCCXCIV. inuentum

y) l. 1. §. 7. Digest. de oblig. et Act. *z*) l. 3. v. 71. *a*) l. 1. c. 3. l. 3. c. 1. l. 6 prooemio extremo. *b*) l. 6. c. 11. l. 1. c. 6. *c*) l. 6. c. 1. *d*) l. 3. praefat. l. 4. c. 8. *e*) l. 6. c. 11. *f*) Ille l. 4. c. 6. *fores ita compingantur, vti scapi cardinales sunt* etc. *g*) Ex l. 9. c. 4. et l. 10. c. 14. *h*) l. 4. c. 7. *i*) l. 3. c. 3. et l. 5. c. 9. *k*) Bruti cap. 31. *l*) Geogr. l. 4.

tum esse in coenobio quodam ad Bobium oppidum. Quae exstant primum prodierunt *Florentiae* 1496. folio. inscripta hoc modo: L. Vitruuius Pollio de architectura; de priscorum hominum vita, et de initiis humanitatis atque tectorum et incrementis eorum; de principiis rerum secundum philosophorum opiniones; de lateribus; de arena; de calce; de puluere Puteolano; fons Salmacis; de abiete Supernate et Infernate cum Apenini descriptione; de sacrarum aedium dispositione et symmetriis, et corporis humani mensura; de publicorum locorum dispositione; de priuatorum aedificiorum vtilitatibus; de Graecorum aedificiis; de marmore et quomodo ex eo fit argentum viuum, et de auro argentoque vestium veterum recuperando; de minii temperatura; de chrysocolla et atramento; de cerulei coloris temperationibus; de cercussa et sandaraca; de ostro; de aquae inuentione; de aqua Hymbrium; de aquis calidis et earum virtutibus, quas trahunt a diuersis metallis; de aquarum experimentis; de perductionibus aquarum et tribus ductuum generibus; de gnomonicis rebus et rationibus horologiorum; de scriptorum veneratione; Platonis inuentum de agro metiendo; quomodo portio argenti auro mista in integro opere deprehendi discernique possit; de gnomonicis rationibus ex radiis solis per vmbram inuentis, et mundo atque planetis; de solis cursu per XII. signa; de sideribus ad dextram Zodiaci; de sideribus ad laeuam Zodiaci; de horologiorum ratione, vsu et inuentione; de machinis, de rotis et tympanis ad molendum farinam; de cocleae ratione; de ethesibina machina; de hydraulicis; qua ratione rheda vel naui vecti peractum iter demetiamur; de scorpionum balistarumque rationibus; de oppugnatoriis rebus quemadmodum machinationibus et duces

ces et vectores et ciuitates defensae esse possint; et primum de arietis inuentione eiusque machina; de testudine ad congestionem fossarum paranda; de aliis generibus testudinum. Hanc vero capitum distributionem, quam editiones aliae sequuntur, in multis locis ineptissimam esse, ac Vitruuium oratione perpetua libros suos conscripsisse, Guilielmus Philander probe notauit.

§. X.

Seculo proxime sequenti Iohannes Iocundus Vitruuii libros, a se castigatos, edidit *Venetiis* 1511. fol. cum figuris. 1567. fol. cum Dan. Barbari commentariis. Prostant etiam *Florentiae* 1513. et 1522. 8. apud Iuntas. *Romae* 1544. apud Ioh. Andr. Dossenam cum Guil. Philandri Castilionei emendationibus atque notis praestantissimis. *Parisiis* 1545. cum notis Philandri. *Lugduni* 1552. et 1586. 4. apud Turnaes, cum auctioribus Philandri commentariis, et Vitruuii vita. *Argentorati* 1543. 4. cum Frontino de aquaeductibus vrbis Romae, et Nic. Cusani de staticis experimentis fragmento. 1550. 4. cum commentariis Guil. Philandri, et Frontino de aquaeductibus Rom.

§. XI.

M. Vitruuii Pollionis de architectura libri decem seculo recentiori prodierunt *Lugduni Batauorum* 1649. fol. cum notis castigationibus et obseruationibus Guilielmi Philandri integris, Danielis Barbari excerptis, et Claudii Salmasii passim insertis. Praemittuntur elementa architecturae collecta ab illustri viro Henrico Wottono, equite Anglo. Accedunt lexicon Vitruuianum m) Bernardini Baldi Vrbinatis Guastellae Abbatis;

m) De lexico hoc Vitruuiano vid. MORHOF. polyhist. lit. l. 4. c. 11. §. 17. p. m. 872.

Abbatis; et eiusdem ſcamilli impares Vitruuiani. De pictura libri tres abſolutiſsimi Leonis Baptiſtae de Albertis. De ſculptura excerpta maxime animaduertenda ex dialogo Pomponii Gaurici Neapolit. Ludouici Demontioſii commentarius de ſculptura et pictura cum variis indicibus copioſiſſimis. Omnia in vnum collecta, digeſta et illuſtrata a Ioanne De Laet Antwerpiano.

§. XII.

Si BARTHIO *n*) vel, qui eum refert, MORHOFIO *o*) fides, ad Latinitatis aetatem virilem, quam vulgo auream vocant, etiam pertinet AETHICVS, Iſter, cuius coſmographia cum Antonini itinerario ſemper excudi ſolet. Iſtius enim ſtilum adeo genus ſcribendi Vitruuianum exprimere aiunt, vt nihil ſimilius viderint. Cenſet adeoque BARTHIVS *p*) Aethicum fuiſſe mechanicum quendam, Iulii Caeſaris aetate, qui primum forte coſmographiam literis conceperit; ſed valde interpolatum eſſe a Chriſtianis circa Theodoſii M. tempora. Quamobrem G. I. VOSSIVS *q*) qui Barthium non aſſequitur, cum Simlero atque aliis, Aethici aetatem ad ea Theodoſii tempora reiicit. I. A. FABRICIVS *r*) etiam ex vulgari opinione eum ſcriptorem exiſtimat eſſe Chriſtianum, qui poſt Conſtantini M. tempora vixerit. Ipſe operis praefatione teſtatur, Caeſarem iuſſiſſe omnem Romani nominis orbem per viros peritos admetiri, eamque coſmographicam deſcriptionem in literas referri; argumentum vero et ordinem in coſmographia ſua eſſe eundem, quem menſores orbis ſub Iulio Caeſare et M. Antonio, atque ſub Imp. Auguſto Zenodoxus in

n) Aduerſ. l. 45. c. 13. et 18. *o*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 11. §. 18. *p*) l. c. *q*) De hiſtoricis Latinis lib. 3. pag. 692. *r*) Biblioth. Lat. l. 1. c. 10. §. 10. p. 175. et l. 2. c. 8. p. 348.

in oriente, Theodotus ad ſeptentriones, Polyclitus ad meridiem obſeruarint. In quibuſdam vetuſtis codicibus illa coſmographia tribuitur Iulio Honorio oratori, ſub cuius nomine etiam a CASSIODORO *s*) laudatur. Illi vero prorſus inſaniunt, qui vel ex hoc capite non dubitant coſmographiam Iulio Caeſari adſcribere. Neque dicendum eſt, Antonini itinerarum, quod Barthius affirmat, ab eodem Aethico conſignatum eſſe: licet in ſuo ſe codice *Antonini Aethici* nomen reperiſſe teſtatus ſit. NICOL. BERGIERIVS *t*) opinatur, eam orbis deſcriptionem factam atque ſcripto ſignatam eſſe ſub Caeſaris iam et Auguſti principatu, ſed auctam deinde ſub Antoninis, denique ab Aethico recenſitam, et pro ſui ingenii ac temporum modo auctam, ſuoque ſtilo et tempori aptatam. Quidni diceremus Iulii Caeſaris aetate iam Aethicum ſcripſiſſe coſmographiam, ex ingenio hominum Chriſtianorum poſtea mutatam atque varie inquinatam? Quomodocunque res ſeſe habeat, nunc Aethici gemina exſtat orbis deſcriptio, quarum quidem quae poſterior eſt, integra fere apud OROSIVM *v*) legitur: ſiue Aethico ea ſit aſſuta ab aliquo; ſiue Oroſius eam ex Aethico deſcripſerit.

§. XIII.

Prodiit Aethici coſmographia *Venetiis* 1513. 8. apud Aldum, vna cum Antonini itinerario. *Baſileae* 1575. 12. cum ſcholiis Ioſiae Simleri, addito itinerario prouinciarum ſub nomine Antonini Auguſti, Rutilii itinerario, Vibio Sequeſtre de fluminibus et libello prouinciarum ac metropoleon Galliae, e bibliotheca P. Pithoei. *Pariſiis* 1577. 4. cum Pomp. Mela apud Henr. Stephanum. 1625. 12. *Lugduni Batau.* 1646. 12. 1685. et 1696. 8. cum Pomp. Mela Iacobi Gronouii etc.

CAPVT

s) De diuinis lectionibus cap. 25. *t*) De publicis et militaribus Romanorum viis l. 3. c. 6. *v*) Hiſt. l. 1. c. 2.

CAPVT VII.
De ſtilo eiusque diuerſitate.

§. I.

STilus quid proprie denonet. 2. Per translationem vocatur orationis cuiusque forma. 3. Vnde character. 4. Maxima ſtili et orationis diuerſitas. 5. Veteres tria habuerunt genera dicendi. 6. Quamuis alii plura enumerare velint. 7. De ſtilo Aſiatico, Rhodio et Attico. 8. De ſtilo ſublimi. 9. Ad ſublimitatem requiruntur res ſublimes. 10. Auditorum praeparatio. 11. Sublime ingenium. 12. Inſigne iudicium. 13. Verba grandia. 14. Compoſitio magnifica. 15. Maxima in ſtilo ſublimi difficultas. 16. De meteoris ſeu vitioſa ſublimitate. 17. De ſtilo tenui. 18. Eius obiecto. 19. Verbis. 20. Compoſitione. 21. De ſtilo ieiuno et arido. 22. De ſtilo mediocri. 23. Fluctuante et incerto. 24. Oratorio. 25. Poetico. 26. Hiſtorico. 27. Familiari. 28. Philoſophico.

§. I.

Reſtat vt paucis, ad conficiendam Latinae linguae hiſtoriam, de ſtilo eiuſque formis et characteribus, tum cognita orationis diuerſitate, non nihil de virtutibus atque vitiis ſermonis Latini et huius aeui perfectione agamus. *Stilus* proprie columnam, *a*) et quoduis inſtrumentum oblongum et altera

a) Ita EVRIPIDES in Iphigenia: ϛύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. *Filii mares columnae ſunt familiae.* Hinc eius in architectonicis compoſita ϛυλοβάτης *columnae fundamentum*, δεκάϛυλος *decem columnas habens*, διάϛυλος *locus columnis deductioribus*, εὔϛυλος *concinne columnatus*. et multa alia.

tera parte acuminatum significat; id siue ligneum, siue ferreum, siue alius materiae sit, in quandam coni aut cuspidis similitudinem efformatum. Cuiusmodi olim fuisse belli et munitionis instrumenta, haud ab re coniicere licet: de quibus HIRTIVS: *b) tum egregiae munitiones castrorum et valli fossarumque altitudo, et extra vallum stili caeci mirabilem in modum consiti.* Tum etiam stilus significat graphium, seu ferrum istud, quo veteres in scribendo vsos fuisse constat: quum literas in saxis, lignis, aere, plumbo, in pugillaribus praesertim illis cera oblitis pingere consueuerunt. Vnde PLAVTVS: *c) effer cito stilum, ceram, tabellas etc.* Scribendi hoc ferreum instrumentum fuit altera parte acutum, altera planum, vt illa formentur, hac deleantur literae: quod SYMPOSIVS *d)* egregie descripsit:

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor vtrinque manu, diuerso et munere fungor;
Altera pars reuocat, quicquid pars altera fecit.

Vnde Latinis *vertere stilum* est pro delere, et mutare quod scriptum fuerat. Sic vbi HORATIVS *e)* saluberrimum dedit praeceptum de cura in scriptis habenda prius, quam euulgentur,

Saepe, inquit, *stilum vertas, iterum, quae digna legi sint,*
Scripturus - - -

Neque hinc mirum videri cuidam potest, eiusmodi graphiis subacutis et ferreis aliquando homines lethaliter fuisse confossos.

b) Belli African. cap. 31. Confer. CAESAR B. G. l. 7. c. 73. vbi pluribus id genus munitionis describit. *c)* Bacch. A. 4. S. 4. v. 63. 64. *d)* Aenigm. 1. *e)* Serm. l. 1. Sat. 10. *f)* Vid. SVETON. Caligul. c. 28. SENECA 4. nat. quaest. *digitum suum bene acuto graphio pungebat.*

§. II.

Inproprie et transnominatione quadam, ex instrumento ipso dicendi vel scribendi modus vocatur *stilus*: et est orationis forma, qua nostrae mentis cogitata studemus proponere et accommodare ad aliorum optimae notae scriptorum imaginem: vt, si potest fieri, eadem dicendi laude ac sermonis dignitate florere queamus. Eo sensu TERENTIVS *g*) de fabula sua, *dissimili*, inquit, *oratione sunt factae ac stilo*. Et eleganter CAECINA ad Ciceronem *h*) scribit, se adhuc stili poenas dare, i. e. ob dictionem acerbiorem reprehendi. CICERO: *i*) *vrge igitur, ne transuersum vnguem, quod aiunt, a stilo: is enim est dicendi opifex*. Alibi: *k*) sub acumen stili subeant ac succedant necesse est. PLINIVS: *l*) *onerabit hec modestiam nostram, etiamsi stilus ipse fuerit pressus demissusque*. Alibi: *m*) *quid vtilius fuit, quam munificentiae rationem etiam stilo prosequi*. Imo stilus ponitur pro ipso orationis vsu ac scribendi exercitio. Qua ratione CICERO *n*) stilum vocat optimum et praestantissimum dicendi effectorem ac magistrum. *o*) Idem: *p*) *In summa vbertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est*. Etiam hanc inter orationem atque stilum AELIVS DONATVS *q*) differentiam posuit: *oratio in sensu est: stilus in verbis. Oratio ad res refertur: stilus ad verba. Stilus non est in tempore, sed prolata oratione: oratio est in cogitatione et in prolata*.

§. III.

Si quando stilus efformatur similis illi rei, cuius nota est,

g) Andr. prolog. v. 12. *h*) Ad famil. l. 6. ep. 7. *i*) Ad famil. l. 7. epist. 25. *k*) De oratore l. 1. c. 33. *l*) Lib. 1. epist. 5. *m*) Lib. 1. epist. 8. *n*) De oratore l. 1. c. 33. *o*) Confer. QVINTIL. instit. orat. l. 10. c. 5. *p*) De orat. l. 2. c. 23. *q*) Apud Gothofr. pag 1353.

eſt, vocatur χαρακτὴρ: voce deſumta ab animantibus, cera, vaſis, rebusque aliis, quibus nota ſolet imprimi, inſculpi, vel inuri; vt ex ea poſtmodum dignoſci poſſit. *r)* Eſt enim *character* imago rei et quaedam quaſi pictura: vt orationis habitus ipſis perſonis atque rebus ſua ſubſtantia et qualitate haud abſimilis. Vnde CICERO: *s) dic mihi verum*, inquit, *num aut res eum, aut* χαρακτὴρ *non delectat.* VARRO: *t) nonne item L. Albutius homo, ut ſcitis, apprime doctus, cuius Lucilliano charactere*, i.e. genere ſcribendi ſatyrico, *ſunt libelli, dicebat.* GELLIVS: *v) genera dicendi probabilia ſunt tria, quae Graeci* χαρακτῆρας *vocant.* Eadem et CICERO *x) genera* vocat, ac *formas*, *y)* CORNIFICIVS *z) figuras:* Graeci vocant etiam ἰδέας, vt alia nomina, quibus quidem Rhetores abundant, ad idem deſignandum, ſilentio tranſeam.

§. IV.

Ratione temporis et ſeculi diuerſi, quod ex ſatis variis a nobis tractatibus deſcriptis patet, non vnus eſt Latinae linguae ſtilus et character. Res tota variabilis eſt; et genus dicendi pro viciſſitudine temporum et ingeniorum facultate, ipſo etiam vſu et conſuetudine, aliam atque aliam induit faciem, et habitum ſemper cum elegantia mutare ſolet.

Multa renaſcentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,

r) COLVM. 11. 2. *his etiam diebus maturi agni -- charactere ſignari debent.* PALLAD. de R.R. 2. 16. *hoc menſe - - maturi agni et animalia omnia minora et maiora charactere ſignentur.* *s)* Ad Q. fratr. 2. epiſt. extr. *t)* De R. R. l. 3. c. 2. *v)* Noct. Attic. l. 7. c. 14. *x)* Ad famil. l. 13. epiſt. 15. *y)* In topicis. *z)* Ad Herenn. Rhetor. lib. 4.

Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi. Sed de his alibi prolixius. Hic saltem consideramus Latinae linguae, vt fuit in florente et virili aetate, differentiam ratione formae et materiae. In forma stilus est *sublimis, medius*, et *tenuis:* quibus totidem genera vitiosa opponuntur, *tumidum*, *incertum*, *ieiunum.* Respectu materiae, stilus est *oratorius*, *poeticus*, *historicus*, *familiaris et philosophicus.* Quae materiarum diuersitas ipsam characterum differentiam efficit: neque enim omnis caussa eodem modo pertractari potest; sed alia sublimi, alia mediocri, et alia humili orationis genere, commodius exponitur. Quemadmodum habitus plebeius principem non decet, neque priuatum ornatus regius; rustico non militaris, nec militi conuenit rustica vestis: ita stultum esset, in argumento philosophico, aliisue dogmaticis rebus insistere perpetuis oratorum flosculis, periodorum dimensione, ac sublimiori eloquentia. E contrario indecorum est, in panegyri et concione publica stare mascula et grandi non instructum oratione, ac tenui dictione quasi repere humi. Aliter solent scribere epistolas, aliter poemata; aliter ad principes viros, aliter ad sodales et amicos, quibus vtuntur valde familiariter. Inter caussas diuersitatis numeratur quoque varium dicentis ingenium, cuius facultate alius violenta rapidaque, alius tereti ac scita, alius cohibita et moderata oratione gaudet. Vnde Princeps et pater eloquentiae TVLLIVS: *a*) *naturam*, inquit, *primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam.* Post pauca: *nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui ad*

a) De oratore Lib. 1.

ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint vberes, et ad memoriam firmi atque diurni. Vbi enim phantasia regnat, et exiguus iudicii deprehenditur vsus, plerumque stilus oritur luxurians, et orator dicendi modum excedit. Si quis contra iudicii bonitate pollet, ac memoriam intendit in orationem: stilus prouenit medius et concisus. Sic diuersa hominum temperamenta dictionem variant. Sanguinei genus dicendi profluens, copiosum, elegans, dulce ac iucundum in primis amant. Cholerici, quos vocant, quique seruida bile abundant, sibi magis videntur eligere stilum sublimem, celsum, acrem, qui verborum grauitate et sententiarum acumine totus conficitur, et maiestatis plenus est. Melancholici ad orationem obscuram, impeditam, concisam, seueram, atque humilem inclinant. Illi denique, quibus humor aquosus et pituita molesta est, vt vulgo phlegmatici vocantur, stilo languido, breuiori, inordinato et subobscuro assuescunt. Ideoque sermo animi character dicitur, vel quod Graeci vulgato senario aiunt:

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

hominis figura ex oratione deprehenditur. b)

§. V.

Ad triplex dicendi genus redeo. Dixi constituendas nobis esse stili species, *sublimem*, *mediam* et *tenuem*. Vocantur

b) Pl. confer. WALCHIVS V. C. differt. de stilo Phaedri §. 8. Historia critica L. L. cap. 2. §. 5. Hanc materiam Celeb. HARSCHERVS, nunc Professor Basiliensis, cum Praeceptor meus academiam Marburgensem ornaret, ex professo susceperat pertractare dissertatione *de ingenio et moribus hominum ex stilo indicandis.* Sed primis illius paginis publico datis, nos egregia sua doctrina, simulaque hoc scripto elegantissimo, quod desideramus, orbos reliquit.

cantur aliis *circumducta*, *media*, *concisa*; aliis denique *grandis*, *mediocris*, et *humilis*. CICERO: *c*) *tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt - - Nam et grandiloqui, vt ita dicam, fuerunt, cum ampla et sententiarum grauitate et maiestate verborum, vehemens et varii, copiosi, graues, ad peruertendos et conuertendos animos instructi et parati. Quorum ipsorum alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa: alii leui et instructa et terminata. Et contra tenues, acuti, omnia docentes et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati; in eodemque genere alii callidi, sed impoliti et inconsulto rudium similes et inperitorum. Alii in eadem ieiunitate concinniores, i. e. faceti, florentes etiam et leuiter ornati. Est autem quidam interiectus intermedius et quasi temperatus (character) nec acumine posteriorum, nec flumine vtens superiorum*, etc. *d*) CORNIFICIVS: *e*) *igitur genera figurarum ex ipsis exemplis intelligi poterunt. Erit enim et attenuata verborum constructio quaedam, et item alia in grauitate, alia posita in mediocritate.* Ex his AVSONIVS: *f*)

Trinum dicendi genus est, sublime, modestum, et tenui filo.

Et A. GELLIVS: *g*) *Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci* χαρακτῆρας *vocant, nominaque eis fecerunt apponi* ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον: *nos, quem primum posuimus, liberum vocamus, secundum gracilem, tertium*

c) Orator. cap. 5. et 6. *d*) Confer. QVINTILIANVS instit. orat. l. 12. c. 10. *e*) Rhetor. ad Herenn. l. 4. c. 10. De tribus istis generibus agit a cap. 8. ad 12. *f*) Eidyll. 11. 66. *g*) Noct. Attic. l. 7. c. 14.

tertium mediocrem. Vberi dignitas atque amplitudo est; Gracili venustas et subtilitas; Medius in confinio est vtriusque modi particeps. etc.

§. VI.

Has characterum species alii augent. *Demetrius Phalereus h)* quatuor posuit μεγαλοπρεπῆ, ἰσχνὸν, γλαφυρὸν καὶ δεινόν. Vbi ille quidem stilum mediocrem omittit, alios praeter necessitatem cumulat: nam γλαφυρὸν communem tribus characteribus affectionem, cum ipsis speciebus confundit: atque etiam τὸ δεινὸν grandis dicendi characteris affectionem frustra subiungit. EVSEBIVS *i) quatuor sunt, inquit, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breue, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontino adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.* Sed haec iste nimis etiam confuse memorat, cum species tantum posuerit orationis, quas facile in dicendi genere quouis deprehendere possumus. HERMOGENES *k)* septem orationis formas notauit, quae sunt σαφήνεια *perspicuitas*, μέγεθος *magnitudo*, κάλλος *pulchritudo*, γοργότης *celeritas*, ἦθος *moratum genus*, ἀλήθεια *verax*, δεινότης *aptitudo:* atque illas prolixius totidem tractationis suae capitibus illustrauit. *l)* Attamen si, quae doctissimus ille iuuenis quidem pinguiori minerua scripsit, decenti modo examinare velimus: omnes illae formae

h) περὶ ἑρμηνείας p. 35. *i)* Apud MACROB. saturn. l. 5. c. 1. *k)* περὶ ἰδέων l. 1. c. 2. *l)* Confer. GASPARIS LAVRENTII comment. p. 124. seqq.

formae nihil aliud ſunt, quam trium dicendi generum affectiones: quarum aliae pluribus communes, aliae certi cuiusdam generis propriae ſunt. *m)*

§. VII.

Atqui genus triplex dicendi olim etiam de oratione Graecorum Rhetores expertiſſimi definierunt, ac ſtilum poſuere Aſiaticum, Rhodium et Atticum. FABIVS: *n) mihi autem orationis differentiam feciſſe et dicentium et audientium naturae videntur, quod Attici limati quidem et emuncti nihil inane aut redundans ferebat. Aſiana gens, tumidior alioquin et iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata eſt. Tertium mox, qui haec diuidebant, adiecerunt genus Rhodium, quod velut medium eſſe, atque ex vtroque mixtum volunt* etc. Genus itaque dicendi *Aſiaticum* fuit amplum, copioſum atque tumidum, longas prae ſe ferens periodos. Hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia; ſed parum preſſi et nimis redundantes. *o) Rhodium* inter Aſiaticum et Atticum tenet medium: quamobrem oratores eo genere incluti M. T. CICERONI *p)* dicuntur Aſiaticis ſaniores et Atticorum ſimiliores. *Atticum* fuit paulo presſius et conſpicua breuitate abſolutum: formae iſtius ſpecies vel dialectus eſt Laconiſmus omnium breuisſimus, omni ornatu atque etiam figura omni copiaque deſtitutus. De ſtudiis illorum CICERO *q)* ad Brutum ſcribit: *Graeciae quidem oratorum partus atque fontes vides ad noſtrorum annalium rationem veteres, ad ipſorum ſane recentes. Nam*

m) Vid. SCALIGER de re poetica l. 4. c. 1. VOSSIVS inſtit. orat. l. 6. c. 1. p. m. 353. *n)* Inſtit. orat. l. 12. c. 10. *o)* CICERO de claris oratoribus c. 13. *p)* l. c. *q)* l. c.

Nam antequam delectata eſt Athenienſium ciuitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia et in domeſticis, et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem ſtudium non erat commune Graeciae, ſed proprium Athenarum etc. Lacedemonum - vſque ad hoc tempus audiui fuiſſe neminem. Menelaum ipſum, dulcem illum quidem tradit Homerus, ſed pauca dicentem. Breuitas autem laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in vniuerſa eloquentia laudem non habet. r) Eſt ergo nobis dicendi genus *ſublime* Aſiaticum, *medium* Rhodium, *tenue* Atticum. Laconicum, quod nonnulli tribus memoratis ſpeciebus ſubiungunt, ab nobis conſideratur velut ſtili tenuis vitium, quod vulgo ieiunum vocatur. De ſingulis quaedam nunc ſigillatim monere, putamus operae pretium fore.

§. VIII.

Stilus ſublimis, qui et circumductus, et magnificus, et grandis vocatur, altum ſapit, atque res non vulgares quadam verborum maieſtate, eorundemque conuenienti ſtructura profert quam elegantisſime: ac plurimum longioribus periodis, vel periodicis locutionibus, colis item atque commatibus varie et quadam orationis vi commixtis gaudet: vt ornatus et gratiae cauſſa dicendi amplisſimus aperiatur campus. In hoc genere ſummus artifex et orator incomparabilis Cicero fuit: cuius inter alia ſcripta orationes praeſertim viuum ſtili ſublimioris exemplum s) fingunt. Licet alii velint iſtius genus dicendi Ciceronianum, quod

r) Confer. ERASMVS de copia verb. et rer. l. 1. c. 5. et 6. s) Quod oratores poſt reſtauratam Latinitatem, maximi quique et inter hos Muretus, Perpinianus, Thilo, Palearius, Buchnerus, Cellarius, Graeuius, Octauius Ferrarius, et Facciolatus quam feliciſſime imitati fuerunt.

quod ſublime et copioſum diximus, Rhodium ac inter Aſiaticum Atticumque medium eſſe. Ita CELLARIVS: *t*) *Aſiaticam abundantiam nonnulli ei obiiciunt, ſed fruſtra, quia non tam Aſiaticus eſt dicendi genere, quam Rhodius, quod genus medium eſt inter Atticum et Aſiaticum.* Quomodocunque res ſeſe habeat, maximam prae ſe fert orationis elegantiam et maieſtatem: quod ex ipſa huius ſtili, vtut varie a variis eloquentiae magiſtris accepta, denominatione patet. Apud Graecos enim dicitur etiam μεγαλοπρεπής, quod in eo ſit nihil vulgare aut quotidianum; ſed omnia, vt in diuitum palatiis, magnifica et exquiſita compareant. Dicitur porro ἁδρὸς καὶ λόγως quaſi λόγιο ἄξιος *aeſtimatione dignus.* Ab Ariſtotele nominatur ὄγκος, qua voce orationis amplitudinem ſignificare voluit. Porro σεμνὸς vocatur, quod proprie venerandum et ſublimem innuit. Hermogeni ἀξίωμα, et Dionyſio Longino ὕψος audit. Apud Latinos quoque diuerſis et honorificis denominationibus celebratur: aliis eum vocantibus magniloquum, altiloquumue; aliis magnum altumque et ſummum; aliis validum; aliis generoſum; aliis, quos inter GELLIVS *v*) eſt, plenum et vberem: vbi notandum, vberem dici hunc ſtilum καῖ ἐξοχήν: alias in omni genere dicendi ſuum locum habet vbertas: ea videlicet, quam in Ouidio laudant quoque, praeſertim vbi de arte amandi carmina fundit; cuius tamen ibi genius in charactere verſatur humili. *x*) Ex ea vero ſublimitate cognoſcitur inprimis Oratoris praeſtantia et propria virtus. Quandoquidem *nitidius ille et ſublimis et locuples, circumfluentibus vndique eloquentiae copiis*

t) Differt. Acad. p. 475. *v*) Noct. Attic. l. 7. c. 13. *x*) Vid. VOSSIVS Inſtit. orat. l. 6. c. 2. p. m. 355.

copiis imperat. Definit enim in aduersa niti, qui peruenit in summum. Scandenti circa ima labor est: caeterum quantum processeris, mollitur diues et laetius solum. y)

§. IX.

Istius stili magnificentia consistit in rebus ipsis, et argumento vel sententia, in verbis, et in compositione. Videmus alia vulgo pluris, alia minoris aestimari. Quae magni prætii sunt, interque ea tantum excellentiora, et quae virtute sua magis admirantur, orationibus sublimem grandemque materiam praebent. Viri principes in populo, et Reges magni sunt, quod in dignitate constituti prae ceteris eminent, et omnibus in Rep. praeponuntur. Maiores tamen sunt illi, qui praeclaris, belli tempore, victoriis, pacis tempore, legibus saluberrimis, iustitia, fortitudine, literis, rebus in imperio, et passim optime gestis, inter Reges excellunt. Maximus Rex Regum est, et Dominus dominantium, in cuius manu et potestate sunt vniuersa, cuius singulari beneficentiae vitam, felicitatem, et omnia accepta ferimus: Cuius opera stupenda vix satis cogitatione assequi, oratione vero, etiamsi perfecta esset, eloqui nunquam possumus. Neque tantum bona, sed etiam mala in genere suo admirationem pariunt, et magna sunt. Sic magna clades, magna miseria, magna crudelitas, cetera flagitia, et quae in hominibus iram, indignationem, tristitiam, metum, terrorem, desperationem, et si qui sunt affectus alii, excitare solent. Quamuis etiam illa, de quibus dicit orator, philosophorum iudicio magna non sint; hi enim, in pretio rebus statuendo, nunquam vel raro sentiunt cum vulgo: sufficit ad argumentum sublime communis hominum opinio, et auditorii consensus, quocum agit.

y) QVINTILIANVS instit. orat. l. 12. c. 10. circa fin.

Sunt adeoque in hoc dicendi charactere, quae conueniunt, res ſatis graues, Deus ipſe vt ſummum Numen, et, quam nobis propoſuit in vniuerſo, natura. Sed quantus dicendi campus hic aperitur de virtutibus tanti creatoris noſtri, de rebus omnibus creatis, earundemque effectibus raris et inuſitatis, fulmine, terrae motu etc. Vbi quidem rationes proferendae ſunt, non philoſophicae, quas vocant, ſed quae oratorem decent, ad commouendum excogitatae, quibus quid fiat factumue ſit, vel fieri poſſit, adeo viuide certisque veluti coloribus depingit, vt oculis ſpectanda ſubiici, et coram geri videatur. Pari modo in ciuilibus, ethica, et politica verſatur orator, quando virtutes commendat, vitia disſuadet, et maximo proſequitur odio. Panegyrici dicuntur Viris Principibus. Res geſtae laudantur, natalitia et onomaſtica celebrantur, parentalia ſoluuntur. Et quis omnia magnificae orationis obiecta enarrare poteſt? Argumenta eſſe debent exquiſita, multa rerum experientia et arte amplificata, ſparſis veterum apophtegmatibus et ſententiis grauisſimis: ita quidem, vt non de induſtria orationi aſſutae, ſed vt ſibi nonniſi de argumento cogitanti, quod res ita ferebat, excidiſſe videantur. Tum etiam affectus, qui alias impotentis animi ſigna ſunt, in ea ſublimitate, vt generoſi laudantur, quemadmodum ira Neptuni apud VIRGILIVM z), et eloquentiae parentis a) lacrumae, cum Milonem defenderet, quarum in ipſa oratione veſtigia ſuperſunt. *Me quidem, Iudices, examinant et interimunt hae voces Milonis, quas audio aſſidue, et quibus adſum quotidie. Valeant, inquit, valeant*

z) Aeneid. l. I. v. 130. ſeqq. a) CICERONIS in oratione pro Milone cap. 34. 35. Vid. etiam oratio pro Murena ſub finem, Confer. THILONIS pathologia oratoria cap. 10.

valeant ciues mei: ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet haec vrbs praeclara, mihique patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit - - ego cedam atque abibo etc. *Nec vero haec, Iudices, vt ego nunc flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis.*

§. X.

Sublimis oratio vix locum habet ac ſatis commode adhiberi poteſt, priuſquam auditoribus humiliori dicendi forma, et rationum pondere magis, quam verborum pruritu et magnificentia perſuaſum fuerit, cauſſam, qua de agendum, reuera magnam eſſe, et admiratione dignam: quoad, praeparatis plurimorum animis, elatioribus argumentis procedere tandem et magis magisque dicendo aſſurgere liceat. Quamobrem conueniunt orationibus modeſtiora exordia: ne fortasſis res per ſe magnas, cum auditoribus tantae non videntur, vt paruas et quotidianas, contemtus ſequatur. Deinde quandam veluti maieſtatem orator ipſe, tamen ſine faſtu, prae ſe ferre debet, ac magis magisque ad orationis habitum grauitatemque componere vultum. Talem ſe nobili quadam dicendi libertate, quam ſpirat vbique oratio, declaret: vt nihil agreſte aut ruſticum habere, tum etiam a ſeruili timore, puerili pudore et, quae quidem ſe facile prodit, adulatione, bonis omnibus odioſa, quam longisſime abeſſe videatur. In oratore perfecto, is autem neceſſario requiritur ad genus dicendi ſublime et elegantiſſimum, nihil eſt quod putidam diligentiam et Rhetorum ſcholas redolet: artis enim eſſe putatur celare artem: ſed elucet in eo maſcula eloquentia et ea frontis ſimplicitas, qua mediante, profert quae ſentit, neque ſolicitus eſt quomodo, ſed quid in concione dicat; dicit eleganter denique et bene, non quod ſtudio vult dicere eleganter et bene, ſed quod dicere aliter non poteſt.

§. XI.

§. XI.

Ad magna pertractanda, requiritur omnino vt magna ingenia accedant, quae orationis argumentum adaequare, et rebus non minorem sibi formare ideam, earundemque ipsa excellentiam cogitatione complecti et efficacia sua exprimere valent. Perficit haec omnia in oratore imaginationis capacitas, vis atque vigor. Capax imaginatio sine confusione magnam rerum multitudinem breuissimo tempore sibi repraesentare, incredibili celeritate in omnes partes versare, omnia, quae in argumento suo maxime laudanda vel admiranda sunt, percurrere, nihil intempestiue, sed in loco et in tempore eleganter omnia proferre potest. Ingenii vis atque vigor tam viuide singula menti offert, vt imaginatio ipsa non procul absit a sensu, et remota non minus quam praesentia cernere videatur. Ita fieri solet, vt omnes affectus, quos vulgo dabit rerum aspectus, vel si quid coram agitur, sola prudentis et exercitati oratoris imaginatione excitentur. Contra vbi desideratur imaginationis capacitas, oratio sterilis et ieiuna prouenit; vbi vis atque vigor abest, quicquid dicitur, non potest non elumbe et languidum esse.

§. XII.

Quae, ad orationis sublimitatem, magnifice animo concepta sunt, digerantur iudicii maturitate: ne statim omnia, quae luxurians imaginatio suggerit, sine ordine vel delectu effundamus. Nam quod Venusinus Poeta *b)* in carmine fundendo commodum imo necessarium esse voluit, vt *scribendi recte sapere* sit *et principium et fons*, maxime valet in oratione prosa, cuius grauitas ne minimum quidem mentis procacitati concedit. Imaginationem vti iudicium regat, eius habenas modo relaxet, modo contrahet, et nihil nisi tempestiuum rectumque in loco et tempore proferat, debet esse

b) HORATIVS de arte poetica.

esse maturum et longo rerum vsu vel experientia confirmatum: vt nihil propriorum conceptuum amori, quem philautiam in homine vocant, magnifice tribuat, iudicium debet esse incorruptum; vt perspiciat et ponderare omnia possit, acre; vt nihil indecens permittat vel indulgeat oratoris ingenio, seuerum et inexorabile. Ita demum discernet, qui pro concione dicit et verae sublimitati studet, quid pro re nata maxime conueniat, quid prae ceteris admirandum, quid magis aptum ad demulcendum aut commouendum, vt in auditoribus stimulum et nescio quid tandem magnifici relinquere possit. Ratio cuique sua dictitabit facile, vbi generalia proferenda sint, vbi per singulas partes eundum: an grauissima tantum eligenda, an potius vni sit insistendum, quod eminet maxime inter omnia; rursum an tegendum sit aliud, ita quidem, vt auditores ipsi aliquid magni momenti in eo loco latere videant. Neque sufficit, vt res proponamus graues et amplas: istae magnifico et conuenienti etiam volunt exprimi sermone ac stilo. Quam ob rem MARCVS TVLLIVS in oratore perfecto, *res autem*, inquit, *sic se habet: composite et ornate sine sententiis dicere insania est: sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia.*

§. XIII.

Vt imago rem, ita verba imaginem aequare debent: quibus ceu coloribus atque signis eam aptis depingere solemus. Adeoque in grandi ac sublimi dicendi genere, verba oportet esse grandia et a vulgata loquendi consuetudine remota. Neque putet aliquis inde nos eam haeresin fouere, omnes propemodum voces, quae vsu quotidiano veniunt, etiam apud vulgum, fugiendas et eliminandas esse: quas

euitare in aliquibus orator minime gentium poteſt: ſed eligendas eſſe ſtatuimus hominum liberaliter educatorum, ſenatorum atque in eminentia conſtitutorum vſu communi tritas, prae iſtis quae ex hara, ergaſtulo quodam, aut triuiis petuntur. In omnibus linguis eiusmodi vocabula, quae ſordidorum hominum vſu viluerunt, facili negotio diſcernuntur ab illis, quibus politiores gaudent, et quae veluti peculiaria ſibi adiudicarunt. Horum in charactere magnifico imprimis habenda eſt ratio. Huc referri poſſunt (1) *ſonantia*, quae ſyllabis grandia maiorem ſonum edunt, et aures implent, vel ad voluptatem, vel ad ipſum, qui excitatur, terrorem. Ita e. gr. ſonantius eſt *obluctari*, quam reſiſtere, *obſecundare*, quam parere, aquarum *ſcaturigo*, quam fons. (2) *Splendida*, vt maiorem prae ſe fert elegantiam et ſplendorem *maieſtas*, quam bonitas orationis, *fulmina*, quam vehementia belli. Haec vt in promtu ſint continuo, metaphora, ſed ea ſaniori, opus eſt, quae orationem peregrinam, atque adeo etiam longe auguſtiorem reddit; auditoris animum noua quadam iucunditate afficit, et ipſi oratori non ſolum gratiam inſignem conciliat, verum etiam plauſum et admirationem addit. Contra ſi quis perpetuis vel crebrioribus metaphoris vtitur, oratio illi non grandis non ſplendida, ſed frigida tumidaque obuenit. Neque res melius cadet illi, qui audacioribus poetarum et periculoſis translationibus, earundemque prolixiori ornatu gaudent. (3) Adhibeantur verba *emphatica*, quae eſſentiam rei, ſenſumque animi quam optime explicare, ſuis recte coloribus depingere et quoddam quaſi pondus illi addere poſſunt. Maxima verborum ſublimitas in ſignificatione conſiſtit: et, cum aliud vocabulum plus alio quid demonſtret, ad hoc orationis genus

genus non tantum facit, vt adhibeantur verba, quae res magnas ſignificant, verum etiam vt ea deligantur, quae plus innuunt. Ita grandius eſt ac fortius ſignificatione valet, *furor*, quam ira, *arma miniſtrat*, *amare*, quam diligere, *flagitare*, quam petere, *erumpere*, quam euadere. Proditorem ſi dicas *ſceleratum ac perfidum*, ſignificantius eſt, atque ſi nequam et peſſimum hominem eum dixeris. Quantum cum grauitate orationi gratiae accedat, eiusmodi vocabulis, in quibus ampliſſimus rerum variarum latet ſenſus, ex ore Ciceronis praeſtat audire. Is Catilinam peſtem Reip. in patrum conſcriptorum conſeſſu, affectuum plenus alloquitur, et inter alia, c) *quid*, inquit, *proxima, quid ſuperiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? o tempora! o mores! Senatus hoc intelligit, Conſul videt, hic tamen viuit.* etc. Nihil ſublimius legi poteſt. Iteratas primo interrogationis particulas amoue. Videbis quantum orationi elegantiae detraxeris. Deinde morum atque temporum peruerſitatem non ſimpliciter notat, ſed expreſſa et iterata doloris particula ſimul indicat proprios ſui animi affectus. Denique *Senatus* atque *Conſulis* verba ab Cicerone Conſule ipſo in Senatu dicta, quantum ad grauitatem, quantum ad animos auditorum commouendos valent? Quod non idem fuiſſet aſſecutus, ſi *vos* hoc intelligitis, et *ego* video, dixiſſet. Ita Iulius Caeſar d) exercitum ſeditioſum *vna voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit, et flexit, vt ei milites eſſe confeſtim reſponderint, et quamuis recuſantem vltro in Africam ſint ſecuti.* (4) Huc pertinent

 verba

c) Oration. Catil. 1. cap. 1. d) Teſte SVETONIO Iul. cap. 70.

verba coniuncta; cum ex notis duobus pluribusue vnum, si fieri potest, componitur: vt *legislator*, *respublica*, moenibus *interiacens* pro iacens inter moenia. Summum vero dedecus orationi afferunt verba insolentia, sesquipedalia, et dithyrambicae compositiones, cuiusmodi sunt *feriflexi*, *iugifrontis*, et huius furfuris aliae. (5) Magnificam reddit orationem verborum compositorum per tmesin solutio: vt, *postea vero quam*, pro posteaquam vero; *per enim magni aestimo* pro permagni enim aestimo; *maximo te opere rogo* pro maximopere te rogo. Sic oratores persaepe student a vulgo se distinguere: vt ea verba diuidant, quae coniuncta vsurpantur; eaque coniunctim proponant, quae vsu obtinent crebriori soluta. (6) Orationem illustriorem reddunt epitheta vel adiuncta simplicia et in periphrasin conuersa: vt, *eloquentissimus Cicero*, aut *eloquentiae pater*, *artis oratoriae princeps* etc. Sed est modus in rebus, et maxima cura circumspiciendum, ne quid sublimitati quodam eiusmodi adiuncto vel circumscriptione decedat. Potest enim vis maior inesse vocabulo nudo et simplici; quam si comitentur istud sine prolixiori sensu et singulari nouarum rerum emphasi epitheta plurima et periphrases, quas inani studio et arte fingimus. Stimulos quosdam et vim inopinatam verba adiuncta relinquere debent: alioqui pars magna sublimitatis euanescit, tantumque personarum aut rerum magnificentiae decedit: quanto verborum ambitu descriptae procedunt. Quamobrem, nescio an satis accurate, simul omnes periphrases et epitheta ab hoc dicendi genere, post alios WERENFELSIVS remouet. *e*) Etiam hic (7) locum inueniunt

e) Differt. elegantissima de meteoris orationis, opuscul. pag. 611.

ueniunt verba facta, quae Graeci ὀνοματοποιηθέντα vocant: in his vero praesertim caute ac sapienter agendum, vt plana sint, quae finguntur, et illis similia, quae vsu valent. Alias oratio monstrosa auditoribus et inepta videretur: cum tanquam scopulum, sic verbum quodlibet inauditum atque insolens fugere debeamus. (8) Grandem atque magis admirandam orationem faciunt prisca vocabula, cuius modi sunt, CICERONIS *f*) testimonio, *reor*, *autumo*; apud QVINTILIANUM *g*) *nuncupare*, *fari* et similia. Sed parce vsurpentur, suoque tempore; ne quid affectationis appareat: neque vocabula sint ab vltimis et iamdudum obliteratis Numae temporibus reuocata. (9) Eandemque vim habent dictiones poeticae: quando notabiliora inserimus orationi vatum loca, eorundemque transponimus verba; aut carmina ita studemus imitari: vt aliud plane dicere videamur. Denique (10) omnes tropi omnesque figurae suo loco et tempore adhibitae magnificam orationem reddunt exornantque. Sed hic rursum magna opus est prudentia: ne cum alienis ita permutemus propria, vt in ipsa translatione plus iacturae, quam lucri sit. Quod celeberr. WERENFELSIVS *h*) haud immerito inter meteora orationis recenset.

§. XIV.

Compositio magnifica fit quatuor modis, (1) *iunctura*, (2) *ordine*, (3) *numero*, (4) *periodis*. (1) *Iunctura* spectat N. σύγκρουσιν τῶν φωνηέντων *vocalium concursum*: vt apud VIRGILIVM *i*) est: *ille ego qui quondam* etc. apud CICERONEM: *k*) *ego omni officio vel potius amore* etc. Rursum: *l*) *ducem hostium intra moenia atque adeo in senatu*

 videtis

f) De oratore. g) Instit. Orator. lib. 8. cap. 3. h) Opuscul. pag. 608.
i) Aeneid. l. 1. v. 1. k) Ad famil. l. 1. epist. 1. l) Catilin. orat. 1. c. 2.

videtis etc. Alibi : *m*) *credo ego vos iudices mirari* etc. Enim vero hic facile in defectu et exceſſu peccare poteſt. Conſectatus atque immodicus vocalium concurſus orationem diuellit , ac varios , qui aures afficiunt, hiatus facit. Superſtitioſe neglectus ille concurſus orationem quaſi mutam reddit. Medium ergo tenuere beati : vt neque vocales quaſuis ſine delectu et vbique commiſerint; neque veriti ſint iſtis conuenienti modo ad promouendam ſententiae maieſtatem ſuo loco et tempore vti : quandoquidem conſtat hoc pacto concentum effici orationis : ſine quo vix ac ne vix quidem limitibus ſuis ſubſiſtere poteſt. Deinde iunctura ſpectat ב δυσφωνίαν συνθέσεως *aſperitatem compoſitionis :* cum ita iungantur dictiones durae et aſperae , vt rebus , de quibus agitur, perquam ſimili expreſſione reſpondeant. Ita Iuno *n*) ad Eolum ſe conuertit, aſperis vocibus vehementem exoptans impetum venti, flatumque Troianorum claſſi aduerſum:

Incute, inquit, *vim ventis, ſubmerſasque obrue puppes.*

Breui poſt ventis erumpentibus ex cauernis : *o*)

--- *venti velut agmine facto,*
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus; et vaſtos voluunt ad littora fluctus.

Alibi : *p*)

Monſtrum horrendum,ingens; cui quot ſunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguae, totidemque ora ſonant,tot ſubrigit aures.

Atque apud eundem *q*)

--- *crines effuſa ſacerdos* *Ter-*

m) Pro Roſc. ab exord. n) Apud VIRGIL. Aeneid. l. 1. v. 73. o) l. c. v. 86. p) Aeneid. l. 4. v. 181. q) Aeneid. l. 4. v. 509.

Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Aſperitas ea vocibus inſidet vel natura propter difficiliorem ſonum: in quibus ex. gr. literae duriores geminantur, aut alia obuenit literarum diuerſarum copula, vt in *parricida, Xerxes, excors*; vel propter ſignificationem, quae aſperioris poteſt eſſe metaphorae, vt *mandragoram bibiſtis*; *cerebrum in calcibus geſtatis*. Haec non raro per modum imperandi efferuntur. Ita CICERO: *r*) *muta iam iſtam mentem, mihi crede: obliuiſcere caedis atque incendiorum. -- Perge quo coepiſti, egredere aliquando ex vrbe, proficiſcere: educ etiam omnes tuos. Quid eſt, Catilina, num dubitas, id me imperante, facere. -- Secedant improbi, ſecernant ſe a bonis.* Eo pertinent quoque frequentes et maximo animi affectu iteratae interrogationes: quemadmodum TVLLIVS: *s*) *quousque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? -- Quid eſt, quod te, Catilina, quod te iam in hac vrbe delectare poſſit? Quae nota domeſticae turpitudinis non inuſta vitae tuae eſt? Quod priuatarum rerum dedecus non haeret infamiae? Quae libido ab oculis? Quod facinus e manibus vnquam tuis? Quod flagitium a toto corpore abfuit* etc. Vbi non raro vocabula in ſignificatione, in elocutione et colliſione literarum aſpera palmam ceteris praeripiunt: quandoquidem hic ſtructura et compoſitio comta non ſemper et ſuauis eſſe, verum ad ſummam elegantiam orationis maieſtas aliquid inconcinni ac duri in ſe continere debet. *t*) (2) Compoſitio magificam redpit orationem, habita ratione *ordinis*, et *συνδεσμῶν copularum*, quae praeſertim in hoc dicendi genere et ſublimitate frequen-

r) Catilin. orat. 1. c. 3. s) l. c. ab exord. t) Conf. HERMOGENES περὶ ἰδεῶν l. 1. c. 7. et LAVRENTII comment. p. 137. ſeqq.

frequentes ſunt: ſed caue iſtas expletiuas, et ſine ſenſu particulas qualeſcunque quouis modo immiſcere ſtudeas. Copula ipſarum rerum, adhibitis ſuo loco particulis, maxime neceſſariis, et ſignificantioribus, eſſe debet. *v)* Ac ipſe verborum ordo ſeruandus eſt ita, vt ſolidiora et ſignificantiora loco ponantur poſteriori: ne melioribus iam auditis, vulgari cauſſarum pertractatione ſuboriatur nauſea; neque orator a validiori decidiſſe ad infirmius, aut argumentis ſuis plane deſtitutus fuiſſe videatur. Egregia proſtant paſſim in omnibus Ciceronis orationibus exempla. Ita ille: *x) num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum id quod multo magis eſt admirandum, dies? Rurſum: Nullum iam tot annos facinus extitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te: Tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit ac libera: Tu non ſolum ad negligendas leges et quaeſtiones, verum etiam ad deuincendas perfringendasque valuiſti.* (3) Compoſitioni, quae ad ſublimitatem eſt, ſpiritum addit *numerus* ſeu rhythmus quidam, non exquiſitus et canorus, qualis in poematibus atque canticis eſt; verum latenter ita ſe inſinuans gratia ſua et diſſimulatus: vt oratio quam elegantiſſime copia ſua et vocabulis recte ſonantibus commode ac iucunde claudi, et orbe ſuo procedere non ſine grauitate ſentiatur. E. gr. dictum hoc: *nulla eſt tanta copia, quae non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit*: numero longe venuſtius eſt, quam ſi ordine inuerſo dicas, pedibusque disiectis: *nulla copia eſt tanta, quae non poſſit ferro ac viribus debilitari et frangi.* Hic quidem Rhetores accuratiſſimi docent, a ſyllabis longis principia

v) Vide TVRSELINVM de particulis. x) Catil. orat. I. c. 7.

principia fieri optima, laudantque paeana, qui primam ſtabilem et tres breues ſyllabas ſubſequentes habet: vt, *multa mihi neceſſario, Iudices, praetermittenda ſunt* etc. y) moloſſum quoque, ſeu tres longas principiis conuenire: ex.gr. *quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt* etc. z) Tamen nec raro nec infelicius orationem auſpicantur a breuibus. Ita TVLLIVS: *a*) *venio nunc ad iſtius* etc. alibi: *b*) *animaduerti, Iudices, omnem accuſationis orationem* etc. Cum pluribus conferatur VOSSIVS, *c*) qui commendat dactylos, paeanes, et pedes, qui ab iſtis minimum abludunt; damnat vero crebros ſpondeos, iambos, trochaeos, omnesque dictiones breuibus ſyllabis abundantes. Mediae rebus conuenire debent. Longae, vbi pondus et orationis grauitas eſt; breues ſyllabae, vbi velocitas, neque res tanti momenti, vulgo obtinere ſolent. Oratio, quae fluit, iambos atque trochaeos; tarda vel aſpera ſpondeos amat. In fine praeſertim circumſpectius agendum, et ſingulari circa numerum induſtria opus eſt. Ciceronis autem teſtimonio ditrochaeus orationem optime perficit, vt *patris dictum ſapiens temeritas filii comprobauit*. Sed vitium numeri oratorii eſt, ſi quando deprehenditur in poeticum abiiſſe. Verſus enim, qui praeter opinionem atque curam in proſa dicenti excidunt, heroici, vel in genere notiori etiam alii, orationem monſtroſam et degenerem, ipſoque numero affectatam faciunt, ſaltem ſuſpectam reddunt. Foedum quoque eſt, verſus vel parte finali claudere, vel priori ab ingreſſu periodos auſpicari. Quamuis nunquam ſcriptores optumi plane ſibi

y) CICERO in Verrem orat. 4. ab exord. z) Idem orat. pro Quintio ab exord. a) In Verrem orat. 6. c. 1. b) Pro Cluentio ab exord. c) Inſtit. orat. l. 6. c. 2. p. m. 354. 356. ſeqq.

ab hoc orationis vitio ſatis cauere potuerint. Ita TACITVS annales, qui elegantioris ſtili exemplum tradunt ſuamque ſemper aetatem ferent, hexametro verſu integro auſpicatur:

Vrbem Romam a principio reges habuere.

Idem praeſtantiſſimis oratoribus, et ipſi TVLLIO, qui verſus in oratione vitium eſſe docet, *d*) erroris incauto accidit. Ita: *e*)

Auctores, inquit, *teſtes, laudatoresque fuerunt.*

Hexametrum quoque, niſi antepenultima producta, habet in verbis: *f*)

In quo me non inficior mediocriter eſſe verſatum.

Alibi, *g*) niſi pronomen *illa* obſtaret:

Experrectus enim potuit illa viſa putare.

Pleniori numero: *h*)

Morbo tentari non poſſunt; corpora poſſunt.

Et: *i*)

Diſpliceo mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore.

Ad Lentulum ſcribit: *k*)

His ego conſiliis ſi te praeſentem habuiſſem.

Ad Coelium: *l*)

Quare date homini: complectetur mihi crede.

Ad Atticum: *m*)

Eius conſilium ad bellum ſpectare videtur.

Sic multae periodi, multa membra in modum verſus exeunt, ut: *Laudabuntur iidem. n*) *Fructus ferre videntur. o*) *Trapezophoron* (ſeu ſtatuam quae menſam, in qua pocula reponuntur fert,

d) De oratore l.3. c.44. e) Orat. ad Quirites poſt reditum c.7. f) Orat. pro Archia c.1. g) Acad. quaeſt. l.4. h) Tuſcul. quaeſt. l.4. c.4. i) Ad Attic. l.3. epiſt.8. k) Ad famil. l.1. epiſt.9. l) Ad famil. l.2. epiſt. 8. m) Lib. 15. epiſt. n) Ad famil. l.1. epiſt.9. o) Ad famil. l.9. epiſt.3.

fert atque sustinet) *si te delectat, habebis. p*) Sed haec in tanta scriptorum elegantissimorum copia, oratori tanto non possunt vitio verti: praesertim in epistolis, vbi cura ipsa incuria esse debet scribenti. Attamen suis auctoribus haec relinquenda sunt: imitanda nequaquam. *q*) Neque idem semper orationis numerus: neque vniusmodi continuus esse debet. Varietas inprimis delectat, dictionemque oratoriam a poetica et soluta distinguit: satietatem contra et taedium affectata similitudo parit. Ipse numerus ergo lateat, vt fluere sua sponte, non anxius quaeri, vel necessario cogi videatur. In id maximopere nitendum, et omni studio laborandum est, vt mature vel etiam a teneris numerosae orationi assuescamus, ad ea, quae dicenda sunt, iusto et conueniente verborum ac sententiarum pondere complectendum. Ita in minimis non admodum curiosi et praeter necessitatem occupati auditorio poterimus dare, in quo magis delectetur, neque rationem habeat interea temporis aliquid de numero vel pedum dimensione et similibus cogitandi. *r*) (4). Vt verba, ita etiam incisa et membra sono et significatu grandia esse debent. His commixtae, quae numerum maiorem edunt ac aures implent, *periodi* *) circumductae, et membris longioribus confectae, et

p) Ad famil. l. 7. epist. 23. q) Vid. DORNMEIERI diss. de vitioso Ciceronis imitatore: quae cum Vorstii tractatu de Latinitate selecta et vulgo neglecta prodiit. r) Confer. ARISTOTELES Rhetor. l. 3. cap. 8. seqq. FABIVS instit. orat. l. 9. c. 4. Alii. *) Verisimile est, ab antiquissimis temporibus linguam ab incisis atque membris originem sumsisse: vt etiam hodie familiaribus colloquiis obtinet. Simo apud TERENTIVM: Vos isthaec "intro auferte: abite. Sosia, adestum, paucis te volo.„ Pastoralis apud VIRGILIVM ecloga 3. sermo: Palaemon. "Dic mihi, Dameta, cuium pecus? an Meliboei?„ Dameta. "Non,

et commoda dimensione sua ad sententiarum maiestatem applicatae omnino requiruntur. Vbi vero iam eo deuenit orator, vt animos auditorum impellat: ad concitandos illorum affectus, verborum apparatus etiam non vsque adeo exquisitus; verum magis abruptus, vel suapte natura vehemens et magnificus esse solet. Quemadmodum ornatus ille in augustis virorum maximorum aedibus apparet: vbi conclauia quaedam sunt amplissima, paulum angustiora alia, atque alia perquam exigua, saltem mediocria, neque pari omnia magnitudine se commendant. In his ergo ne defixus orator haereat, cadunt inter periodos et sparguntur frequentia commata atque cola. Sic dissoluta quasi ruit oratio: vbi celeritate quadam rerum multitudo explicanda est: vbi vero sententiae tardiori gradu procedunt: periodi, membra coniuncta, et crebris vincta nexibus adhibentur. Neque ego, vt in-

„ Non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.„ Postea scritores, arte nondum reperta, sententias inter colligare conati sunt, nec dum in circumscriptionibus modum tenentes. Tandem homines praeceptis eruditi, praesertim Graeci sophistae Gorgias et Alcidamas, alii primorum hominum sermonem dissolutum colligarunt: atque illi terminum statuerunt, paucioribus spaciis comprehensum. Graecos insigni studio etiam in his imitati sunt Romani, et omnium maxime TVLLIVS, quod vbique ipsius artificiosissimae periodi testantur. Totum negotium ipse describit de oratore l. 3. c. 51. „Illi veteres, sicut „ hodie etiam non nullos videmus, quum circuitum et quasi orbem „ verborum conficere non possent, nam id quidem nuper vel posse vel „ audere coepimus, terna aut bina, aut nonnulli singula etiam verba „ dicebant, qui in illa infantia naturali illud, quod aures hominum „ flagitabant, tenebant tamen, vt et illa essent paria, quae dicerent, „ et aequalibus interspirationibus vterentur.„ De periodis ipsis earundemque diuersa ratione vid. elegantissimus IOH. STVRMII libellus ab ERYTHRAEO illustratus.

ingenue fatear quid ſentiam, ſatis capio, aut video, quid elegantiſſimus WERENFELSIVS s) ſibi velit, quod tanquam monſtra non ferenda, omnes periodos probe menſuratas, omnia cola et inciſa commode ſibi reſpondentia, libratas plurium membrorum antitheſes et comparationes, quaſi nimis exquiſitum affectent ornatum, a charactere ſublimi et grauitate orationis eximere conatur. Haec enim omnia oratori perfecto ſua ſponte fluunt, vel etiam nihil minus cogitanti, vt maior ſententiis grauitas accedat, ſine vitio, ita ſaltem mihi videtur, obuenire poſſunt. Certe Neronis tandem aetate primum haec oratoribus vſu veniſſe, tot Ciceronis monumenta, quae omnium manibus verſantur, negant et pernegant. Cetero maieſtatem orationis figurae promouent; inprimis illae affectuum, in quibus repetitio, duplicatio, interrogatio, proſopopaeia, exclamatio, ſermocinatio, apoſtrophe, ad dictionis velocitatem et vehementiam aſſurgunt.

§. XV.

Difficultas orationis ſublimis ex illis, quae hactenus dicta ſunt, abunde patet. Certe raro aut nunquam poterit aliquis illius virtutes et ſummam dignitatem aſſequi, niſi animum ad res magnas concipiendas mature aſſueuerit: oritur enim ſublimitas orationis ex animi magnitudine, et ſenſum eius quam maxime fugit, qui ſtudio repit humi, aut, ſi vellet, altius aſſurgere nequit. In omni etiam ſcibili orator verſari debet, et quoquo modo expolire ingenium, qui eloquentiae id genus exprimere et cum laude in frequenti panegyri dicere cupit. t) Proinde Apollonius quidam, apud CICERONEM, v) quum mercede doceret, non patiebatur eos, quos iudicabat

 non

s) De meteoris orationis opuſc. pag. 609. t) Vid. FABIVS QVINTIL. inſtit. orat. l. 12. tot. v) De oratore l. 1. c. 28.

non posse oratores euadere, operam apud sese perdere: sed dimittebat, et ad quamcunque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. Quod cum narrasset pater Eloquentiae, in aliis scientiis, pergit, *non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus pene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri potest. Quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.* Dum ego pro viribus et captu oratorem describo, prout frequens in sublimiori et magnifica dicendi forma versatur, et cum optimo huius artis magistro et summo oratore, genus illud eloquentiae perfectissimum, cui nihil addi, nihil detrahi possit, altius paululum repeto: vereor ne quis ex ingenuis et ad summa quaeque natis adolescentibus remissior fiat in his studiis, vel prorsus recuset omnia ad vsus eloquentiae grandioris quaerere commoda, quae, rerum difficultate perterritus, cum ipsa natura plurimis denegarit, maximopere quaesita assecuturum desperat. Illos ego quidem vel minime gentium terrere, nedum abstrahere ab elegantissimo studio ausus fuerim, quibus arte benigna et meliore luto finxit praecordia Titan. Potius in memoriam sibi reuocent dictum satis vulgare, esse difficilia quae pulchra: sed tamen omnia in magnis magna etiam docilem facile conando solertiam vincere. *) Omnem itaque moue-

*) Confer. CICERO de oratore l. 1. c. 33.

mouere lapidem ſuo iure debet,qui res magnas et magnopere expetendas expetit, et pia aliorum deſideria deſiderat. Sin aliquis ſibi ad haec propter ingenii difficultatem non adeo promtus eſſe videtur, mea quidem ſententia recta ſapit, ſi difficultas eum ab hoc dicendi genere abſterret. Oportet eum nihilominus, quem poterit, curſum tenere, et ſedulo iſtis incumbere ſermonis ſpeciebus, quae forte fortuna eius vel temperamento, vel animi viribus magis reſpondent. Cum tria ſint diuerſa dicendi genera, graue, humile, et temperatum ſeu mediocre: ſi grauitas eum auerſatur, ſit mediocritate contentus: aut ſi illam aſſequi non poteſt, in perſpicuitate et grata verborum diſpoſitione maneat. Haec vero maturiori vnius cuiusque iudicio relinquimus. Poteſt aliquis in alio atque alio genere non modo placere, ſed eminere; in ſublimitate vero pauci tolerabiles ſunt, pauciſſimi excellunt. Eam ſi quis male affectat, virium non habita ratione, iudicii, aut ingenii, aut animi humilitatem facile prodit, dum nubes et inania captat, vitansque humum, vt ſublimia ſectetur, abit in fumum ventumque et verſatilior vmbra in turbinem incidit.

§. XVI.

Dicta in ſpeciem ſublimia, in ſe autem vitioſa et inania, Longinus Rhetor, et poſt eum plurimi in oratione μετέωρα vocarunt, de quibus SAMVEL WERENFELSIVS elegantem diſſertationem conſcripſit. *x*) Germani id ipſum exprimunt idiomate ſuo, ſich in der Rede verſteigen: Galli, *parler phebus*, phoebum loqui, vt notent atque diſtinguant vere ſublimia loquentes ab illis, qui vanam granditatis ſpeciem prae ſe ferunt.

x) Vid. eius opuſcula theologica philoſophica et philologica quae prodierunt Baſileae 1718. 4. a pag. 595.

ferunt. Laudatus WERENFELSIVS *y*) omnia orationis meteora, nam in vniuersum de hoc argumento loquitur, ad tria genera refert, quum *oratio vere sublimis rei humili accommodetur*; aut *non vera sit in argumento magno granditas orationis*; aut denique *neque res sublimis sit, neque vera dictionis sublimitas.* Res leues non esse magnificiendas, aut elegantiori habitu, quam grauissimae vulgo solent, exornandas, quis dubitat? in hanc vero rem varie a variis peccari, qui vel mediocriter his literis imbutus est, facile in multorum scriptis experiri poterit. Atque etiam eleganter de nulla re dici posse, nisi magnifice dicatur, si quis forte palam profiteri velit, insignem iudicii infirmitatem prodit. Sed non satis accurate Vir magni iudicii, quem aliquoties eodem commate laudaui, Iulio Caesari Scaligero vitio vertit, quod praefationem in libros de caussis linguae Latinae ad Sylvium Caesarem filium, quasi de caussa leuiori, stilo scripserit sublimiori. Certe magnus ille Scaliger sui adeo in commentariis ipsis oblitus est, vt nimis magnifice dixerit, quomodo hoc aut illud sit legendum, quid haec aut illa vox significet, qua methodo ars aliqua sit tradenda: quod obiici aliis quidem commode, nostro vero minime gentium posse videtur. Sed altius quis negabit? in epistola multis ea persibilata assurgit: nec immerito, quum ipsi res non tantum esset de literis, sed de studio literarum elegantiori et certe sublimiori, quam vt omnibus ingeniis conueniat; neque solum vt pater filio epistolam, eamque familiarem, aut quotidianam, sed ea simul eruditissimis, tot viris grauibus et illis, quibus ea studia tantum non admirationi sunt, commentariorum praefationem, aut, si mauis, commendatio-

y) L. c. pag. 602.

dationem ſcripſit. Atqui illis etiam conuenire ſtilum grauiorem, multi Rhetores vbique loquuntur: qui quum praecepta ſua nonniſi philoſophico atque adeo mediocri dicendi genere tradunt: magnificentius tamen, vel ad excitandum lectoris animum, haud raro ſua ſcripta exordiuntur. Ita MARCVS TVLLIVS ipſe ſuos de inuentione libros incipit: *Saepe et multum hoc mecum cogitaui, bonine an mali plus attulerit hominibus et ciuitatibus copia dicendi ac ſummum eloquentiae ſtudium. Nam quum et noſtrae reip. detrimenta conſidero, et maximarum ciuitatum veteres animo colligo calamitates, non minimam video per diſertiſſimos homines, inuectam eſſe partem incommodorum. Quum autem res ab noſtra memoria propter vetuſtatem remotas ex literarum monumentis repetere inſtituo, multas vrbes conſtitutas plurima bella reſtincta, fortiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias intelligo, tum animi ratione, tum etiam facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem* etc. Ad Quintum Fratrem dialogorum de oratore exordium hoc fecit: *Cogitanti mihi ſaepenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quinte frater, illi videri ſolent, qui in optima rep. quum et honoribus, et rerum geſtarum gloria florerent, eum vitae curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.* Ecquid excellentius vtroque exordio dici vel excogitari potuit? Sed Longolius, et eius ſimiles non feruntur, qui ſenſu ineptiores dicta grandia rebus exiguis aptarunt: Qui fingunt ſibi in rerum tenuitate veterum Romanorum comitia, forum, triumphos et quicquid illius gentis gloriam indicat, ſi quando verſantur in eiusmodi rebus locisue, qui ne minimum quidem ſplendoris, nedum magnificentiae quiddam prae ſe ferunt. Exempla

doctissimus WERENFELSIVS pro ingenio, quod nullibi non excellentissimum est, discutienda proponit. Alterum illi genus meteori est, cum in grandi argumento orationis sublimitas vitiosa est, et omne illud innuit, quod quibusdam sublime videtur, sed reuera non est. Vbi quidem peccant primo loco, quibus omne id, quod obscurum, sublime est: quamobrem insanus apud FABIVM z) praeceptor discipulos iussit obscurare, quae dicerent, vtens Graeco verbo σκότισον. Vnde illa scilicet egregia laudatio: *Tanto melior, ne ego quidem intellexi.* Deinde non possunt probari, qui sine sensu sublimitatem ponunt in verbis sonantibus, quae nihil magni significant, eorundemque structura: parum solliciti, an aliquid dicant, dummodo possint vocibus, liceat cum istis ineptire, *vndantibus*, *resonantibus*, *rorantibus*, *rutilantibus*, *radiantibus*, *flammantibus*, *coruscantibus*, *tumultuantibus*, *bacchantibus*, *quadrupedantibus*, parum aut nihil significantibus, *tonare*, *fulgurare*, *late grassari*, et orationem, vt SEDVLIVS a) loquitur,

Grandisonis pompare modis tragicoque boatu.

Cuiusmodi male sanorum hominum conatus in arte poetica HORATIVS vocat

Versus inopes rerum magnasque canoras.

Hoc quidem est vitium orationis, magnifico diciendi generi oppositum, quod inflatum et tumidum vocatur, vt in quodam granditatis excessu consistit: in quem facile prolabuntur omnes, qui pollent imaginandi non iudicandi facultate, et nusquam aut modum aut decorum seruare possunt. Si magnum quid mente concipere volunt, concipiunt vastum; si quid

z) Instit. orat. l. 8. c. 2. a) L. 1. operis Paschalis.

ſi quid fingendum ſublimis, fingunt enorme; ſin rei admirabilis formanda imaginatio, portentoſam prorſus et incredibilem formant. *b*) Faſtidiunt omnes loquendi formas conſuetas ſimul atque ipſos feliciſſimae Latinitatis auctores: et malunt eorum loco ſcriptores ſequioris aeui portendoſos et inſolentes et neſcio quid grandioris vel extraordinarii affectantes legere, et data quauis occaſione imitari. Ita ſtilus tandem formatur ex tot phraſium rariorum admiranda congerie, ex omnium ſeculorum poetis, oratoribus et philoſophis, qui cimeliarcho quodam et deliriis hominum perquam ſimilis eſt. Eiusmodi *Spaniologis*, quos WERENFELSIVS *c)* vocat, piaculum eſſet nominare *Ciceronem*, niſi ex viridario aut formularum libro, Arpinatem; *Plautum*, niſi *familiarem ſuum Sarſinatem*; *Horatium*, niſi *Venuſinum Cygnum*; *Homerum*, niſi ex Horatio *eum qui nil molitur inepte*; *Martialem*, niſi *Bilbilitanum argutatorem*. Religio illis eſſet, *vinum bibere*, quum *Bacchi munera hauriunt*; vel *panem edere*, quum *Cererem conſumunt*: usque adeo poeticis gaudent, imo ſibi multo magis in ſoluta oratione, quam in ligata ipſi poetae indulgent: neque verentur aliquando, imaginaria ſublimitate ſua prorſus abrepti, vt HORATII *d*) verbis vtar, *Delphinum ſyluis appingere, fluctibus aprum*. Illis quoque in oratione ſublimi valde placet ex antiquatis vocabulorum non niſi ad riſum confictorum crebrior vſus, cuiusmodi ſunt ex Plauto *ferricrepinae inſulae*, *argenti exterebronides*, *geminiſſi-*

b) Eadem cauſſa notatus a Luperco PLINIVS inſtituit purgare ſe, et neſcio an ſatis accurate veterum exemplo probare, oratorem ſublimia magis et fere praecipitia, quam humilia et depreſſa decere. lib. 9. epiſt. 26. c) Docta de meteoris orationis, opuſc. pag. 607. d) Art. poet.

minissimus ipsissimus. e) Vt obsoletis ita quoque nouatis et fictis verbis sententiisue capiuntur. ex. gr. vultures illis sunt *sepulcra animata*, Heliotropium *Mathusalemus florum*, lac equinum bibere *ex cornipedis visceribus cibos extrahere*, Delphinus *repandirostrum et incuruicernicum pecus*, aries *animal reciprocicorne*, aper *nemoriuagus*, cerua *syluicultrix*. Sexcenta huius furfuris alia, quae partim inaudita sunt, vel efferuntur phrasibus et adiunctis praeter necessitatem temere et audacter affluentibus. Tertium et vltimum meteori ac sublimitatis vitiosae genus est, quando vitia duo priora concurrunt ita, vt orationis sublimis argumentum non modo sit humile, sed minus recta etiam dictionis sublimitas. Haec orationis forma vulgo ψυχρὰ et frigida vocatur. Minus autem e re, loco et tempore de minimis atque maximis pari modo loquuntur, quorum in comoediis seruus agit, vt Oedipus in tragoedia, in quorum eclogis Tityrus agit, vt Aeneas in Epico, qui in epistolis familiaribus scribunt, ac si pro rostris vel in senatu dicerent, qui colloquia fingunt, qualia Sibyllarum cum Diis sunt, quoties oracula proferunt. Ex eo hominum genere si quis fuerit cantor in ecclesia, nullus dubitabit profiteri, *se decachordo psalterio inter beati dogmatis choros Dauidicae modulationis cantus exercere*: vel, si bene valet, *satis bene se in carunculae folliculo constitutum esse*. Et forsan aliquis mandaturus seruo, vt ocreas sibi demat, vteretur hac formula: *tu, qui me inferior es, innitere corporis tui columnis, et ab his mortui bouis exuuiis me libera. f)* Deinde verbis

e) Vid. Differt. nostra de Adolescentia Latinae linguae c. 3. §. 24. cap. vlt. tot. f) Pl. vid. apud celeberr. WERENFELSIVM de meteoris Orationis, opusc. pag. 605. 618. seqq. Confer. MASENIVS palaestra oratoria l. 1. c. 36. §. 2. p. m. 176. seq.

verbis vtuntur peregrinis, vtuntur intempeſtiuis epithetis iisdemque dithyramborum more iunctis, vtuntur metaphoris nimis longe petitis, atque diſtortis per hyperbolen ſententiis. Frigus denique et ſummum orationis dedecus produnt in compoſitione, quae numeri expers verbis atque ſyllabis longioribus abundat, vel etiam nimis deprehenditur eſſe numeroſa, vt verſus nonnulli manifeſti et continui appareant.

§. XVII.

Stilus tenuis, conciſus vel humilis ille dicitur, qui ſua praeſertim breuitate gaudet, omnesque vel copiae vel ornatus cauſſa in ſtilo grandi adhibitas circumductiones et figuras reſpuit: cum neruoſis tantum atque planis dictionibus abſolui conſueuerit. Hoc genus dicendi nos facile aſſequi poterimus: eadem ſi velimus inſiſtere methodo, qua ſublimitatis artificium hactenus commonſtratum fuit: *ſententia* videlicet, *verbis* atque *compoſitione*. His enim ceterae et huius et omnium formarum partes comprehenduntur, quas HERMOGENES g) praeter neceſſitatem cumulauit: Πάντα μὲν ἔν εἴδη λόγων ἐν τούτοις τεθεώρηται, καὶ διὰ τούτων γίνεται, ἐννοίας, μεθόδου, λέξεως, σχήματος, κώλου, συνθήκης, ἀναπαύσεως, ῥυθμοῦ. *Omnes igitur formae orationis in his ſpectantur, et per has partes fiunt, quae ſunt ſententiae, tractandi ratio, dictio, figurae, cola, ſtructura, clauſula, numerus.*

§. XVIII.

Sententiae ſiue res, quibus conuenit ſtilus tenuis, ſunt exiles, ludicrae, familiares et dogmaticae: vt in dialogis, actionibus ſcenicis, narratione ſimplici, diſſertationibus atque libris, itemque in familiarium epiſtolis: in illis enim, quae

 ſcribun-

g) περὶ ἰδεῶν lib. 1. c. 2. p. m. 246.

ſcribuntur ad viros principes atque patronos, ipſe etiam character, vt ſupra monuimus, perſonis reſpondere debet.

§. XIX.

Verba in oratione tenui requiruntur propria et clara, quae genuinam ſignificandi vim ex vſu doctorum habent. Tropi, et quicquid ornatus cauſſa excogitatum eſt, raro vel nunquam admiſcentur. Adeoque fugienda ſunt, quoad fieri poteſt, in hoc dicendi genere, compoſita, inflata, facta, translata, ambigua, et caſus obliquatione adaucta. Hinc orationis *puritas*, quae licet in omni charactere locum obtinet, inprimis tamen et perpetuo requiritur: ſi quis tenuiori et ſimplici ſtilo in rebus non arduis vti velit. Prouenit hinc ſecundo *perſpicuitas*, quam Graeci σαφήνειαν vocant. *h*) Porro *euidentia*, Graecis ἐνάργεια, quae res accurata expoſitione omnibus ita ante oculos ponit, vt nihil deeſſe, nihil etiam redundare videatur. Denique *probabilitas*, cuius beneficio cum auctoritate gratiam nobis conciliamus, eaque poterimus facile conſequi, vt ſimplici orationi fides habeatur. Quantumuis nonnunquam id genus dicendi etiam neruoſa propoſitione, paroemiis et argutiis gaudeat: *i*) eamque ob cauſſam vulgo ſubtile et acutum vocari ſoleat.

§. XX.

Compoſitio vitat (1) in iunctura concurſum vocalium et diphthongorum aſperiorem, quo magnificam orationem reddi ſupra vidimus. (2) Connexionem obſcuram, quae vt nulla obueniat: particulas praepoſitas oportet cum illis, quae poſtponuntur, orationem recte diſtinguere et reddere, eo, quem ipſa

h) Vid. Hermogenes de formis lib. 1. c. 3. *i*) Vid. Morhofius de arguta dictione.

ipſa rei et ſermonis natura poſtulat, modo : id eſt, vt vna prolata, auditor continuo exſpectet alteram ; eamque exſpectatam e regione ipſi reſpondere ſentiat. Contra frequens ne ſit, vel praeter neceſſitatem, particularum vſus, adeo vt longiori ſe interuallo reſpiciant. (3) Numerus liberior, neque ſuis adeo vinculis adſtrictus eſto : quin placita breuitate ſubſiſtat, eamque pleniorem verborum et ſyllabarum dimenſionem prorſus negligat. (4) Periodos amat breuiores et ſuccinctas, non μακροκώλους longorum membrorum, taſes, pneumata, id genus dictiones alias multis inciſis atque colis productas.

§. XXI.

Vitium tenui oppoſitum eſt forma ieiuna ſiue arida, quae conſiſtit (1) in *verbis*, quae veram iſtius rei, quam deſcribere conantur, rationem et eſſentiam exprimere nequeunt, ac praeter ſcopum afferuntur. Ex. gr. ſi verba facturus de latrone, *agedum*, dicerem, vel *euge tibi expilatori :* cum *agedum* iſtud, vel *euge* blandientis, neque *expilator* pro latrone ſatis graue dictum fuerit. (2) In *ſententiis* claudicantibus vel humum deiectis, non habita numeri, ornatus aut genii, qui in lingua eſſe debet, ratione, vt, ſi dicerem : *Themiſtocles compenſauit aliquo modo prima vitia:* quod Cornelius Nepos exprimere ſuo more, id eſt, eleganter ita voluit : *huius vitia ineuntis adoleſcentiae magnis ſunt emendata virtutibus.* (3) In *compoſitione*, quando crebra proferunt inciſa, quae ſine ſenſu, abruptis veterum ſententiis luxuriantes cumulant, periodos vel plane tollunt, vel truncant, ceteraque miſcent vitia Lipſiomimis ſtultiſue Laconiſmi veteris affectatoribus communia. Ita ex. gr. Loelivs : *k) officium ambis eccle-*

ſiaſti-

k) Qui ſecum alios inſanire docet, inſtit. epiſtol. p. 177.

ſiaſticum. Bene ambis. Quod ſperaſti, habes. Habes oues, eas cures. Quei et queis? Tute ſcis. Pabulo verbi, ſacramentis, vitae tuae exemplo. Curabis, ſcio te qui noui. Noui et norunt omnes egregiam tuam indolem, pietatem, eruditionem etc. Id ſtili genus non nouum inuentum eſſe putemus. Erat Ciceronis et hoc feliciſſimo Latinitatis et omnium ſcientiarum ſeculo Romae, et in ipſa Latinitatis ſede, factio quaedam Atticorum, qui cum orationis copioſae virtutes ingenio aſſequi non poſſent, huic imbecillitati ſuae caſtigatiori ſermonis Attici diligentia colorem quaerebant, ceterosque ingenii felicitate et vbertatis gratia florentes, velut Aſianos traducebant, ſaltem vt imprudentes cauſſam ſuam ſe proſpere et feliciter agere crederent. Ita QVINTILIANVS *l*) *Tullium*, inquit, *non illum habemus Euphranorem circa plurium artium ſpecies praeſtantem, ſed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen et ſuorum homines temporum inceſſere audebant, vt tumidiorem, et Aſianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exultantem, ac pene (quod procul abſit) viro molliorem. Poſtea vero quam triumuirali proſcriptione conſumtus eſt, paſſim qui oderant, qui inuidebant, qui aemulabantur, adulatores etiam praeſentis potentiae, non reſponſurum inuaſerunt. Ille tamen qui ieiunus a quibusdam atque aridus habebatur, non aliter ab ipſis inimicis male audire, quam nimiis floribus et ingenii affluentia potuit, falſum vtrumque. Sed tamen illa mentiendi propior occaſio. Praecipue vero preſſerunt eum, qui videri Atticorum imitatores cupiebant. Haec manus*

quaſi

l) Inſtit. orat. l. 12. c. 10.

quaſi quibusdam ſacris initiata, vt alienigenam, et virum ſuperſtitioſum, devinctumque illis legibus inſequebantur. Vnde nunc quoque aridi, et exſucci, et exſangues. Hi ſunt enim, qui ſuae imbecillitati ſanitatis appellationem, quae eſt maxime contraria, obtendunt: qui quia clariorem vim eloquentiae velut ſolem ferre non poſſunt, vmbra magni nominis delitescunt. Exempli loco Aſinius Pollio eſſe poteſt, qui cum ipſe orationis vbertatem non aſſequeretur, eam in Cicerone et Liuio et aequalibus vsquequaque admiratam perſibilauit et conuiciis neſcio quibus tandem proſcindere ſtuduit. Ipſe CICERO *m*) eam Atticorum affectationem ſuo tempore obſeruauit, et Caluum, quod ea ratione corruperit eloquentiam, exagitauit in Bruto, qui, *Atticum*, inquit, *ſe Caluus noſter dici oratorem volebat: inde erat iſta exilitas, quam ille de induſtria conſequebatur. Dicebat inquam ita, ſed et ipſe errabat, et alios etiam errare cogebat.* Ille erat Caluus, qui SENECA teſte, *n*) iniquiſſimam cum Cicerone litem de principatu eloquentiae habuit: et, quod Auctor dialogi de oratoribus *o*) habet, antiquos, licet fuerint horridi, et impoliti, et rudes, et informes, imitatus eſt; ſtrictior proinde, *p*) vt qui Atticos perperam affectabat, vnum et viginti libros reliquit, vix in vna aut altera oratiuncula ſatisfecit: cum intellexit quidem, melius quid eſſet, nec voluntas, quin ſublimius et cultius diceret, ſed ingenium et vires defuerunt. *q*)

§. XXII.

Stilus mediocris ille eſt, qui inter grandem et tenuem locum tenet medium: vtpote qui caret maieſtate verborum

m) De claris oratoribus c.82. n) Lib.7. declam. et lib.4. controu. o) Cap.18. apud TACITVM. p) Ibid. c.25. q) Ibid. c.21.

illaque sententiarum grauitate, quam in oratione sublimi conspicere licet: neque tamen omni destitutus ornatu, pressam et leuiter florentem dictionis indolem prae se fert, quemadmodum ille character tenuis: sed in confinio magnifici et humilis constitutus, mediocres et aequabiles sententias, iustam orationis mensuram, tropos et figuras admittere solet. Vnde CICERO: r) *est interiectus, intermedius et temperatus, nec acumine posterioris, nec fulmine vtens superioris, vicinus amborum in neutro excellens, vtriusque particeps, vel vtriusque, si quaerimus, potius expers.* Conuenit hoc genus scribendi maximam partem historiis, orationibus, quarum argumentum non est satis augustum atque amplum, ex. gr. de imperii vel ciuitatis alicuius fatis, locorum descriptione, morum atque rerum naturalium exornatione et similibus; conuenit etiam epistolis ad patronos, viros principes, ceteros nobis maiores scriptis; conuenit denique omni materiae, quam potissimum ad delectationem institutam esse videmus. Adeoque oratoris foret dispicere, quod cuique argumento genus dicendi respondeat: vt caussae humili genus tenue, graui magnificum, mediocri temperatum accommodare sciat. Neque solum in diuersis caussis, verum etiam, vt QVINTILIANVS s) recte monuit, in eadem oratione diuersa genera locum habent. Siquidem orator ad conciliandum mediocri, ad docendum humili, ad concitandum vehementi charactere vtitur. t) Cuiusmodi verba et compositio in charactere mediocri esse debeat, ex superioribus patet. Dictionis delectus quidam instituendus est; asperitas omnis in compositione vitan-

r) In oratore. s) Institit. orat. l. 12. c. 10. t) De vsu trium generum vide MASENIVM palaestr. orator. L. 1. c. 36. p. m. 178.

vitanda; et ipſa oratio membris ſuis atque periodis numeroſe, vt auribus fiat ſatis, procedere debet; ſpondeis neque tarda ſit nimis, neque claudicans trochaeis atque iambis: mediocritas enim plusquam alia genera numero et compoſitioni ſtudet. Frequentes ſunt in periodis repetitiones, et appoſita iſocola, quibus relata relatis et paria paribus reſpondent. Denique pulchra quadam et circumſcripta orationis inflexione, tropis atque figuris, tanquam floribus, lepidisque verborum et ſententiarum ornamentis opus eſt. Neque tamen difficiliores metaphorae et figurae admittuntur, quae nimis vehementer affectus mouent, vt ſunt apoſtrophe, proſopopoeia, exclamatio, interrogatio, id genus aliae, quae ad ſublimitatem orationis adſpirant.

§. XXIII.

Vitium mediocri formae oppoſitum eſt ſtilus incertus, fluctuans atque diſſolutus, qui characterem aridum recuſans nimis aſſurgit; vel negligens tumidum humi ſerpit. Ita CORNIFICIVS: v) *qui in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi peruenire eo non poterunt, errantes perueniunt ad confine genus eius genere, quod appellamus fluctuans et diſſolutum: eo quod ſine neruis et articulis fluctuat huc et illuc, nec poteſt confirmare, nec viriliter ſeſe expedire.*

§. XXIV.

Hactenus de triplici charactere, ſublimi, tenui et medio, eorundemque vitiis aliquid monuimus: reſtat nobis alia ſtili differentia reſpectu materiae: propter quam illum vulgo *oratorium*, *poeticum*, *hiſtoricum*, *familiarem* et *philoſophicum* vocant:

v) Rhetor. ad Herenn. l. 4.

vocant: licet a prioribus illi videantur non esse distinguendi. Nam stilus *oratorius* in triplici, quod vidimus, dicendi genere versatur: vt et poeticus, quod saltem ex Virgilii poematibus constat, qui vulgari atque adeo tenui bucolica, medio georgica, et sublimi Aeneidos libros conscripsit. *Historicus* mediocri et tenui respondet: hunc Tacitus et Florus, illum Caesar, Liuius, Velleius atque Curtius scriptis suis quam felicissime proposuerunt. *Familiaris* etiam vocatur tenuis, quo in colloquiis et epistolis vtuntur: vt et *philosophicus*, quo dissertationes aliaque scripta consignare solent. De singulis tamen adhuc monere quaedam sigillatim operae pretium fore existimamus. *Stilus oratorius*, vtut maxime sublimi et magnifico respondeat, non respuit tamen, quod iam aliquoties notauimus, temperatum atque tenuem, pro materiae, caussarum et affectuum genere. Exornationes admittuntur omnes. Numeri et periodorum requiritur cura, obseruatio argumentorum continua, phrasium et vocabulorum maiestas, perspicuitas, puritas, iunctura, et quicquid ad elegantiam et facultatem apte dicendi facere potest. Ita tamen, vt copia modum, nitor cultum virilem, inuentio iudicium non vulgare prodat: absque quo nihil commodum et laudabile esse potest. Sic pleraque fuerint magna, non nimia; sublimia, non abrupta; fortia, non temeraria; seuera, non tristia; grauia, non tarda; laeta, non luxuriosa; iucunda, non dissoluta; plena, non tumida. Eadem in ceteris ratio est. Tutissima per medium via: quia vtriusque vltimum vitium est. *x*)

§. XXV.

Stilus poeticus ab oratorio differt inuentione, vocabulis, phrasibus, et numero. (1) Inuentionem poetae sibi vindicant

x) QVINTIL. instit. orat. l. 12. c. 10. in fine.

dicant liberrimam, continuis luxuriantes fabellis, incredibilia, rara et inaudita miſcentes veris: ſecundum vulgare: *y*)

— pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

Τὸ πλεῖστον δὲ ἡδονῆς ἡ ποίησις οἶμαι στοχάζεται. *Nam poeſis opinor*, quit HERMOGENES, z) *maxima ex parte ad voluptatem dirigitur.* Cum oratores ſumma ope niti debeant, vt ipſis habeatur fides: et quouis modo vera, ſaltem probabilia dicere videantur. (2) Ab oratoribus verba inſigni vſurpantur prudentia et circumſpectione: vt propria, emphatica, pura et perſpicua auditoribus exhibeantur. Poetae contra maximam ſibi rurſum in iſtis licentiam tribuunt: cum nec raro vocabulis gaudeant antiquis, obſoletis, obſcuris, fictis, peregrinis, id genus aliis. De quibus tamen HORATIVS *a*) recte monuit:

In verbis etiam tenuis, cautusque ſerendis,
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum, ſi forte neceſſe eſt,
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctatis non exaudita Cethegis,
Continget, dabiturque licentia, ſumta prudenter.
Et noua fictaque nuper habebant verba fidem, ſi
Graeco fonte cadunt, parce detorta —

Frequens apud poetas eſt epentheſis, paragoge, ſynaereſis, diaereſis etc. Subſtantiuum ſpeciei mutant in ſubſtantiuum generis; adduntque generi appoſitum ſpeciei proprium. E. gr. *fulminis ales*, pro aquila, *gens pennata*, pro auibus, *flos paeſtana*, pro roſa, *bibere fluuium*, pro habitare iuxta illum,

y) Apud HORAT. de arte poetica. z) De formis l. 1. c. 6.
a) Arte poetica.

dona Cereris, pro frugibus, *munera Bacchi*, pro vino, *munera Pomonae*, pro fructibus, *ruris opes*, pro frugibus, *veris opes*, pro floribus, *veris honos*, pro rosa. Immodice praesertim luxuriant in epithetis et translatis. Ita: *acies stupet igne metalli*; *aer aeger*; *Aetna lambit sidera*; *amnes docti floribus riserunt*; *oculorum pia tempestas*. Innumera alia, quorum indicem vel ideam ad lexicon poeticum comparandum MORHOFIVS dedit. *b*) Vti vocabula ita (3) phrases poetis sunt propriae, quas apud MORHOFIVM *c*) copia sufficienti cernere licet: vbi quidem istud valet Hermogenis dictum: δέδοται γὰρ καὶ τὰ τοιαῦτα τοῖς ποιηταῖς. (4) Numerus in orationibus atque poematibus est toto coelo diuersus. Numerus poeticus aequaliter vbique seruatur: oratorius non item, qui liberrimus est, ac periodorum maxime respicit finem. Poeticus ille sui similis est: dissimilis oratorius necessario esse debet. Poeticus tempora et vim syllabarum curat: oratorius vero terminis augustioribus continetur, qui eleganti et libera vocum atque orationis partium compositione gratum auribus concentum atque sonum pari maiestate sententiis respondentem continet. Genus cuique suum placet. Et virtutes requirit vnumquodque peculiares, de quibus consuli possunt multae multorum poeticae institutiones. Hoc vero, vt generatim aliquid moneam, de compositione tenendum est; tum literarum iuncturam, tum pedes ipsos ita rebus accommodari debere praesertim in epico illo genere delicatissimo, vt geri potius, quam cani; spectari magis, quam audiri videantur. Dactyli ex.

b) Polyhist. lit. l. 3. c. 11. p. 631. seqq. Confer. HERMOGENES de formis l. 2. c. 4. p. m. 404. Et GOCLENIVS Lat. linguae obseru. pag. 40. seq. c) Loc. cit.

ex. gr. multi apti ſunt ad deſcribendam celeritatem : vt Tibvllvs *d*) turbinis celeritatem ſcite propoſuerit:

Namque agor, vt per plana citus ſola verbere turbo.

Vbi tres continui dactyli celeritatem apprime indicant. Hac in re Virgilium incomparabilem reperimus artificem, qui *e*) de equo Troiano:

Illa ſubit, mediaeque minans illabitur vrbi.

In fuga temporis ſignanda: *f*)

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Impetum ad certamen ruentium deſcribit: *g*)

Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,
Haut mora, proſiluere ſuis: ferit aethera clamor.

Cum claſſicum canitur: *h*)

At tuba terribili ſonitu procul aere canoro.

In Turnifuga: *i*)

Ni fuga ſubſidio veniat: fugit ocior euro.

In curſu incitato equi: *k*)

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.

Contra, quum tarditas et mora, māieſtas item et auctoritas alicuius perſonae ſpondeis optime reſpondeant, apprime ſcribit de fabris ictus inter ſe magna cum difficultate iactantibus: *l*)

Illi inter ſeſe magna vi brachia iactant.

Cum equus Troianus in vrbem introduceretur: *m*)

Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.

Ad demonſtrandam Latini in iuuene Turno placando maieſtatem: *n*) *Olli ſedato reſpondit corde Latinus.*

De langueſcente et monſtro ſimili Polyphemo: *o*)

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

§. XXVI.

d) Lib. 1. eleg. 5. e) Aeneid. l. 2. f) Aeneid. l. 3. g) Ibid. l. 5. h) Aeneid. l. 9. i) Ibid. l. 12. k) Ibid. l. 8. l) Georg. l. 3. m) Aeneid. l. 2. n) Aeneid. l. 9. o) Aeneid. l. 3.

§. XXVI.

Stilus historicus, vt ſupra monui, idem fere eſt, qui tenuis et medius. Conuenit cum tenui, quando hiſtoricus breui rerum geſtarum narratione aliquid ſtudet memoriae prodere, vt qui poſt eam aetatem viuunt, aliquam iſtius notitiam habeant. Mediocritatem hiſtoricus amat, ſua ſcripta magis ad delectationem comparaturus: tum enim res geſtas paulo ornatius exponit, regiones deſcribit atque pugnas locupletius et maiori verborum apparatu; hinc inde ſuos etiam ſermones dictaque cum factis Imperatorum recenſet; cohortationes et perſuaſiones miſcere, expoſitionibusque rationes addere ſtudet. In concionibus quidem, illis praeſertim ad motus animorum regendos comparatis, etiam ſtili ſublimitas valet: vt e re nata ſupra genus tenue ac medium aliquando periodi et membra eleuentur, atque oratio vehementius aſſurgens, ſuis limitibus circumſcribi numeroſius ſentiatur. *p)*

§. XXVII.

Stilus familiaris, quem in colloquiis et epiſtolis valere, vſu quotidiano videmus, vulgo etiam tenuis vocatur. Vnde CICERO: *q) veruntamen qui tibi ego in epiſtolis videor? nonne plebeio ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio, aut concioni? quin ipſa iudicia non ſolemus omnia tractare vno modo: priuatas cauſſas, et eas tenues, agimus ſubtilius: capitis aut famae, ſcilicet ornatius. Epiſtolas vero quotidianis verbis texere ſolemus.* Stilus ille familiaris ab oratorio diſcrepat ita, vt duo tantum orationis genera eſſe, veteres quidam

p) De hiſtoriarum tractatione videatur MASSENIVS palaeſtr. orat. l. 2. c. 13. p. m. 297. ſeqq. l. 1. c. 36. p. 173. q) Ad famil. l. 9. epiſt. 21.

quidam exiſtimarint. Ita FABIVS : *r*) *eſt ante omnia oratio alia vincta atque contexta : ſoluta alia , qualis in ſermone et epiſtolis. -- Quod non eo dico, quia non illud quoque ſolutum habeat ſuos quosdam et forſitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare ſemper vocalibus, aut deſtitui temporibus volunt ſermo et epiſtola: ſed non fluunt, nec cohaerent, nec verba de verbis trahunt: vt potius laxiora in his vincula, quam nulla ſint etc. At illa connexa ſeries tres habet formas inciſa, quae* κόμματα *dicuntur : membra, quae* κῶλα *&* περίοδον , *quae eſt vel ambitus, vel circumductum, vel continuatio , vel concluſio. s*)

§. XXVIII.

De *ſtilo philoſophico* audiamus CICERONEM in oratore perfecto *t*) differentem. *Quanquam* , inquit, *philoſophi quidam ornate locuti ſunt -- tamen horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios ac forenſes habet. Loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt, quam incitare. Sic de rebus placandis, ac minime turbulenti docendi cauſſa non capiendi loquuntur, et in eo ipſo, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam neceſſe ſit, facere videntur. -- Mollis eſt oratio philoſophorum et vmbratilis, nec ſententiis , nec verbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris ; ſed ſoluta liberius, nihil iteratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum: caſta, verecunda, virgo incorrupta, quodammodo itaque ſermo potius quam oratio dicitur*, etc. In hoc dicendi genere CI-

r) Inſtit. orat. l. 9. c. 4. s) Confer. ARISTOT. Rhetor. l. 3. c. 9. cum ANTON. RICCOBONI et PETRI VICTORII commentariis. t) Oratore cap. 19.

CERO non minus excelluit, quam in oratorio: atque filium hortatus est suum, *v*) vt suas non solum orationes, verum etiam de philosophia libros studiose legat: in illis quidem dicendi vim esse maiorem; sed hoc quoque colendum esse aequabile et temperatum orationis genus: quod in Graecis valde desiderauit.

CAPVT VIII.

De Virtutibus atque Vitiis Latinae linguae.

§. 1.

De virtutibus in genere. 2. *De puritate quae est ipsa Latinitas.* 3. *In illa conseruanda maximum inprimis hoc seculo fuit Romanorum studium.* 4. *An Graeca et alia peregrina sint in sermone Latino admittenda.* 5. *De analogia et vsu.* 6. *De barbarismis.* 7. *De orthographia.* 8. *De Romanorum notis.* 9. *De vocalium distinctione.* 10. *De interpunctione.* 11. *De numerorum notis.* 12. *De Kalendario.* 13. *De sermone rustico.* 14. *De soloecismis.* 15. *De archaismis.* 16. *De fictis atque nouis in sermone dictionibus.* 17. *De artium vocabulis.* 18. *De hybridis.* 19. *De idiotismis.* 20. *De recta pronunciatione.* 21. *De perspicuitate.* 22. *De suauitate.*

§. I.

Exposita characterum diuersitate, videamus nunc quoque affectiones stili, et ornamenta, quae vulgo χάριτες vocantur, et omnibus orationis generibus communia sunt. Et operam dabimus, vt quae in rhetorum libellis vbique sunt obuia, minime multis verbis absoluantur. Numerant τῶν χαρίτων et vir-

v) De officiis l. 1, c. 1.

virtutum in quouis dicendi genere tres fere ſpecies, *puritatem*, *perſpicuitatem*, et *ſuauitatem*, quae et venuſtas dicitur. Illarum opera et auxilio tandem oratio emendata, dilucida, ornata atque adeo perfecta eſſe poteſt. FABIVS: *a*) *quam Graeci* φράσιν *vocant, Latine dicimus elocutionem. Eam ſpectamus in verbis, aut ſingulis, aut coniunctis. In ſingulis intuendum eſt, vt ſint Latina, perſpicua, ornata et ad id, quod perficere volumus, accommodata. b*) CICERO ille verus eloquentiae magiſter: *c*) *quinam*, interrogat, eſſet *dicendi modus melior, quam vt Latine, vt concinne, vt ornate, et ad id quodcunque agetur, apte concruenterque dicamus?* Ille vero *Latine* dicit, qui, ad ſermonem componendum, non niſi voces et locutiones vere Romanas adhibet. *Concinne* dicit, qui ſelectas eiusmodi locutiones ad periodorum menſuram diſponit commode. Neque ſatis placet ille, niſi *ornate* ſimul etiam dicat, h. e. tropis, figuris, pro re nata elegantiis aliis vtatur: vt oratio admirationi eſſe poſſit. Denique *concruenter et apte* dicit, qui nunquam a decoro aberrat, ſed rebus accommodat ſtilum recte, eiusque pro circumſtantiis formas variat. Alio ſtilo epiſtolas, alio panegyricos et orationes, alio hiſtorias, alio diſſertationes, alio ad principes, alio ad familiares ſcribere debemus. Aliud orationis genus requirunt docti, aliud vulgus et ignaui. Docto, qui ſententiis acutis et reconditis delectatur, ſatis eſt rem indicaſſe,

a) Inſtit. orat. l. 8. c. 1. CICERO de oratore l. 1. c. 32. "Audieram etiam quae de orationis ipſius ornamentis traderentur, in qua praecipitur primum vt pure et latine loquamur, deinde vt plane et dilucide, tum vt ornate etc. b) Confer. eiusd. l. 1. c. 5. ab exord. c) De oratore l. 3. c. 10.

caſſe, quam rudi ac minus culto dilatare debemus. Imo et locis, et tempori, et rebus, et perſonae vtriusque ſexus et aetati ſemper reſpondere ſtilum ſcribentis intereſt atque dicentis. Quibus qui peccat, omnem orationis laudem amittit. Exemplo nobis ipſe Tullius eſſe poteſt. Ille non vnius modi eſt, neque in orationibus, neque in aliis, quorum ad nos plurima, maximo commodo noſtro, peruenerunt, ſcriptis rhetoricis atque philoſophicis. Vel ſumamus eius epiſtolas, quae ſcriptae ſunt ad familiares, et genus orationis habent peculiare: ſed tamen facile obſeruatur, aliis alias grauiores eſſe, alias morato dicendi charactere, alias rurſum orationibus haud impares. Inde videre licet, quomodo ſcribendum ſit ad Imperatorem, quomodo ad Conſulem, quomodo ad amicum, et eum valde familiarem, quomodo item ad filium et vxorem, in quibus, vt ſupra aliquoties dictum fuit, egregia obtinet dictionis varietas. Epiſtolae Ciceronis ad Atticum ſcriptae, non quidem, quod alii putant, illis ad familiares datis ſunt grauiores: ſed in illis ſunt quaedam ſubtiles, atque multis in locis arcana, neque omnibus primo intuitu obuia rerum et ſtatus Romani quaſi aenigmata proponunt.

§. II.

In viam vt redeamus, *Puritas*, quae κατ' ἐξοχὴν *Latinitas* vocatur, nihil aliud eſt, quam incorrupte ſecundum Romanam conſuetudinem dicendi vel ſcribendi ratio. Ita CORNIFICIVS: *d*) *Latinitas*, inquit, *ea eſt, quae ſermonem purum conſeruat ab omni vitio remotum.* Et S. PROSPER: *e*) *ea eſt, ni fallor, iudicata Latinitas, quae breuiter et aperte, obſeruata*

ſeruata

d) Rhetor. ad Herennium l.4. c.12. e) Lib. 3. de vita contempl. cap. vlt.

seruata duntaxat verborum proprietate , res intelligendas enunciat , non quae vernantis eloquii venustate luxuriat. Cum ergo pura et casta Latina lingua esse debeat , non sit, quando regulis Grammaticorum videtur esse satis congrua, sed tum demum, quando genium ac natiuum quid suae nanciscitur ciuitatis : i. e. quando Latina, et Romae, cum in maximo flore suo subsisteret, nata non solum verba singula, sed etiam coniunctas dictiones et formulas omnino Latinas habet. *f*) Nullus in oratione locus hoc aeuo Latinitatis felicissimo sua vacabat laude : seu, quod optimis LL. auctoribus idem est, virtute; nihil erat vitiosum. Prima omnium virtus in oratione est Latinitas. Oportet enim Latine et bene loquamur. Aliud vero est latine, aliud bene loqui. Hoc Romanorum equitum et Senatorum erat in vrbe, vbi maximus tum obseruatus est sermonis flos atque nitor; illud oppidorum et minorum Italiae ciuitatum erat. Hinc differentiam insignem statuunt inter oppidanam et vrbanam latinitatem, adeo vt ipse Tullius in Bruto notarit quosdam oratores oppidanos , et Asinius Pollio quidam Liuium Historicum patauinitatis incusauerit, ac dicendi rationis a qua tum abhorrebat castitas sermonis Romani , qui κατ' ἐξοχὴν Latinus audiebat. Habet enim ille sermo Romanus natiuum quid, quod difficulter peregrini assequuntur. *g*) Nec immerito hinc C. Iulius Caesar, summus Imperator, cuilibet studioso Latinae linguae hoc primo analogiae libro commendat: *h*) *habe semper in memo-*

 ria

f) Vid. elegantissima FACCIOLATI oratio, quod Latinitas non sit ex Grammaticorum libris discenda. g) Vid. QVINTILIANVS instit. orat. l. 1. c. 5. et l. 8. c. 1. SALMASIVS in funere linguae Hellenisticae p. 236. MORHOFIVS de Patauinitate Liuii tractatu singulari cum aliis eius dissertationibus euulgato Hamb. 1699. 4. h) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 1. c. 10.

ria atque in pectore vt tanquam ſcopulum ſic fugias inauditum atque inſolens verbum. Et CICERO Pater eloquentiae: *i*) *Nos autem, Brute, quoniam poſt Hortenſii, clariſſimi oratoris, mortem, orbae eloquentiae quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia, et hos ignotos atque imprudentes procos repudiemus, tueamurque vt adultam virginem caſte, et ab armatorum impetu, quantum poſſumus, prohibeamus.*

§. III.

Pereximiam ipſi Romani vocum ſingularum habuerunt curam, vt ſermonis proprietatem vbique ſartam tectamque ſeruarent. *k*) Res quam clariſſima fuerit exemplis, quae dabimus pauca: omnia enim decenti modo perſequi, conſtat infiniti laboris conatus fore. Omnibus vel ex TERENTIO *l*) nota eſt propria *aegritudinis* ſignificatio, quod ſit animi aegri affectio atque dolor; et non perinde vt *aegrotatio* ad corporis morbos transferatur. Eam ſignificationem CICERO quam maxime vſu cuſtodiuit. Ille, *turbidi*, inquit, *m*) *animorum motus important aegritudines anxias atque acerbas.* Item: *n*) *Culpa contractum malum aegritudinem acriorem facit.* Sed omnium accuratiſſime: *o*) *Vt aegrotatio in corpore, ſic aegritudo in animo nomen habet non ſeiunctum a dolore.* At ſequioris aeui ſcriptores eam linguae Latinae caſtitatem vix ſatis obſeruare potuerunt: legimus enim apud CVRTIVM *p*) *animum aegritudo corporis vrgebat:* apud TACITVM, *q*) de aduerſa

i) De claris oratoribus ad M. Brutum c. 96. k) Confer. huius tract. part. 1. c. 1. §. 34. ſeqq. l) Heaut. A. 3. S. 1. v. 13. Phorm. A. 5. S. 1. v. 24. m) Tuſc. quaeſt. l. 4. c. 15. n) Tuſc. l. 3. c. 22. Confer. Tuſc. lib. 3. cap. 4. 9. et 12. l. 4. c. 13. Ad Attic. l. 9. epiſt. 4. o) Tuſc. l. 3. c. 10. p) Lib. 3. c. 5. q) Annal. l. 2. c. 69.

aduerſa corporis valetudine: *tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rurſum Germanico acciderat.* Proprie *iucundus* non alius dicitur quam qui ex vſu et opera ſua gratus alteri et voluptati eſt: CICERO enim a *iuuare* illius originem fecit, *r*) ac ſatis clare natiuam ipſius vim ex oppoſitione adiunctorum demonſtrauit: *s*) *omnis amor tuus — non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus et optatus: NB. dicerem iucundus, niſi id verbum in omne tempus perdidiſſem — quod illius tanti vulneris quae remedia eſſe debebant, ea nulla ſunt.* Neque aliter intelligendus eſt CICERONIS locus *t*) vbi de Nicia *v*) *cur ego*, inquit, *illi moleſtus eſſe velim, quum mihi ille iucundus eſſe non poſſit.* Warum ſolte ich ihm beſchwerlich ſeyn / da er mir nichts helffen kan. Quam egregie idem vulgo notam, quae inter *vrbem* atque *ciuitatem* eſt, differentiam vbique notauit. Ita: *x*) *liberaſti et vrbem periculo, et ciuitatem metu.* Alibi: *y*) *Praetor eſſe non videor, quia ſapiens non ſum, nec haec vrbs, nec in ea ciuitas* etc. *Amare* animi affectum maiorem innuit, quam *diligere: z*) ecquis magis proprie, quam idem ille noſter eloquentiae parens, inter veteres dixit: *a*) *Clodius tribunus plebis deſignatus valde me diligit, vel vt* ἐμφατικώτερον *dicam, me amat.* Rurſum: *b*) *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe.* In foro Romano praecipue dicebatur Conſul *referre*, quod erat ſuperioribus aliquid iudicandum aut deliberandum narrare. Ita

r) De finibus l. 2. c. 4. s) Ad famil. l. 5. epiſt. 15. t) Ad Attic. l. 12. epiſt. 1. v) De quo vid. SVETON. illuſtr. Gramm. c. 14. x) Ad famil. l. 9. epiſt. 14. y) Acad. quaeſt. l. 4. c. 45. z) Confer. NONIVS cap. 5. n. 3. a) Ad Brutum epiſt. 1. b) Ad famil. l. 9. epiſt. 14.

Ita CICERO: *c) refer, inquis, ad Senatum. id postulas: et si hic ordo sibi placere decreuerit, te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam id, quod abhorret a meis moribus.* Atque adeo Consul referebat ad Senatum populumque Romanum. Senatus dicebatur *rogare* populum, ea, quae proponebantur interrogando, an velit, iubeat etc. Adeoque CICERO: *d) mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni prouincia rogata est.* LIVIVS *e) comitia consulibus rogandis fuerunt.* PLAVTVS: *f) Leges rogatas rumpere.* Hinc etiam *rogatores* dicebantur, qui ciſtam in comitiis deferebant, in qua tabellas sententiarum colligerent. CICERO: *g) quando*, inquit, *illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodesque vidistis?* Diribitores autem et distributores fuerunt, qui ante distribuebant tabulas, in quibus suffragia perscriberentur. Custodes, qui obseruabant, ne quid fraudis admitteretur. Populus dicebatur *iussisse* vel *sciuisse*, quod super facta rogatione constituisset: nam et magistratus populum rogaturus hac vtebatur formula: *velitis, iubeatis*; et leges ipsae siue decreta populi, *iussa* et *scita pop.* et *plebiscita* appellabantur. *h)* Hinc CICERO: *i) responderem Legem populum Rom. iussisse de ciuitate tribuenda.* Et BRVT. *k) quod nondum Senatus censuit, nec pop. Rom. iussit, id arroganter non praeiudico, neque reuoco ad arbitrium meum:* LIVIVS: *l) Plebiscitum est factum, rogantibus tribunis.* Alibi: *m) in controuerso iure erat, teneren-*

c) Orat. Catil. 1. c. 8. d) Orat. pro Sextio. c. 24. e) Histor. l. 38. cap. 42. A. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 24. "Lex deinde Licinia rogata est." f) Curcul. A. 4. S. 2. v. 24. confer. GELLIVS noct. Attic. l. 10. c. 20. g) Orat. post reditum in senatu cap. 11. h) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 5. c. 19. l. 10 c. 20. i) Orat. pro Balb. c. 17. k) Apud CICER. epist. ad Brut. 10. l) Hist. l. 31. c. 50. m) Lib. 3. c. 55.

renturne patres plebiscitis. Et CICERO : *n*) *plebiscitis toties consularem potestatem minui.* Sic quoque *populiscitum* apud LIVIVM *o*) CORN. NEPOTEM *p*) et alios obuenit. Tribunus plebis dicebatur *intercedere*, i. e. se opponere et impedire: quod illi saepe concessa sibi potestate abutebantur, ac refractarie patrum sententiis resistebant. *q*) Hinc CICERO : *r*) *cum Cato et Caninius* duo tribuni plebis *intercessissent* etc. Idem : *s*) *vtinam semper esses tribunus, intercessorem non quaereres.* CAESAR : *t*) *intercessit M. Antonius, Q. Cassius tribuni plebis: refertur confestim de intercessione tribunorum* etc. Dictator, penes quem summa Romae potestas, cum in summis periculis remedii loco assumeretur, dicebatur *dici.v*) Hinc LIVIVS : *x*) *Senatus extemplo* (*quod in rebus trepidis vltimum consilium erat*) *dictatorem dici iussit.* Rursum : *y*) *Senatus dictatorem claui figendi caussa dici iussit. Dictus L. Manlius imperiosus* etc. Nec longe post ea : *z*) *terror dictatorem dici coegit. Dictus in castris C. Iulius.* Flamen dicebatur *prodi*; *a*) virgo vestalis *capi*: *b*) haec enim prehensa maximi pontificis manu a parente, in cuius potestate erat, velut capta bello, abducebatur: quanquam pontifices ipsi, flaminesque ac augures, teste GELLIO *c*) *capi* dicerentur. Quibus adeo videre licet,

n) De orat. l. 2. c. 48. o) Hist. l. 45. c. 25. p) Alcibiad. c. 5. Epamin. c. 7. quamuis sciam vtrobique a Boeclero et aliis *plebiscitum* legi. q) *Intercedere* proprie nihil aliud est quam ingerere se aut medium interiicere, suamque sententiam interponere: id siue modeste siue contradicendo violenter fiat. r) Ad famil. l. 1. epist. 2. s) Ad famil. l. 7. epist. 27. t) Ciu. l. 1. c. 2. v) Vid. VARRO de lingua Lat. l. 4. c. 14. et l. 5. c. 7. x) Hist. l. 4. c. 56. y) Lib. 7. cap 3. z) Lib. 7. cap. 21. extr. confer. SVETON Caesar. c. 9. a) Vid. CICERO orat. pro Milone cap. 10. b) Vid SVETON. August. c. 31. et GELLIVS noct. Attic. l. 1. c. 12. c) Loco citato.

licet, quam ſolliciti fuerint ſcriptores elegantiſſimi in puritate ſermonis patrii conſeruanda, repudiendaque omnis barbariſmi vel peregrinitatis, cuiuscunque ea demum fuerit generis, peſſima conſuetudine. Quanto magis nunc, poſtquam paſſim locorum proh dolor! obrepente barbarie, deſitum eſt in ipſa vrbe Latine loqui; debemus verborum delectum et curam habere: vt a priſtinae Latinitatis et linguae Romanae elegantia ne hilum quidem abeſſe videamur.

§. IV.

Puritas L. L. vt ſarta et tecta habeatur: illius cuſtodes Graeca in idiomate ſuo non facile admittebant: et ſi quid eiuſmodi ſe forte fortuna illis offerebat, illud Latine transferre, quam, quod vſu crebriori nunc venit, vnam diuerſarum linguarum vocibus ſententiam ſuam conſpurcare malebant. Vulgo notum eſt ENNII: *Nec quisquam ſophiam, ſapientia quae perhibetur.* Et ipſe TVLLIVS, *d*) idem exprimit eleganti colloquio: M. *Dicam, ſi potero Latine. Scis enim, me Graece loqui in Latino ſermone non plus ſolere, quam in Graeco Latine.* A. *Et recte quidem. Sed quae tandem eſt Epicharmi iſta ſententia?* M. *Emori malo, ſed me eſſe mortuum, nihil aeſtimo.* Quem verſum Epicharmi potuiſſet, vti eſt, Graeca lingua recitare:

Ἀποθανὲν οὐ ἢ τεθνᾶμεν, οὔ μοι διαφέρει.

Vel ſi quid Latine dici minus apte potuerit, legimus idem pluribus expoſitum fuiſſe. Quod etiam TVLLIVS noſter monuit ac ſuo exemplo inſignem vocum Latinarum curam haberi voluit: *e*) *equidem*, inquit, *ſoleo etiam, quod vno Graeci, ſi aliter*

d) Tuſc. quaeſt. l. 1. c. 8. e) De fin. bon. et mal. l. 3. c. 4. et c. 16. „iam hoc ipſum inſtituamus vt placuit, pluribus verbis dicere quod „vno non poterimus, vt res intelligatur.

aliter non possum, idem pluribus verbis exponere. Eadem ratio est in aliarum gentium vocabulis, quae prorsus interest repudientur ab eo, qui Latinitatis atque adeo purioris linguae in omni oratione studiosus esse cupit. Verumtamen aliquando etiam licet, veterum et optimorum huius aeui scriptorum exemplo, in Latina lingua vocibus non Latinis vti. Si scilicet (1) iam sunt vsu receptae. Ita enim Cicero: *f) quanquam*, inquit, *ea verba, quibus ex instituto veterum vtimur pro Latinis, vt ipsa philosophia, vt rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica; quanquam Latine ea dici poterant, tamen quoniam vsu recepta sunt, nostra ducamus.* Sic verba peregrina quoque valent alia, quae barbariem suam exuere, vt *camelus*, quod vocabulum a Syris esse, vir inter Romanos doctissimus docet. *g)* Fabivs autem: *h) plurima*, inquit, *Gallica valuerunt, vt rheda ac petoritum: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius vtitur.* (2) Si quid ceteris volebant esse occultum, scriptitantes ad eos, qui Graeca aliquando vtebantur lingua, spargere Graeca solebant. Qua de re Cicero passim in epistolis, praesertim in illis ad Atticum scriptis, lectores monet. *i)* Idemque porro faciebant (3) vbi aliorum, rei vel probandae vel illustrandae caussa, mentem atque vt vocant loca citare opus fuerat. (4) Latinis nonnunquam obueniebant significantiora. Ita Cicero *k)* nomen Latinum extare negat, quod Graeco vocabulo σωτὴρ respondeat. (5) Retinebant artium nomina, ab auctore vel Graeco, vel barbaro, inuentarum: illa enim vocabula cum rebus ipsis in Latium translata fuerunt. Adeoque Cicero: *l)*

 puto,

f) De finib. l. 3. c. 2. g) Varro de Latina lingua l. 4. cap. 2c. h) Instit. orat. l. 1. c. 5. i) Vid. l. 2. epist. 19. k) Verrina orat. 4. c. 63. l) De finibus l. 3. c. 4. confer. eiusdem libri c. 15.

puto, inquit, *concedi nobis oportere, vt Graeco verbo vtamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis et acrotophoris potius, quam proegmenis et apoproegmenis concedatur, quanquam haec quidem proposita recte et reiecta dicere licebit.* Ibidem: *Ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis vterentur nobis incognitis, vsitatis sibi.* Sed tamen, quantum poterant, omnes eo neruos suos intendere solebant, et verba omnia et vox huius alumnum vrbis oleant: vt oratio Romana plane videatur, non ciuitate donata. *m*)

§. V.

Ea Latinae linguae puritas analogiam produxit, quae est norma et aequalitas, secundum quam ex similibus similia formarunt. Posteaquam enim excoli coepit lingua, institutae sunt quaedam analogicae regulae, ad quas pleraque exigi oportuit. Ita obseruantes a *fructu fructuosum* dici, pari modo a *vultu vultuosum* fecerunt. Vt *voluntarius* est a voluntate; sic *voluptarius*, non *voluptuarius*, a voluptate. Vt a *vino vinosus* est, non vinuosus; sic a *monstro monstrosus*, non monstruosus venit. *Vxoratus* pro eo, qui vxorem duxit, citra consensum antiquitatis et analogiam dicitur: neque enim *vxorare* verbum fingi potest. *Pientissimus* adiectiuum, quod saepius apud GRVTERVM *n*) atque REINESIVM *o*) occurrit, ab omni analogia abhorret: non enim positiuo gradu *piens*, sed *pius* dicitur: vnde formari debuisset *piissimus*: quamuis et hoc verbum CICERO *p*) nouum esse confiteatur, quale omnino nullum in lingua Latina sit. *Meridionalis* vix puta-

m) Vid QVINTILIANVS instit. orat. l. 8. c. 1. n) Inscript. p. 418. n. 1. p. 421. n. 4. p. 466. n. 5. p. 606. n. 9. p. 609. n. 10. o) Inscript. p. 698 747. alibi. p) Philipp. orat. 13. c. 19.

putatur eſſe dictio Latina, ſed *meridialis :* neque enim, vt *ſeptentrio*, ita *meridio* valet. *Valedictorius* vocabulum barbarum, ſed in valedictoriis orationibus frequens, analogia caret : neque enim recte et Latine *benedictorius*, vel ſimile quid dici poteſt. *Propter viam* iſtius loco veteres habent. *Inpraeſentiarum* aduerbium, cui ſimile non eſt in lingua Latina, reperitur non modo apud CATONEM, *q*) TACITVM *r*) atque PRISCIANVM, *s*) verum etiam apud ipſum CORNELIVM NEPOTEM. *t*) Sed ea vox contracta mihi eſſe videtur ex *in praeſentia rerum :* cuiusmodi compoſitae ſunt plurimae, *quamobrem*, *quemadmodum* et ſimilia. IACOBVS PERIZONIVS *v*) aegre fert CHRISTOPH. CELLARIVM *x*) de analogia huius vocis dubitaſſe. Hic vero ſatis modeſte et erudite illi reſpondit. *y*) Ab analogia recedunt etiam *ad inſtar*, *z*) *e contra* et ſimilia : neque enim veterum conſuetudo permiſit, vt praepoſitio aduerbium regat. TACITVM *a*) quidem citant, ſed iam dudum alii obſeruarunt hunc locum mendo laborare : nec alibi vel apud hunc id vocis occurrit. VOSSIVS *b*) putat, hoc natum eſſe per compendium ſcripturae ex *e contrario* vel *et contra* συνθετικῶς *eccontra*. Coniiciunt alii, contractum eſſe ex *ea contra*, quod veteres dixerint ſicut *ea propter* et *propterea*. *c*) *Extrinſecus* et *intrinſecus* idem ſignificant quod *externe* et *interne*, neque, vt vulgo aiunt, ſunt adiectiua, ſed aduerbia, vt etiam *ſecus*, quod in compoſitis apparet. CICERO : *d*) *adhibentur*

 extrin-

q) De re ruſtica c. 144. r) Annal l 4 c 59. n. 4. s) Lib 13. t) Hannib. c 6. n. 2. v) Ad Sanctii Mineruam p. 117. x) Proleg. curar. poſterior. de barbariſmis pag. 11. y) In notis ad citatum Corn. Nepotis locum. z) Vid. VORSTIVS de Latinitate ſelecta p. 24 a) Annal. lib 12. c. 47. b) De vitiis Serm. l. 1. c. 24. c) Confer CELLARII antibarbarus p. 30. et curae poſteriores p. 301. d) Tuſcul. quaeſt. l 4. c. 27.

extrinsecus corporum adiumenta. SVETONIVS: *e*) *adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetiuit.* COLVMELLA: *f*) *vasa intrinsecus et exterius crasse picare.* Vnde praeter analogiam inquinata satis aduerbia ducunt *extrinsece* et *intrinsece:* fortassis quod, pro *externus* et *internus* adiectiuis, *extrinsecus* et *intrinsecus* in lutulentis Scholasticorum lacunis inueniunt. In omnibus optimi seculi praeualet vsus, quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi. Adeoque curiosius oportet notentur ea, quae a communibus praeceptis recedunt, quaeque aliorum auersantur auctoritati. *g*) Etenim illa ex optimorum instituto demonstrata virtus analogica nunquam omnes vsus anomalias deleuit, atque tam altas in quibusdam consuetudo egerat radices, vt nullo modo euelli potuerit. Egregie in hanc rem FABIVS *h*) *non*, inquit, *cum primum fingerentur homines, analogia demissa coelo formam loquendi dedit, sed inuenta est, postquam loquebantur; et notatum in sermone, quid quomodo caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo; nec lex est loquendi, sed obseruatio: vt ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quam consuetudo.*

§. VI.

Primo Graecis *Barbari* dicebantur, qui crasso atque difficili ore loqui, et noua praecipue ac facta recens aspere duriterque pronunciare solebant. *i*) Pari modo Romani, cum rerum essent potiti, omnes, qui non Romani iuris ac ditionis, neque Latine aut Graece loquebantur, barbaros habuerunt et voca-

e) Vespas. c. 12. f) l. 12. c. 43. g) Exempla vide apud GOCLENIVM obseruat Lat. ling. pag. 22. seqq. h) Instit. orat. l. 1. c. 6. i) Vid. STRABO Geogr. l. 14. FESTVS: „ Barbari dicebantur antiqui-„ tus omnes gentes, exceptis Graecis.

vocarunt. Romani enim, ſicut Graeci exiſtimabant, omnes alienigenas extraneosque ore difficili et craſſo loqui: id nominis ergo transferebant ad vniuerſam gentem praeter ſe atque Graecam. Et ipſe TVLLIVS Graeciam Italiamque a Barbaria diſtinguit. *k*) Alibi *l*) *diſerto barbarum* opponit, et *tantam*, inquit, *habebat morum ſimilitudo coniunctionem atque concordiam, vt Apronius, qui aliis inhumanus ac barbarus, iſti vni commodus ac diſertus videretur.* Diſertus autem eſt, qui facile, promte et expedite verba facit: *ſermone* contra *barbarus m*) qui maximo laborat oris vitio: et *barbare loqui n*) aſpere et craſſe quaedam pronunciare. Vnde CICERO: *o*) *omnes, qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur.* Barbariſmus ergo *p*) vitium eſt ſermonis legem atque puritatem corrumpens: apud SVIDAM λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων: *vox praeter conſuetudinem probatorum ſcriptorum vſurpata.* Et inter vitia, quae caſtitati Latinae linguae officiunt, et a quibus, vt plurima ſunt, hodie viri, cetero eruditi, vix ſatis ſibi temperare poſſunt; primo loco barbariſmus ponitur, qui in ſingulis vocibus, vt ſoloeciſmus in coniunctis eſt. Verſatur autem circa orthographiam, proſodiam atque etymologiam. A CORNIFICIO *q*) eſſe dicitur, *quum verbum aliquod vitioſe effertur.* QVINTILIANVS *r*) autem obſeruat, alios barbariſmos ſcriben-

k) De fin. l. 2. c. 15. l) Verrin. orat. 3. c. 9. m) Apud VELLEIVM l. 2. c. 73. n) Apud CICERONEM de fin. l. 2. c. 4. o) De claris orator. c. 74. p) Quam quidem *barbariſmi* vocem genuinam eſſe atque vſitatam ante diui Auguſti aetatem A. GELLIVS negat noct. Attic. l. 13. c. 6. Sed fallitur; et iſtam, quod ſtatim videbimus, Cornificius deſcribit. q) Rhetor. ad Herennium l. 4. c. 12. r) Inſtit. orat.

MVS

ſcribendo fieri, alios loquendo: quia quod male ſcribitur, male etiam dici neceſſe ſit. Ita barbariſmus vitioſa ſcriptura, aut pronunciatione peccat contra vſum atque regulas ab aetate huius linguae optima probatas: quod enim iſta repudiauit, pro barbaro et vitioſo habendum eſt illis, qui caſte et eleganter ſcribere volunt.

§. VII.

Monumenta veterum exhibita ALDVS MANVTIVS iunior orthographiam inſcripſit: qui liber raro reperitur. Praeter Iſidorum, Caſſiodorum, Terentium Scaurum, veteres alios, noſtra aetate CELLARIVS orthographiam edidit, eandemque materiam HALLBAVERVS s) introductione ad exercitationes ſtili Latini pertractauit: qui libri in omnium manibus ſunt et legi merentur. Vtinam huius aetatis libros haberemus ita deſcriptos, vt ab auctoribus primum vulgati fuerunt. Sed orthographia conſuetudini ſeruit, ideoque ſaepe mutata eſt. t) Codices MSCti vetuſtiſſimi plerique interiere; ab librariis ſunt reliqui perperam deſcripti, atque miſere ab aliis atque aliis pro ingenio ſuo maculati. Quare veterum monumenta probe diſtinguenda ſunt. Accuratiſſimam ſcribendi rationem in nummis et marmoribus habemus. Sed illa quaedam tradunt pauciſſima et ſcatent plerumque erroribus, qui non ipſis quidem rerum auctoribus, ſed indoctis lapicidis et opificibus tribuun-

l. 1. c. 5. Pluribus conferatur eiusdem l. 1. c. 9. GELLIVS l. 13. c. 6. ERASMVS de copia verb. l. 1. cap. 10. VOSSIVS de vitiis ſermonis l. 1. c. 1. PRASCHIVS de barbariſmis p. 26. CELLARIVS cur. poſt. proleg. p. 6. WALCHIVS hiſt. crit. L. L. c. 2. §. 9. HALLBAVER vom lateiniſchen Stilo part. 2. c. 2. pag. 273. ſeqq. s) Einleitung in die nützlichſte Ubungen des Lateiniſchen Stili pag. 187. ſeqq. t) QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 1. c. 7.

tribuuntur. *v*) Vocum analogiae et deriuationibus nunc aliquo modo confidendum eſſe exempla probant. *Alucinari*, non *Hallucinari*, ſcribendum, quaſi a luce aberrare, aut videndo falli. Vnde FESTVS *Alucinationem* errationem interpretatur. *x*) Quamuis ego ſciam id vocis BECMANNO *y*) deriuari ab *Hallux* ſiue *Hallus*, qui eſt apud FESTVM pollex pedis ſcandens ſuper proximum, dictus a ſaliendo: nam ἅλλομαι *ſalio* ſignificat. *Ancora*, non *anchora*, ſcribendum: eſt enim vox Graeca ἄγκυρα, dens ferreus ingenti mole, quo ſiſtuntur aut retinentur naues. *Arceſſo* plerisque hodie *accerſo* non ſatis accurate ſcribitur: eſt enim ab antiquo *arcio*. Imo volunt alii *accerſo* differre ab *arceſſo*; et hoc idem eſſe quod *arceo*, illud vero quod *aduoco*. *z*) *Auctor*, non *author*, ſcribendum: eſt enim ab *augeo*, *auctum*, quod aliquando ſignificat *procreare*: vt qui librum edit, quaſi foetum ingenii ſui, *auctor* dicatur. *Autor* alii ſcribere malunt, atque hoc vocabulum ex Graeco αὐτὸς deriuare. *Caeremonia* ſcribitur ab illis, qui hanc vocem a Tuſciae oppido *Caere* vel *Caerite* deriuant. *a*) Alii, quos inter IOSEP. SCALIGER eſt, *b*) eam ab antiquo *cerus* deducunt, quod ſanctum ſignificat, et *ceremonia* ſcribere malunt. *Cecidi*, non *caecidi*, ſcribendum: mutatur enim *a* in *i*, ſed *e* primae ſyllabae eſt ab augmento, vt in *fefelli*, *pependi*. *Comiſſari*, non recte *commeſſari*, ſcribitur: eſt enim a Graeco κωμάζω, a coena bibere, et foris quidem maxi-

v) Vid. das geöfnete Antiquitäten-Zimmer part. 1. c. 6. in des eröfneten Ritter-Platzes 2ten Theile. x) Confer. NONIVS c. 2. n. 406. et A. GELLIVS l. 16. c. 12. y) In originibus LL. z) Perperam ita diſtingui BONGARSIVS demonſtrat ad Iuſtin. l. 1. c. 4. n. 5. a) Vid. FESTVS h. v. VALERIVS MAX l. 1. c. 1. e. 10. b) Caſtig. ad Feſtum.

me. Vnde FESTVS: *comiſſatio a vicis, quos Graeci κώμας dicunt, appellatur, in his enim habitabant prius quam oppida conderentur, quibus in locis alii alios conuictus cauſſa inuitabant. Conuicium*, non *conuitium*, ſcribendum: eſt enim a *voce* quaſi *conuocium*. PHAEDRVS: *c*)

Clamorem ranae ſuſtulere ad ſidera,
Conuicio permotus quaerit Iupiter.

Vnde patet clamorem et conuicium idem eſſe: hoc quidem proprie inordinatum quid et voces multorum inter ſe colliſas ſignificare. *Exſpecto* et *Exſpolio* verba promiſcue vulgo cum S vel ſine S interpoſito ſcribuntur: ſed plane aliud eſt *expecto* et *expolio*, quam *exſpecto* et *exſpolio*. *Expecto* idem eſt quod pectine euello, ausfämmen: *d*) *exſpecto* autem a *ſpecto* compoſitum eſt. Ita *expolio* politum reddo; *exſpolio* ſpolium committo. *Hereditas*, non *haereditas*, ſcribendum: *heres* enim antiquis pro domino dictus eſt, quaſi *herus*. *e*) Ita filius familias, qui heres eſt, *herus minor*, *f*) et pater familias ad differentiam *herus maior* dicebatur. *g*) *Lacruma* vel *lacryma* ſcribendum, non *lachryma*, a Graeco δάκρυον. *Litera*, non *littera*, a *litura*. *Obſcoenus* ſcribendum, non *obſcaenus* aut *obſcenus*, vt variant, qui hoc verbum ab *ſcena* deducunt: *h*) deſcendit enim a κοινέω *inquino*. *i*) *Seculum*, non *ſaeculum*, a *ſequor*; *ſcorſum*, non *ſcorſim*, a *ſe* et *vorſum*. *Tropaeum*, non *trophaeum*, a τέτροπα. Sexcenta alia. Atqui etiam in his non ſemper tuta fides: et facile potuit eſſe antiquis alia atque alia ſcribendi ratio, quae noſtram aetatem

c) Lib. 1. fab. 7. d) QVINTILIANVS inſt. orat. l. 1. cap. 7. e) FESTVS h. v. f) Apud PLAVTVM Aſin. A. 2. S. 2. v. 62. g) Apud eundem captiu. A. 3. S. 5. v. 50. Trinum A. 2. S. 2. v. 53. h) VARRO de Latina lingua l. 6. c. 5. i) Confer, SCALIGER de cauſſis LL. l. 1. c. 34.

aetatem fugit. *k*) Procul dubio *triumphus* eſt a Graeco θρίαμβος, attamen quis contra vſum politioris ſeculi nunc ſcriberet *thriambus*, vel *triumbus*? ſed *triumphus*, olim etiam *triumpus*, obtinuit. *l*) Hinc GIFANIVS: *m*) *de Graecis verbis, iisque omnibus, quae Graeca ſunt origine, ſed Romana prorſus iam facta, recte exarandis, longe alia mihi, quam quae vulgo eſt ſententia. Puto ea, quae in vetuſtis codicibus vno conſenſu, licet Graeca, Romano more ſunt exſcripta, itidem a nobis ſcribi debere, vt ſua cuique relinquatur et vindicetur conſuetudo. Quae autem Romana iam ſunt vocabula, licet Graeciae originem debeant ſuam, non ideo tamen ſcripturam ſequi debent.* Eadem et maior libertas vſui aſſeritur in vocabulis pure Latinis ex inſtituto maiorum et optimi ſeculi deſcribendis. *n*) GOTHOFREDVS VOIGTIVS Latinitatis corruptae et incorruptae indice IV. vocabula quaedam propoſuit, quae perperam ſcribuntur; ſed in pleriſque ipſe non ſatis accuratus eſt. Non poſſum non, quod aiunt, nunc tribus verbis, in tranſitu occaſione literarum notare, iſtas Romanorum verſales, quibus ſolis vtebantur, nunquam admittere I. aut V. aeui recentioris inuentum; neque AE. OE. continuas diphthongos, quae nullius auctoritatis ſunt: in illa vero, qua nunc vtimur vulgo, typorum forma minori v. et u. loco non figura diſtingui; literis ſemper ab initio vocum v. in medio u conſtitutis hoc modo: *iuuenem praeſtantiſſimum vrgeri videmus, vt ſuauior et ceteris familiae ſuae doctior euadat.* Romane: IVVENEM. PRAESTANTISS. VRGERI. VIDEMVS. VT. SVAVIOR. ET. CETERIS. FAMILIAE. SVAE. DOCTIOR. EVADAT.

 Fruſtra

k) Vide noſtrum ſpicilegium literarium. l) Teſte CICERONE orat. cap. 48. m) Praefat. ad Lucretium. n) DORNMEIER de vitioſo Ciceronis imitatore §. 41. pag. 45. ſeq.

Fruſtra etiam, id enim eſt nouum inuentum in ablatiuis primae et ſecundae declinationis, itemque in aduerbiis in *e, o*, et *um* definentibus aliisue particulis quidam quaſi accentus ſcribitur: quod iam dudum ab eruditiſſimis perſibilatum fuit. Perperam ac illis affectatur orthographia, qui contra veterum praecepta et vſum, euphoniae non habita ratione, duriorum in compoſitione literarum concurſus pridem exſtirpatos ſtudent ex orco reuocare, ac ſcribere malunt *abferò* quam aufero, *adcipio* quam accipio, *conlega* quam collega, *conloco* quam colloco, *conruit* quam corruit, *adſeſſor* quam aſſeſſor, ſexcenta huius furfuris alia. CICERONEM o) eloquentiae magiſtrum audiant, qui *impetratum eſt*, inquit, *a conſuetudine, vt peccare ſuauitatis cauſſa liceret, et pomeridianas quadrigas, quam poſtmeridianas libentius dixerim, et mehercule quam mehercules. — Ipſum meridiem, cur non medidiem? credo quod erat inſuauius. — Quid ſi etiam abfugit turpe viſum eſt, et abfer noluerunt, aufer maluerunt? quae praepoſitio praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperitur*, etc. Nec ſuperſtitionis effugiunt notam, qui antiqua retinent, quorum vſus hoc Latinitatis tempore feliciſſimo nullus fuit, *voſtrum, parteis, heic feminai, cottidie*, cetera, quorum farraginem habemus in noſtris de pueritia et adoleſcentia LL. diſſertationibus. Nec illi ferendi ſunt, qui praeter conſuetudinem, cui ſcribendi ratio ſeruit, analogiam ſibi peculiarem fingunt, ac ſcribere malunt *labſus* quam lapſus, *adtribuo* quam attribuo, *ſcribſit*, quam ſcripſit, contra *ſumpſit* quam ſumſit. Ad diuiſiones vocum rectius ſcri-

o) Orator. cap. 47.

ſcribendas quod attinet, operae pretium eſt vt notemus, ita omnia vocabula eſſe diuidenda, vt patitur iſtorum origo et compoſitio. *p*) Sic ſyllabas diſtrahere licebit, ***ab-igo***, ***abs-condo***, ***abs-traho***, ***ad-oro***, ***alter-uter***, ***co-gnoſco***, ***per-eo***, ***et-iam***, ***pot-eſt***. In primitiuis atque ſimplicibus vulgaris ſyllabarum ratio habenda eſt.

§. VIII.

Veterum orthographiam non parum obfuſcarunt notae ſiue ſiglae, in eum maxime vſum inuentae, vt quicquid pro concione vel contentione, aut in iudiciis diceretur, ſcriberent complures ſimul adſtantes librarii, diuiſis inter ſe partibus, quot quisque verba, et quo ordine exciperent. *q*) Eiusmodi vulgares notas primum Ennius mille et centum inuenit. Poſt eum Tullius Tiro Ciceronis Libertus veteribus illis alias addidit ſed praepoſitionum tantum, atque obliteratum iſtarum vſum poſtliminio reſtituit. *r*) Vnde notas primum reperiſſe apud EVSEBIVM in Chronicis dicitur. Hoc liberti ſui inuento vſus Cicero, Catonis Vticenſis orationem in Caeſarem a notariis ſcribi iuſſit. *s*) Tironem deinde ſunt alii ſecuti, Tertius Perſannius, Philargius et Aquila, Maecenatis libertus, cuius inuentum DIO *t*) ipſi Domino adſcripſit. Illis denique ISIDORVS *v*) ſubiicit Senecam, quem, ait, contracto

 omni-

p) FABIVS inſtit. orat. l. 1. c. 7. q) Vid. ISIDORVS Orig. l. 1. c 21. Hinc *notariorum* nomen. QVINTIL. inſt. orat. l. 7. c. 2. MARTIALIS l. 5. epigr. 53. & l. 10. epigr. 62. LIPSIVS Cent. 1. ad Belgas epiſt. 27.

r) Vid. ISID. l. c. s) Teſte PLVTARCHO in Catonis vita. Hinc forte inductus Trithemius l. 6. polygraphiæ p. 599. Ciceronem ait volumen de notis edidiſſe ſuoque inſcripſiſſe filio. Atque etiam P. BEMBVS hanc artem a Cicerone inuentam & in magno honore diu habitam eſſe putat, Famil. epiſt. l. 5. epiſt. 8. t) Lib. 55. v) l. c.

omnium digeſtaque et aucto numero, opus effeciſſe in quinque millia. Vtrum vero Seneca hoc praeſtiterit philoſophus, an pater M. Annaeus, non vnum omnes literati ſentiunt. *x*) Eiusmodi ſiglis Hygini Auguſti liberti poeticon Aſtronomicum teſtatur ſcriptum ſe vidiſſe PETRVS BEMBVS *y*) atque Iulio Pontifici perſuadet, vt eam artem obliteratam adhuc in lucem protraheret. Operae pretium ipſum audire loquentem: nam eius epiſtolae non ſunt in multorum manibus. *Quod ad te ſuperioribus diebus* (ad ſummum pontificem ſcribit) *liber e Dacia eſt miſſus, notis perſcriptus cum vetuſtiſſimis, tum aetate noſtra inuſitatis atque incognitis, quaeque legi poſſe nullo plane modo videbantur, perpetuum in eo felicitatis tuae curſum tenoremque perſpexi. -- Cum mihi eum librum dediſſes, vt ſi illas interpretari notas aliqua ratione poſſem, id tentarem, tibique renunciarem, voluere omnes eius paginas, atque inſpicere diligenter coepi: quod cum facerem, multo tamen plus in tuo iuſſu ſpei atque fiduciae, inueniendi id quod quaerebam, quam aut in ſuſceptae rei facilitate, quae nulla oſtendebatur, aut in mea induſtria laboreque ponebam. Itaque cum ſingula perſcrutarer oculis, animaduerti in extrema quadam pagina, noſtris literis, exeſis tamen et dimidiatis fere, ſcriptum verſiculum, qui oſtendebat illum eſſe librum notis antiquis perſcriptum: quibus qui vſi fuiſſent, notarii eſſent appellati. Erat autem is quidem liber, Higini commentariorum de ſideribus quaedam portio. Eo lecto ſtatim admonitus ſum, rationem eſſe illam Ciceronianam ſcribendi.*

x) Vid. LIPSIVS lib. 1. epiſt. 27. ad Belgas. et MALLINKROT de natura & vſu literarum cap. 24. y) Familiar. epiſt. l. 5. epiſt. 8. ad Iulium II. pontificem. Exempla alia vide huius tract. part. 2. c. 5. §. 5. vbi de Tirone Ciceronis liberto.

bendi. Tenebam enim in memoria, Plutarchum ſcribere, eos qui notarii appellarentur, a Cicerone originem habuiſſe. Inueniſſe enim illum notas quasdam, quibus a ſingulis plures literae continerentur, illasque docuiſſe librarios ſuos: vt quoniam breui ſcripto multa comprehenderentur, per eos Senatorum ſententias orationesque quas vellet, dum recitarentur, exciperet, atque habere ſcriptas poſſet. Eoque modo ex Catonis orationibus illam, quam in coniuratos Catilinae contra Caeſaris ſententiam habuit, exceptam, et ad ſua vsque tempora ſeruatam, ſolam extare. Conſueuiſſe autem antiquos vti notariis ad ſcripti conficiendi celeritatem, non ille modo, quem dico, Plutarchus, ſed Valerius etiam Martialis commemorat, cuius celebres extant verſiculi ea de re: et maxime omnium Auſonius, qui quidem puerum a notis ſuum, longos excurſus ſermonis, punctis paucis abſoluentem, mirifice laudat dimetris verſibus. Prudentius vero Caſſianum martyrem in ludo literario pueros etiam eas notas docuiſſe, memoriae prodidit epodo carmine, quod de morte eius conſcripſit. Quamobrem Higiniano altero, noſtris literis ſcripto libro, cum Dacico illo collato, ſignificationes varias, multiplicesque ſenſus notarum plurimarum percepi: qui quidem ſenſus, non ipſis tantummodo mutatis notis, ſed etiam interpunctionibus notarum parumper variatis, commutabantur multis omnino, ſed tamen certis et via quadam ac ratione diſpoſitis et praefinitis modis, vt in artem redigi, ſi quis adhibere diligentiam vellet, et redire in vſum atque conſuetudinem noſtrorum hominum poſſe, mihi non difficillime viderentur. — Incumbe quaeſo in eam curam, et animi tui, qui ſua magnitudine capere omnia et complecti poteſt, partem aliquam huic etiam cogitationi largiare, vt et doctis, et probis, ſi qui

ſunt.

ſunt, qui profecto ſunt, perquiſitis impreſſoribus mandes, vt hoc ſcribendi genus in lucem reuocent. Quid enim profecto, aut ad tui commemorationem illuſtrius, aut ad doctorum ſtudia hominum accidere accommodatius poteſt, quam eiusmodi artem a Cicerone inuentam, et in magno honore diu habitam, quod eſſe percommoda videbatur, amiſſam autem et ex hominum memoria ſublatam penitus, iniuria temporum, annis innumerabilibus, tua nunc demum cura pietateque reſtitui ? etc. z) Tales notae ſiue ſiglae, quae veteribus ταχυγράφοις Tironis ac Senecae nomine inſignitae apud Romanos in vſu fuerunt, comparent in Commeliniana Senecae editione 1604. fol. Has inſigni opera Ianus Gruterus ex MSS. eruit atque primus e Ioh. Trithemii maxime codice in lucem emiſit, ſubiectas etiam vaſto et luculento veterum inſcriptionum operi, quod circa eadem tempora prodiit, ac nitide cum Gudii atque Graeuii notis in Belgio 1707. recuſum eſt. Itaque multa vocabula ſingulis aut perpaucis literis, quod Latinae linguae puritas eſſet maxima et perfectio, conſcribere ſolebant. Cuius rei praeter tot veterum monumenta, libros, lapides, nummos etc. VALERIVS PROBVS documento eſt, qui de notis Romanorum interpretandis opuſculum nobis reliquit. a) Eo ipſo auctore, eiusmodi ſigna partim pro vnius

z) Pl. confer. Ios. SCALIGER epiſt. 418. LIPSIVS centur. 1. ad Belgas epiſt. 27. WOWERIVS Polymath c. 5. HERM. HVGO de prima ſcribendi origine cap. 19. LAMBECIVS T. 1. biblioth. Vindob. p. 18. BARTHOLINVS de libris legendis diſſert. 6. BOECLERVS de rebus ſecul. IX. et X. pag. 346. PANCIROLVS nou. repert. tit. 14. var. lect. l. 1. c. 30. Et quae ſupra monuimus cap. 5. §. 5. de Tirone Ciceronis Liberto. MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 2. §. 3. et 4. a) Editiones ſunt multae et variae. Illud comprehendit quoque corpus auctorum Latinae linguae a Gothofredo collectum p. 1453. ſeqq. Vid. etiam ISIDORVS orig. l. 1. c. 22.

vnius cuiusque voluntate, partim vſu publico, et obſeruatione facta ſunt. *b*) In primis illi, qui aderant ſcribendo in ſenatu, vt celeriter omnia comprehenderent, ex communi conſenſu, non pauca primis notabant literis, quarum ſignificationes illis in promtu erant. Atque hoc poſtea ceu vulgare, imo fere neceſſarium quid, in nominibus, praenominibus, legibus publicis, pontificum monumentis, iuris ciuilis libris etc. manſit. Ita ſcribebant ex. gr. P. *Publicus*. C. *Caius*. Ɔ. *Caia c*) M. *Marcus*. CN. *Cneus*. Q. *Quintus*. MAR. *Martius*. TI. *Tiberius*. CL. *Claudius*. T. *Titus*. SP. *Spurius*. SEX. *Sextus*. SER. *Seruius*. AB. V. C. *ab vrbe condita*. P.R.E. *poſt reges exactos*. P.C. *patres conſcripti*. S. P. Q.R. *ſenatus populusque Romanus*. EQ. R. *Eques Romanus*. V. R. *Vrbs Romana*. C. R. *Civis Romanus*. COL. *Colonia*. MVN. *Municipia*. N.L. *nominis Latini*. L.C. *Latini coloni*. S.N.L. *ſocii nominis Latini*. Infinita alia. Ad publicas enim notas acceſſit ſtudioſorum voluntas, vt vnusquisque ſibi familiares notas pro captu et arbitrio ſignaret: quae cognitu ſunt quidem neceſſariae et vtiles: ſed plures etiam ſunt et prolixiores notatu: quam vt noſtra haec diſſertatio illas ferre, nedum comprehendere poſſet. *d*) Atqui eo ſcripturae compendio nonnunquam

b) HORATIVS Carm. l. 4. od. 8. *Sunt inciſa notis marmora publicis*. c) FABIVS inſtit. orat. lib. 1. c. 7. *Nam et Gaius* C *litera notatur, quae inverſa* Ɔ *mulierem declarat*, etc. d) Videantur modo laudatus VALERIVS PROBVS Grammaticus integro libello. Notae Juris a MANGONE collectae apud GOTHOFREDVM pag. 1481. ſeqq. PETRVS DIACONVS de notis literarum. ibid. p. 1497. ſeqq. Notarum explicatio. ibid. p. 1527. ſeqq. GRVTERVS. LIPSIVS. SERTORIVS VRSATVS de notis Romanorum, marmoribus Oxonienſibus annexus.

pro veris nomina falſa in Latinam linguam irrepſere, quae ſucceſſu temporis ſignificationis vim et ipſam ciuitatem obtinuerunt. Inde, exempli gratia vt hoc referam ex PLVTARCHO, *e*) filios, qui patre carent *ſpurios* vocarunt. Conſtat illud vocabulum, ſicut *Caius*, *Lucius*, *Cornelius* etc. ex veteribus Romanorum praenominibus fuiſſe: quae raro ſcripſerunt integra, ſed vna tantum initiali, vel duabus, vel ad ſummum tribus literis. *Spurium* ergo praenomen ſcriptitarunt SP. Iisdemque literis deſignabant ſine patre filium, vt S. ſine, P. patre notaret. Atque hoc errorem induxit, vt Spurium cum filiis ſine patre confunderent, et nomen illud vſu comprobatum promiſcue ſumerent. Per alias atque alias notas ſcripſerunt Iulius *f*) et Auguſtus, Caeſares, *g*) et multi Romanorum clariſſimi viri, vel breuitatis et compendii, vel neceſſitatis gratia, vt, ſi quae fuerunt, myſteria literarum ſua vulgo celarent. Nam et illi proceres imperii ſaepe notis quibusdam in epiſtolis commendatitiis vtebantur: cum propter ambitionem quotidie multos amicis prouincias obtinentibus commendare cogerentur; etiam aliquando vix leuiter ſibi notos. Vti ergo digniores et bonos et ſibi charos, ab aliis et illis vulgaribus *h*) diſcernerent, certas notas commendationibus addere ſolebant. Hinc tritum illud *de nota meliore commendare*. *i*)

§. IX.

nexus. Das geöfnete Antiquitäten-Zimmer pag. 91. ſeqq. in des eröfneten Ritter-Platz. 2ten Theil. e) Quaeſt. Rom. oper. p. 631. pl. confer. PANCIROLVS variarum lectionum l. 1. c. 30. f) Vid. SVETON. Iul. c. 56. g) Idem Aug. c. 88. Confer. omnino A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 9. h) Eo reſpicit CICERO ad famil. l. 1. epiſt. 3. *Eum ita tractes, vt intelligat noſtram commendationem non vulgarem fuiſſe.* i) Curius ad CICER. famil. l. 1. epiſt. 29. confer. CATVLL. 69. 28.

§. IX.

Cum vocales omnes ancipites ſint Latinis, et modo longae modo breues quantitate habeantur: *k*) priſci Romani illas ſono ipſo diſtinguere ſtuduerunt, ac enunciatu ſignificare, cuius poteſtatis illae in vna quaque dictione ſint: in *palus* an A longum, in *Sinus* an I longum, in *populus* an O longum, *legimus* praeſenti an praeterito tempore efferrem etc. Neque illis haec cura ſolum in pronunciando, verum etiam in ſcribendo fuit. Aliter pingere ſolebant vocales longas, aliter contractas: nam has ſolitarias ponebant; illas geminabant, vt duplicem et productum ſonum oſtenderent. *l*) Teſtis eſt VICTORINVS AFER: *Naevius et Liuius, cum longa ſyllaba ſcribenda eſſet, duas vocales ponebant.* Quod etiam QVINTILIANVS confirmat, qui manſiſſe hoc ad Attium diſerte ſcribit: *Vsque ad Attium et vltra, porrectas ſyllabas geminis vocalibus ſcripſere.* Sequens aetas vt compendium faceret, pro geminatione vocalium, apicem vſurpauit, ſeu lineam transuerſam voca-

k) LVCILIVS ſatyr. IX. apud Victorinum:

A, primum longa et breui ſillaba: nos tamen vnum
Hoc faciemus, et vno eodemque, vt diximus, pacto
Scribemus PACEM, PLACIDE, IAN̆VM, ARIDVM, ACETVM.
Ἄρες ἄρες *Graeci vt faciunt.*

l) Inde eſt quod QVINTILIANVS l. 1. c. $\frac{2}{11}$. ceteri literatores antiqui notarunt *Mehe* pro *Me*, et *Mehecum.* Nec ab alio fonte *Prehendo*, Vehemens, cum vera ſint *Preendo* et *Veemens.* Idemque *Mihi* hodie, quod *Mi* & *Mii* antiquis. Sic *Ahala* pro *Ala* apud CICERONEM in Oratore. *Quomodo*, inquit, *noſter*, *Axilla Ala factus eſt, niſi fuga litterae vaſtioris?* confer. LIPSIVS de recta pronunciat. Latinae linguae, c. 6.

vocalibus longis adſcripſit hoc modo Ā. Ē. Ō. V̄. Solum I nec geminatum, nec apicatum fuit: ſed productius ac longitudine velut dupla ſcriptitatum eſt: ex. gr. FECIT DE MANIBIS DIS MANIBVS. PISO. VIVVS. AEDILIS. Quamobrem inter omnes literas haec proprie longa dicebatur. TERENTIVS SCAVRVS: *Super I litteram apex non ponitur. melius enim I in longum producetur. ceterae vocales quia eodem ordine poſitae diuerſa ſignificant, apice diſtinguuntur.* LIPSIVS vero de recta pronunc. Lat. linguae. c. 8. ſubiectis notis. ab aeuo Auguſti lapidem profert, cuius inſcriptio: HERODIAN. PRAEGVSTATOR DIVIL. AVGVSTI. ſuperfluam geminationem eius literae forſan imperitia ſculptoris oſtendit. Apex vero illa linea eſt, quam Graeci τὴν μακρὰν dixere. Atque etiam fuſe de illa QVINTILIANVS agit: *Vt longis ſillabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſt, quia plurimae, natura ipſa verbi, quod ſcribitur, patent: ſic interim neceſſarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt, facit, vt* malus *vtrum arborem ſignificet, an hominem non bonum, apice diſtinguitur.* Palus *aliud priore ſillaba longa, aliud ſequenti ſignificat. Et cum eadem littera nominatiuo caſu breuis, ablatiuo longa eſt; vtrum ſequamur, plerumque hac nota monendi ſumus.* TERENTIVS SCAVRVS: *Attius geminatis vocalibus ſcribi natura longas ſillabas noluit:* (alii corrupte *voluit* legunt) *cum aloqui adiecto vel ſublato apice longitudinis vel breuitatis nota poſſit oſtendi.* Tam crebro vſu apex ille maiorum aeuo fuit: vt ISIDORVS autumet inter legitimas literas habitum, his verbis: *Inter figuras litterarum, et apices veteres duxere. Eſt autem linea iacens ſuper litteram, aequaliter ducta.* Atque hinc erroneam ſcriptu-

ſcripturam prouceniſſe vocum *Quotiens*, *totiens*, *Vicenſimus*, *Formonſus* etc. Ivstvs Lipsivs *m*) putat: quum librarii eiusmodi apicem ad exprimendas N vel M literas ſcriptitantes, in antiquioribus inuenerint, *Quotiēs*, *Vicēſimus*, *Formōſus* etc.

§. X.

De Diſtinctione vel interpunctione veteris ſcripturae optime teſtari potuit ille, qui orbis eruditi bibliothecas inſtructiſſimus perreptauit, libros depinxit veterum manuſcriptos, ac in his ſtudiis praecipue aetatem egit, vel regnauit potius ὁ πολυμαθέστατος Clavdivs Salmasivs epiſtola ad Sarrauium ſcripta, qua diceres eum ſe viuam MStorum bibliothecam praeſtare. *n*) Liceat inde mihi quaedam huc maxime pertinentia tranſcribere, neque enim eius verbis meliora dare poſſum, neque adeo fidem, quam ipſe, probare meam. *Quod ad Graeca exemplaria attinet*, de quibus vel ideo primum nobis agendum eſt, quod eam nationem Romani in omnibus omnino ſcripturae partibus, maxime etiam in formarum et diſtinctionum ratione imitati fuere ; *ante Ariſtophanem, qui primus proſodiam excogitauit et accentus inuenit, nulla fuit*

 litera-

m) De recta pronunciat. Lat. linguae cap. 5. n) Vere κειμήλιον epiſtolam hanc nominaueris, qua ceu oraculi reſponſo vſi fuere maximi etiam viri et antiquitatis literariae expertiſſimi Petrvs Lambecivs de biblioth. Caeſarea Vindobonenſi comment. l. 2. c. 7. D. G. Morhofivs Polyhiſt. liter. lib. 1. c. 7. §. 10. ſeqq. vbi integram tranſcribere eam nullus dubitauit. Inter Sarrauianas epiſtolas Arauſioni 1654. editas, numero eſt 183. Prodiit etiam cum Marquardi Gudii epiſtolis 1687. in 4. Vid. etiam D. Schwartzii Differt. 2. de ornamentis librorum externis apud Veteres. n. 9. D. Reimannvs recenſet hanc differt. Idea ſyſtem. Antiq. liter. p. 244. ſeqq. ex ſupra memoratam Salmaſii epiſtolam p. 199. ſeqq.

literarum distinctio, neque subdistinctio. Vno ac perpetuo ductu sine vllo interstitio voces omnes exarari solebant et sententiae etiam continuari: nisi quod vbi perfecta fuerat, non in eadem linea alteram auspicabantur; sed principium alterius lineae siue versus inchoabant. Inde nata distinctio per versus, qui maiores aut minores erant, prout sententia pluribus aut paucioribus verbis absoluebatur. Interdum quippe duas, interdum tres aut plures lineas singuli versus occupabant. Graeci στίχους *appellant. Opera autem ipsa numerabantur per versus; quorum summa in fine libri subducta notabatur. Inde* πολύστιχον βιβλίον *de grandi volumine dicebant. Diu durauit haec ratio.—At in eodem versu quomodo* περίοδοι *et* κῶλα *distinguerentur Aristophanes inuenit, et notas ad haec interualla signanda commentus est. Tres fuere:* τελεία στιγμὴ, ὑποστιγμὴ *et* μέση. *Primam proprie vocarunt* distinctionem *Latini, secundam* subdistinctionem, *tertiam* medianam. Τελεία στιγμὴ *punctum erat, quod collocabatur in capite vel apice vltimi elementi, in quo periodus desinebat.* ὑποστιγμὴ *in ima literae parte ponebatur;* ἡ μέση στιγμὴ *ad mediam partem. Totidem igitur fuere puncta: sed pro situ aliter atque aliter valentia. Puncta igitur nostra singularia, et virgulae, et duo puncta veteribus prorsus ignota fuere. Punctis singulis tota distinctio et subdistinctio librorum constabat, tam apud Latinos, quam apud Graecos. Nam illi ab istis sumsere.— In veteri inscriptione Smyrneorum Arundelliani marmoris sine vlla distinctione et subdistinctione, vna ac perpetua serie dictiones omnes inter se cohaerent: quod et in aliis antiquis Graecis inscriptionibus passim inuenire est, quae et sine accentibus scribuntur.— Postea Grammatici, qui libros emendabant et conferebant cum antiquioribus et emendatioribus*

ribus codicibus, non solum si quid erat titubatum à librariis, corrigebant, sed etiam accentus apponebant, et distinctiones. Vidi libros vetustissimos, in quibus apparebat planè scripturam esse ab antiquiore manu, quam accentus. Nec secus fuit apud Latinos; Quod colligere possumus ex vita Valerii Probi Grammatici apud Suetonium, qui de eo ita scribit: Multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curauit, huic soli nec alii praeterea Grammatices parti deditus. *Vbi vides eos Grammaticos, qui libros auctorum emendabant, etiam distinguere eosdem solitos, i. e. distinctiones apponere. — Duplex, vt in pauca rem contraham, distinguendi ratio fuit, qua voces singulae inuicem separabantur, et qua periodi et cola. Antiquissima exemplaria neutram habent, neque apud Graecos, neque apud Latinos. Tales hodie paucissimi reperiuntur. Nam plurimi qui vncialibus et capitalibus literis scripti sunt, voces inuicem habent distinctas. Quosdam tamen vidi, qui nullam ferme vocum distinctionem ostendebant. Et nisi fallor talis est MS. Liuius Puteanorum. At in illis qui rotundiore et minutiore charactere exarati reperiuntur, fere semper distinctiones omnes distinctae inter se apparent: sententiae vero absolutae solis punctis; hoc est* τιλάαις ςιγμαῖς, *rarae in iis occurrunt subdistinctiones, quas tamen adhibere antiquitus solitos et Ciceronis o) quidem aeuo, patet ex Asconii Pediani in Verrinas notis.* Caetera partim ad

o) Hinc illi dicuntur *interpuncta verborum* distinctiones: Lib. 2. de Oratore cap. 80. et lib. 3. c. 46. *Interpunctiones verborum* in Oratione pro Muraena cap. 11.

ad orientalium libros ſpectant, qui ad nos nihil attinent; partim ad litterarum formas, de quibus alibi dudum egimus, quantum quidem ad eam in literarias antiquitates manuductionem ſufficere nobis viſum eſt. Sed monumenta vetera nonnunquam et punctorum loco, crucis hoc + ſignum poſt ſingulas voces poſitum demonſtrant: *p*) quod non noſtrae, quam habemus nunc Latinae linguae feliciſſimam, aetatis eſſe, verum paulo receptioribus illa temporibus obtinuiſſe putamus.

§. XI.

Nec illi ſunt veterum Romanorum genuini libri, in quibus obueniunt numerorum ſigna, hodie vulgo vſitata 1.2.3.4.5. 6.7.8. et o. cyphra ſeu figura nihili, vulgo nulla, Arabibus Zero. Illos characteres barbaros alii Phoenicibus, alii Indis, alii Arabibus vindicant. Quicunque ſit inuentor eorum: paulo tamen recentioris aeui ſunt, ac veteribus Romanis prorſus ignoti. Licet hoc etiam certo conſtet, omni tempore in exprimendis numeris varios, compendii gratia, characteres adhibuiſſe: ne perpetuo totas paginas integris numerorum ſcriptionibus complerent. Prima meditatio apud Latinos fieri coepit ope lapillorum, quos nominabant *calculos*; vnde ſeruarunt elegantes lonquendi modos: *ſubducere calculos*, *q*) *Ponere calculos* *r*) die Rechnung überſchlagen / *Ad calculos reuerti*. *s*) *Nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, vt par ſit ratio acceptorum et datorum*. *t*) Hinc etiam verba ſuperſunt *calculare* rechnen / et *calculatio* die Rechnung

p) Vid. FLEETWOOD Inſcriptionum antiquarum ſylloge pag. 85. n. 3.
q) CICERO de finib. 2. 19. r) COLVMELLA 3. 3. et PLINIVS 2. epiſt. 19. extr. Idem Panegyr. c. 20. *Aſſueſcat Imperator calculum cum imperio ponere* i. e. rationem impenſarum habere, ne reditus excedant, et imperium grauent. s) CICERO ad Attic. 8. 12. t) Idem de Amicit. c. 16.

Rechnung/ quorum quidem vſum apud antiquiores non facile repereris: illud tamen apud PRVDENTIVM *v*) et SIDONIVM *x*) hoc apud CASSIODORVM *y*) et FORTVNATVM *z*) obuenit. Sed *calculator* ein Rechenmeiſter eſt MARCIALI *a*) et VLPIANO in digeſtis Ictorum paſſim. Iidem Romani artificioſo digitorum poſitu et flexura numeros exprimere ſolebant: vt vnusquisque Arithmeticam manu ſecum circumferret. PLINIVS: *b*) *Praeterea Ianus geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt tercentum ſexaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis, et aeui, Deum ſe indicaret.* Hinc NEARCHI in vetulam iocus:

'Η Φαος ἀθρήσασ' ἐλάφυ πλέον, ἢ χερὶ λαίῃ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δέυτερον ἀρξαμένη.
Quae ceruo facta eſt annoſior, atque ſiniſtra
Aetatem coepit iam numerare ſuam.

Et IVVENALIS: *Atque ſuos iam dextra computat annos.* *c*) Graeci numeros linguae ſuae primis elementis ſeu literis deſignarunt trifariam. Primo ſecundum ordinem literarum, vt Α. vnitatem, Β. numerum binarium, Γγ ternarium, Δ. quaternarium ſignificarint, et ſic ſequentes literae, ad poſtremam vſque Ω, quae viceſimo quarto loco eundem etiam numerum exprimit. Ita libri Iliados et odyſſeae Homeri numerantur. Secundo, tres claſſes ſiue ordines conſtituunt, in quos totum alphabetum diuidunt, ita vt ſimul enneades ſuas abſoluant, hoc modo:

α. β.

v) Hymno Laurentii v. 131. *x*) Lib. 9 epiſt. 7. *y*) L. b?. epiſt. 10. *z*) Lib. 5. epiſt. proſa 6. ad Syagrium. *a*) Lib. 10. epigr. 62. *b*) Hiſt. natur. l. 34. c. 7. *c*) Confer. pl. ARTABASDA de metro dactylico, et BEDA de computo, vel loquela per geſtum digitorum, apud Gothofredum in Auctoribus Latinae linguae p. 1545. ſeqq.

1.	α.	I.	56.	νς.	|Δ|ΠI.
2.	β.	II.	60.	ξ.	|Δ|Δ.
3.	γ.	III.	70.	ο.	|Δ|ΔΔ.
4.	δ.	IIII.	80.	π.	|Δ|ΔΔΔ.
5.	ε.	Π.	90.	ς.	|Δ|ΔΔΔΔ.
6.	ς.	ΠI.	91.	ςα.	|Δ|ΔΔΔΔI.
7.	ζ.	ΠII.	100.	ρ.	H.
8.	η.	ΠIII.	200.	σ.	HH.
9.	θ.	ΠIIII.	300.	τ.	HHH.
10.	ι.	Δ.	400.	υ.	HHHH.
11.	ια.	ΔI.	500.	φ.	|H|.
12.	ιβ.	ΔII.	600.	χ.	|H|H.
13.	ιγ.	ΔIII.	700.	ψ.	|H|HH.
14.	ιδ.	ΔIIII.	800.	ω.	|H|HHH.
15.	ιε.	ΔΠ.	900.	ϡ.	|H|HHHH.
16.	ις.	ΔΠI.	1000.	,α.	X.
17.	ιζ.	ΔΠII.	2000.	,β.	XX.
18.	ιη.	ΔΠIII.	3000.	,γ.	XXX.
19.	ιθ.	ΔΠIIII.	4000.	,δ.	XXXX.
20.	κ.	ΔΔ.	5000.	,ε.	|X|.
21.	κα.	ΔΔI.	6000.	,ς.	|X|X.
22.	κβ.	ΔΔII.	7000.	,ζ.	|X|XX.
30.	λ.	ΔΔΔ.	8000	,η.	|X|XXX.
40.	μ.	ΔΔΔΔ.	9000.	,θ.	|X|XXXX.
50.	ν.	|Δ|.	10000.	,ι.	M.
51.	να.	|Δ|I.	50000.	,ν.	|M|.
52.	νβ.	|Δ|II.			
55.	νε.	|Δ|Π.			

 Romani

Romani vero solebant omne numerandi negotium expedire septem suae linguae primis elementis, seu, quod vulgo dicunt, alphabeti literis: I. V. X. L. C. D. M. Prima numerorum nota I indicabat vnum: altera V quinque, et tertia X decem. Nam vt quinarius est denarii dimidius, ita V est ipsius X pars dimidia; vel duplex V ima parte coniunctum, eam literam efficit, quae Latinis X. signatur, et numerum denarium denotat. L quasi dimidium C aut ꓛ notae centenarii, quinquaginta significat; C, centum; pari modo D, quingenta; M. mille: Nam vt quingenta sunt millenarii dimidium, ita D. est dimidia pars M. antiquioris, quod pingere aliquando solebant ꝏ: vnde hodienum superest millenarii nota CIↃ, ex qua partem alteram IↃ volunt significare quingenta. Vniuersa vero numerorum series distribui potest in Enneades, quarum prima vnitates ad decem vsque continet; secunda denarios ad centum; tertia centenarios ad mille vsque; quarta millenarios ad decem millia; quinta myriades vsque ad decies centena millia. Vlterius. Hoc modo: *d*)

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
X.	XX.	XXX.	XL.	L.	LX.	LXX.	LXXX.	XC.
10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.
C.	CC.	CCC.	CCCC.	D.	DC.	DCC.	DCCC.	CM.
100.	200.	300.	400.	500.	600.	700.	800.	900.
M.	IIM.	IIIM.	IVM.	VM.	VIM.	VIIM.	VIIIM	IXM.
1000.	2000.	3000.	4000.	5000.	6000.	7000.	8000.	9000.
XM.	XXM	XXXM.	XLM.	LM.	LXM.	LXXM.	LXXXM.	XCM. etc.

§. XII.

---

d). Confer. VALERIVS PROBVS de notis Rom. apud GOTHOFREDVM pag. 1478. seqq.

§. XII.

Habebant et Romani kalendarium peculiare ſuum, ab noſtro toto coelo diuerſum. Iſtius exemplum in marmore inciſum Romae in aedibus Maffeorum repertum eſt, atque vulgatum a GOTHOFREDO *e*) DEMPSTERO *f*) GRVTERO *g*) FLEETWOODO *h*) GRAEVIO *i*) et aliis. Aliud kalendarium vetus Romanum ex marmore domus Vallarum, prope circum Flaminium GEORG. FABRICIVS *k*) edidit, ac emendauit ex alio marmore, quod in ſuo hortulo Aug. Colocius collocauerat. Singuli menſes, quorum denominationem et hodie retinemus, ex Romuli ordinatione in tres partes diſtribuerunt, in *Kalendas*, *Nonas*, atque *Idus*. *Kalendae*, dies menſium primi, a populi conuocatione dictae ſunt: tum enim ex Graeco *καλεῖν*, verbo vtebantur nunc obſoleto *calare* pro *vocare*. Nam priſcis temporibus, antequam *Faſti* a Cn. Flauio Scriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontificis minoris officium erat, vt nouae lunae primum obſeruaret adſpectum, viſamque Regi ſacrificulo nunciaret, atque tum ſacrificio a Rege et minore pontifice perfecto, idem pontifex *calata* i. e. conuocata in capitolium plebe, quot dies a kalendis ad nonas ſupereſſent, pronunciabat, ita quidem vt quintanas, ſecundum aliquorum ſententiam, quinquies dicto verbo *καλῶ*, ſeptimanas ſepties repetito praediceret. Noua enim vnaquaque luna Nonis populares, qui in agris erant, in vrbem confluere debebant, vt feriarum cauſſas a rege ſacrorum acciperent atque ſcirent,

 quid

e) Cum Pauli Manutii Patris expoſitione et eleganti tractatu de veterum dierum ratione, Auctor Latinae linguae p. 1381. ſeqq. *f*) Paralip. ad Roſin. antiq. Rom. l. 4. c. 4. *g*) Inſcript. pag. cxxxiii. *h*) Inſcript. pag. 54. ſeqq. *i*) Theſaur. Antiq. Rom. t. 8. *k*) Antiq. monum. l. 2. p. 115. ad finem.

quid eo menſe faciendum eſſet. *l)* VARRO: *m)* ***primi dies menſium nominati kalendae ab eo quod heis diebus kalentur eius menſis nonae a pontificibus quintanaene an ſeptimanae ſint futurae, in capitolio in curia kalabra ſic dictae:*** QVINQVE KALO IVNO NOVELLA, vel SEPTEM KALO IVNO NOVELLA. *Nonae* ſic dictae putantur, quaſi nouae obſeruationis initium, quod in eas occurreret principium lunae; vel quod ab eo die ſemper ad Idus nouem dies putarentur. *n)* *Idus* quae a die quinto vel ſeptimo in quouis menſe ſunt octo, decimus tertius, vel decimus quintus dies, a quo reliqui omnes ad kalendas menſis ſequentis referuntur. De origine vocis non vnum omnes ſentiunt. Eam alii deriuant a Thuſcis, apud quos idem dies *Itis* erat, quod Iouis fiduciam ſignificat: cum enim Iupiter ſit auctor lucis, vnde et *Lucetius* et *Dieſpiter* vocatur, huius autem diei lux non cum ſolis occaſu finiatur, ſed ſplendorem diei et noctis continuet, illuſtrante luna, quod ſemper in plenilunio, ſeu medio menſe fieri ſoleat, ideoque Iouis fiduciam recte appellari iudicant. Alii idus volunt eſſe dictas quaſi *vidus* a videndo, vel quod mihi probatur maxime, *ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν, videre,* quod eo die luna plenam prae ſe ferat ſpeciem. Alii ab *oue iduli*, quae omnibus idibus Ioui immolabatur. *o)* Vnde OVIDIVS: *p)*

Idibus alba Ioui grandior agna cadet.

Alii putant vocem eſſe Hetruſcam, apud quos *iduare* erat diuidere, atque ita hunc diem eſſe dictum, quod menſem diuidat ac plerumque incidat in medium. *q)* Quo reſpicit HORATIVS: *r)* - - *idus*

l) Vid. MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 15. *m)* De Latina lingua l. 5. c. 4. *n)* Vid. VARRO de ling. Lat. l. 5. c. 4. *o)* Vid. FESTVS in *idulis ouis*. Idem *ſacrorum idulium* meminit in *ſacra via*. *p)* Faſt. 1. 56. *q)* Vid. VARRO l. c. PLVTARCHVS quaeſt. Rom. MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 15. *r)* Carm. l. 4. od. 11.

- - idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem.

Ad subleuandam memoriam de kalendario Romano circumferuntur vulgo versus sequentes:

Prima dies mensis cuiusque est dicta kalendae.
Sex nonas Maius, October, Iulius et Mars,
Quattuor et reliqui: dabit idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic esse kalendas,
Quos retro numerans dices a mense sequente.

Quod paulo clarius demonstrabit schema etiam vulgo notum.

Mensis Dies	Martius Maius Iulius October	Ianuarius Augustus December	Aprilis Iunius September Nouember	Februarius
1.	Kalendae.	Kalend.	Kalend.	Kalend.
2.	VI.	IV.	IV.	IV.
3.	V.	III.	III.	III.
4.	IV.	prid. non.	prid.non.	prid. non.
5.	III.	Nonae.	Nonae.	Nonae.
6.	prid. non.	VIII.	VIII.	VIII.
7.	Nonae.	VII.	VII.	VII.
8.	VIII.	VI.	VI.	VI.
9.	VII.	V.	V.	V.
10.	VI.	IV.	IV.	IV.
11.	V.	III.	III.	III.
12.	IV.	prid. id.	prid. id.	prid. id.
13.	III.	Idus.	Idus.	Idus.
14.	prid. id.	XIX.	XVIII.	XVI.

15	Idus	XVIII.	XVII.	XV.
16	XVII.	XVII.	XVI.	XIV.
17	XVI.	XVI.	XV.	XIII.
18	XV.	XV.	XIV.	XII.
19	XIV.	XIV.	XIII.	XI.
20	XIII.	XIII.	XII.	X.
21	XII.	XII.	XI.	IX.
22	XI.	XI.	X.	VIII.
23	X.	X.	IX.	VII.
24	IX.	IX.	VIII.	VI.
25	VIII.	VIII.	VII.	V.
26	VII.	VII.	VI.	IV.
27	VI.	VI.	V.	III.
28	V.	V.	IV.	prid. kal.
29	IV.	IV.	III.	
30	III.	III.	prid. kal.	
31	prid. kal.	prid. kal.		

§. XIII.

Ad barbarifmos reuertimur & accufantur etiam huius vitii, qui contra profodiam, i. e. rectam verborum pronunciationem peccant. Et eorum quidem fermo vocatur *rufticus*, de quo A. GELLIVS: *s) quas Graeci προσωδίας dicunt, eas veteres docti, tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant, quod nunc autem barbare quem loqui dicimus: id vitium fermonis, non barbarum esse, fed rufticum, et cum eo vitio loquentes ruftice loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis, rufticus fit fermo, inquit, fi adfpires perpe-*

s) Noct. Attic. l. 13. c. 6.

perperam. t) Tandem notantur vitia, quae contra etymologiam, et barbarifmi funt omnium grauiffimi, tantoque magis ad optimi feculi exemplum vitandi. Eius generis funt ex. gr. *fentiit* pro *fenfit*, *fulfiit* pro *fulfit*, *fubftraxit* pro *fubftrauit*, *fubftractus* pro *fubftratus*, *coliturus* pro *culturus*, *extrinfece* pro *extrinfecus*. Inde lufus MARTIALIS: *v*)

Cum dixi ficus, rides quafi barbara verba;
Et dici ficos, Caeciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas fcimus in arbore nafci,
Dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

Barbarifmum innuit vocabuli *ficus*, in cuius flexione Caecilianus ab Romanorum confuetudine aberrauit: quanquam vox ipfa barbara non fit. Alibi *x*) in Cinnamum fic ludit:

Cinnam, Cinname, te iubes vocari.
Non eft hic, rogo, Cinna, barbarifmus?
Tu fi Furius ante dictus effes,
Fur ifta ratione diceteris.

Ita fieri facile poteft, vt aliquis Latine fatis ac terfe fcribat, praeter opinionem vero non nihil Romanis inauditum hac feliciffima Latinae linguae aetate, vel etiam proxime poft illam non vfitatum admittat: cum ex Iulii Caefaris mente omnes elegantioris linguae amantiffimi, tanquam fcopulum, fic fugere debeant inauditum atque infolens verbum. *y*)

§. XIV.

Vt fugiendus in fingulis vocibus barbarifmus, ita in compofi-

t) Errores in metro virorum maximorum, vtriusque Scaligeri, Vulcanii, Taubmanni, Aurati, Vrfini, Meurfii, Grotii, Pafchalii, aliorum notat BARTHIVS aduerf. l. 16. c. 3. v) Lib. 1. epigr. 66. x) Lib. 9. epigr. 17. y) Pl. confer. QVINTILIANVS inftit. orat. l. 1. c. 5.

positione illarum *soloecismus*, z) qui appellatus est a *Solis*, Ciliciae ciuitate illa, quam posterioribus seculis *Pompeiopolin* vocarunt: cum enim temporis progressu Attici in Solis patriam linguam deprauassent, eorundemque commercio etiam alii corrupta locutione vitia in sermonem intulissent, σολοικίζειν dicti sunt: vnde σολοικισμὸς partium orationis inconueniens compositio, stribiligo, vel, vt PERSIVS habet, sartago loquendi. *a*) CORNIFICIVS *b*) soloecismum fieri dicit, *cum verbis pluribus consequens verbum non accommodatur*. FABIVS: *c*) *est soloecismus in oratione comprehensionis vnius sequentium ac priorum inter se inconueniens positio.* Ea ergo incongrua oratio contra regulas syntaxeos peccat, quam grammatici formarunt ex auctoritate scriptorum optimorum et emendata consuetudine loquendi. Sic dicendum, *tibi supplico*, non *te supplico*, *te iuuo*, non *tibi iuuo*, non *vnus arbor*, non *pecuniam mutuo dare*, sed *mutuam*, non *communicare alicui*, sed *cum aliquo.* Cuius generis hodie non solum in vulgaribus schedis, verum etiam in doctissimorum aliquando scriptis soloecismi inueniuntur plurimi. Mallent, qui Ciceronem calumniantur, illum ipsum huius vitii facere auctorem, et minus rectae orationis exempla inde depromere. Inter alia conantur accusare hunc summi oratoris locum: *d*) *At vero etiam tum Catone viuo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita: quum quidem eo ipso anno contra Sergium Galbam ad populum summa contentione dixisset; quam etiam orationem scriptam*

z) Secundum SVIDAM: ὁ τοῦ σόου λόγου αἰκισμός. *Saluae orationis foedatio.* Ex quibus nonnulli opinantur hanc vocem compositam esse. a) Vid STRABO geogr l. 14. FABIVS instit. orat. l. 1. c. 5. GELLIVS noct. Attic. l. 5. c. 20. et l. 13. c. 6. b) Rhetor. ad Herennium l. 4. c. 12. c) L. c. d) De claris oratoribus cap. 20. fin.

scriptam reliquit: sed viuo Catone minores natu multi vno tempore oratores floruerunt. PETRVS RAMVS, e) quem ANDR. IVLIVS DORNMEIERVS f) sequitur, de loco isto Ciceronis, *omitte*, inquit, *parenthesin, extrema coniunge, senties apertius exemplum hyperbati, quod non dubium syntaxeos vitium est.* Nihil vero eiusmodi, si quid video, in illis verbis deprehendere quisquam poterit: modo velit orationem accuratius paulo et aequiori animo iudicare. Dicere voluit eloquentiae magister, Catone viuo adhuc multos oratores floruisse. Ad memoriam vero illius statim subiungit aetatem et longiori addita de oratione aduersus Galbam parenthesi, velut membro ab circulo dictionis alieno, reuertitur in viam et priora verba repetit, *sed*, inquiens, *viuo Catone* etc. vbi particula *sed* idem significat, quod *inquam* asseuerandi verbum, quo continuaturi vel repetituri, quae interrupta fuerunt, vti solemus. Alibi CICERO: g) *Itaque*, scribit, *eius omni et gratia, quae summa est, et opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, vt meis.* Nec illud placet, quod putant, vocem *omni*, ante particulam *et* positam, requirere vt *ope*, non *opibus* dicatur. Quasi vero etiam ante copulam adiectiuum diuersi numeri substantiuis addi non possit, ita quidem vt cum propiori conueniat: quod discere malim ex hoc loco et Ciceronis auctoritate, quam istum ad incertas Grammaticorum regulas corrigere. Neque quod singulare est, statim possumus soloecum aut soloecismum vocare: dantur enim σολοικοφανῆ apud auctores optimos atque probatos, & in hoc felicissimo Latinitatis aeuo, qui videntur esse soloecismi, et non sunt, verum ipsa auctoritate excusari debent: id quod Grammatici

 vocant

e) In Ciceroniano. f) De vitioso Ciceronis imitatore §. 17. g) Ad famil. lib. 1. epist. 9. n. 63.

vocant *synthesin*, ἀλλοίωσιν καὶ ὑπόνοιαν, *intellectionem*. CICERO *h*) epistolam more solito inscribit: *M. T. Cicero Appio Pulchro, vt spero, censori salutem dicit.* ac videtur non *vt spero*, sed *vt speret* scribere debuisse persona tertia, quandoquidem et illi respondet formula *salutem dicit*: ni forsan in animo habuerit verbum idem vt prima se habet, non *dicit*, sed *dico*. Alibi: *i*) *multas a te accepi literas eodem die, omnes diligenter scriptas. Ea vero, quae voluminis instar, erat saepe legenda, sicuti facio: in qua non frustra laborem suscepisti.* Scribendum potius fuisset, *eae* scilicet literae, *quae voluminis instar, erant saepe legendae - in quibus* etc. Cicero vero *ea* scribit et quae sequuntur, cogitationem ad *epistolam* flectens. Sic & in aliis locis. Ne quis autem putet, id solum Tullio accidisse: TERENTIVS: *k*)

--- *Eunuchum dixti velle te,*
Quia solae vtuntur his reginae.

Ubi *Eunuchus* singulari, *his* plurali numero ponitur. Alibi: *restitue in quem me recepisti locum*, pro *in locum, in quo* etc. PLAVTVS: *l*)

Satin habes, si aduenientem ego ita patrem faciam tuum,
Non modo ne introeat, verum etiam vt fugiat longe ab aedibus?

pro *facere, ne pater introeat.* VIRGILIVS: *m*)

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longe decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer: qui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Ver-

h) Ad famil. l. 3. epist. 11. i) Ad Attic. l. 10. epist. 4. k) Eunuch. A. 1. S. 2. v. 87. l) Mostell. A. 2. S. 1. v 42. confer. eiusd. Menaechm. A. 5. S. 7. v. 3. m) Eclog. 4. vers. vlt.

Verſibus duobus vltimis plurali ſubiungitur ſingularis. *n*) Neque enim contra FABII fidem SERVII emendatio locum habet, vt pro *qui* ſubſtituatur *cui.* Et poetae hic eſt verus ſenſus: arride parentibus puer, quoniam inter heroas olim futurus es: nam qui non riſerit, is neque coniugem habebit Deam, neque vllius Dei menſae adhibebitur; quorum alterutrum priſcis heroibus contigit. Sic veteres putabant, riſum praematurum infantibus aliquid magni praeſagire. *o*) HIRTIVS: *p*) *dum haec ita fierent, Rex Iuba, cognitis Caeſaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non eſt viſum dari ſpatium conualeſcendi, augendarumque eius opum.* Ita incipit, quaſi dicturus fuiſſet *non exiſtimauit,* aut ſimile quid pro *non eſt viſum:* atque ita definit, ac ſi dixiſſet *Regi Iubae.* CORNELIVS NEPOS: *q*) *video, magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore et continentia praecipiant argutiſſime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere.* Vbi nemo non videt, abundare pronomen *eosdem.* *r*) Quis dixerit flumen eſſe generis virilis? Attamen VARRO Latinae linguae peritiſſimus: *s*) *Sin cogare ſecundum flumen aedificare, curandum, ne aduerſum eum ponas.* Nam reſpexit ad vocem *fluuius.* Eiusmodi locutiones, quae ſenſu magis ac intellectu quam vocibus cohaerent, in auctoribus claſſicis σολοικοφανῆ, in imperitis atque barbaris ſcriptoribus σολοικισμοὺς vocamus.

Ddd 3 §. XV.

n) Confer. QVINTILIANVS inſt. orat. l. 9. c. 3. et POLITIANVS miſcell. c. 89. o) IVSTINVS l. 1. c. 4. PLINIVS hiſt. nat. l. 7. c. 16. LVCIANVS in dialogo Vulcani et Apollinis. confer. CLERICVS art. critic. p. 2. S. 1. c. 10. §. 12. p. m. 247. p) De bello Africano c. 25. q) In fragmentis. r) Sic et PLIN. l. 10. epiſt. 34. *ego tamen aeſtimans, nouum fieri debere, videris mihi deſiderio eorum indulgere poſſe.* s) De re ruſtica l. 1. c. 12.

§. XV.

Consuetudini maxime repugnat *insolentia*, quae est ratio loquendi huic aeuo Latinae linguae felicissimo non conformis. Et tres sunt praecipue istius species, *archaismus*, *neoterismus*, atque *idiotismus*. Archaismus est vsus verborum veterum, sed obsoletorum, ea consuetudine, quae iam tum Ciceronis et aequalium aetate, vel paulo ante, ceu inepta desiit. *t*) Ecquis frugibus inuentis in consortio hominum elegantiorum velit glandibus vesci? Minime vero in maxima Latinae linguae gloria licuit quasi cum Euandri matre, Oscis atque Volscis loqui. Caueantur ergo archaismi in orthographia, *oloe* pro illi, *dasier* pro dari, *exfociont* pro effugerunt; in etymologia generis atque flexionis, in syntaxi constructionis habita ratione, et illarum vocum, quae ex priscis LL. aetatibus hauriuntur. Cum in adolescentia Latinae linguae versaremur, vt antiquam illius aetatis locutionem ex idoneis scriptoribus eruamus, in singulis orationis partibus tantam vocum rariorum et non satis commodarum farraginem efficere facili negotio potuimus, vt nimis prolixum caput istis refertum operis tractationem concludat. Sed haec incerta omnia et vacillantia et orationis puritati aduersa aetatis adultae felicitas aboleuit. Et Cicero quidem *primus v*) *excoluit orationem, et verbis delectum adhibuit, et compositioni artem.* Exempli gratia nobis esse potest, *facere contumeliam*, phrasis, quae Plauti imo Terentii *x*) aetate adhuc in vsu fuerat: Ciceronis vero temporibus abro-

t) Vid. QVINTILIANVS instit. orat. l. 1. c. 6. SVETONIVS Aug. c. 86. de illustr. Gram. c. 10. Auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae cap. 21. A. GELLIVS noct. Attic. l. 1. c. 10. et lib. 11. c. 7. v) Auctor dialogi de oratoribus. x) Vid. TERENT. Eunuch. A. 5. S. 3. v. 26.

abrogata et neglecta adeo, vt ipsum Antonium ita loquentem oratione perstringeret. *y*) Suum vero archaismi vsum retinent, vbi veterum formulas et dictionem antiquorum studio exprimere instituimus: quod Tullius in legum libris fecit. Idem maximus orator ad Atticum: *z*) *Dii, inquis, auerruncent*, i. e. auertant atque depellant. Sic LIVIVS: *a*) *Placuit auerruncandae Deum irae victimas caedi.* Rursum: *b*) *Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum auerruncandorum caussa supplicationes in biduum senatus decreuit.* *Muginor* verbum vetus est, secundum FESTVM, nugari et quasi tarde conari, et NONIO *c*) per murmurare explicatur. Attamen CICERO: *d*) *De ocella, dum tu muginaris, neque mihi rescribis, cepi consilium domesticum.* Idem: *e*) *Vtinam tibi istam mentem dii immortales duint.* pro *dent.* *f*) Idem: *g*) *pernicii* pro *perniciei*; *dies h*) pro *diei.* *Calface hominem. i*) CORNELIVS TACITVS *k*) vbi Tiberium antiquae locutionis amantissimum *l*) loquentem introducit, archaismis vtitur, *fungi munera*; *fungi officia*; *m*) *Duint. n*) Sic Virgilius passim in carmine antiquioris argumenti. Et archaismi praesertim locum obtinent, vbi sermo est de diis, eorundemque sacerdotibus, locis sacris atque veterum ritibus, senibus item, qui sermonis antiqui retinentiores sunt; quando aliquis ex antiquiori aeuo, quiue solitus est antique

y) CICER. Philipp. orat. 3. c. 8. z) Lib. 9. epist. 2. a) Lib. 8. c. 6. b) Lib. 10. cap. 23. c) Cap. 2. n. 543. d) Ad Attic. l. 16. epist. 12. e) Orat. Catil. 1. cap. 9. f) Vide spicilegium nostrum literarium. g) Pro Roscio cap. 45. confer. GELLIVS noct. Attic. l. 9. c. 14. h) Pro Sestio. GELLIVS l. c. i) Ad famil. l. 16. epist. 18. confer. DORNMEIERI differt. de vitioso Ciceronis imitatore §. 30. seqq. k) Annal. l. 3. c. 2. l) SVET. Aug. c. 86. m) Annal. l. 4. c. 38. n) Ibid.

antique loqui, citatur; aut ſermo dirigitur ad eos, qui archaiſmis delectantur. *o*)

§. XVI.

Neoteriſmus, vt vulgo nunc vocatur, illa dicendi forma eſt, quae nouis vtitur vocibus, aliisue illarum ſignificationibus, quam optimo Latinitatis aeuo veniſſe conſtat. Sic *damnum pati*, pro quo veteres dixerunt *damno affici*. *Fidem adhibere alicui rei* pro *credere aliquid*, Latinum non eſt, ſed *fideliter rem tractare* ſignificat. Vitium hoc quam latiſſime patet, ac prorſus incauti erroris in id aliquando viri eruditiſſimi impegerunt. Nouata ſeu noua, quae et facta dicuntur a Cicerone, non ea intelligo, quae cum ipſa Latina lingua ſtatim nata non ſunt, verum ab ſequentibus politioris aeui ſcriptoribus inuenta. Sic non pauca Caeſaris et ipſius Tullii verba in cenſum venirent, quae optimo inſtituto excogitarunt ante inaudita, vt Latinam linguam copia et ornatu augerent. *p*) Illa omnia vſu iam trita ſunt, ac nouitatis appellationem non ſuſtinent, quamuis olim noua fuerint: adeoque non horreſcenda ſed imitanda veniunt, ita tamen vt auctoris ſenſum recte capiamus, raro rara, frequentius frequentata noſtra faciamus, neque veterum licentia incaute abutemur. Conſtat enim, quam circumſpecte in illis veteres agant, ac plurimum addidiſſe excuſandi formulas: *vt ita appellem*, *ſic enim nunc loquuntur*, *vt nunc loquimur*, *vtamur verbis inauditis*, aut ſimilem in modum. Quamuis etiam pleraque ab auctoribus Latinae linguae optimis facta placuerint: vſu tamen non omnia confirmata fuerunt. Ecquis Iulium Caeſarem in eo ſecutus eſt, quod A. GELLIO

o) Conferatur BVCHNERVS de commutata ratione dicendi cap. 20. atque VOSSIVS inſtit. orat. l. 4. c. 7. p) Vide huius tract. part 2. cap. 2. §.

GELLIO teste *q*) in libris de analogia ſtatuit, nomina quartae declinationis in datiuo per *u*, non per *ui* formanda eſſe. At ille obtinuit, vt *optimus* et *maximus* pro *optumus* et *maxumus* diceretur, quod ante ipſum nemo audiuerat. *r*) Varronem cognouimus, declinationis quartae genitiuum per *uis* formaſſe: quod eruditorum vſus mox iterum obliterauit. Auguſtus, qui in imperio omnia potuit, genitiuum *domos*, quo vtebatur, et alia ad communem vſum transferre non potuit. *s*) FABIVS QVINTILIANVS *t*) auctor eſt, Ciceronem ſcripſiſſe *cauſſa*, *caſſus*, *diuiſſio*; ex quibus *cauſſa* pro *cauſa* vulgo receptum eſſe videmus a criticis optime: *caſſus* ac *diuiſſio* non item. *v*) Poſt ea tempora, quae robur latinitatis virile conſtituunt, vt in peius ruant omnia, magis atque magis contra linguae genium et conſuetudinem locutiones irrepſerunt: a quibus vix ac ne vix quidem hodie latine loquentes ſibi temperare poſſunt. Quaedam ex iſtis omni ſtudio Latinitatis purae ſtudioſis fugienda ex huius ſeculi auctoritate et vſu emendare licebit. *x*) Sic *Abbreuiatura* latinis eſt notis velociſſime excipere. *Abominabilis* abominandus, deteſtandus, deteſtabilis, execrabilis. *Abominatio*, res deteſtabilis et abominanda. *Adoptatio* adoptio. *Æquanimiter* aequo animo. *Affirmatiua*, negatiua, affirmantia, negantia. *Albedo* albitudo, albor color albus. *Aliqualiter* quodammodo, aliquo modo. *Amicabiliter*, amice. *Anguſtiare* affligere, premere. *Animalculum* beſtiola. *Animitus* ex animo. *Annihilare*, in nihilum redigere. *Annulare* abolere, antiquare. *Aptitudo* habilitas. *Armiſti-*

q) Noct. Attic. l.4.c.6. r) Vid. QVINTILIANVS inſtit. orat. lib. 1. cap. 7. s) SVETON. Auguſt. cap. 87. t) Inſtit. orat. lib. 1. cap. 7 v) Plura vide apud FABIVM l. c. l. 8. c. 3. confer. huius tract. part. 1. c. 1. §. 34. x) Vid. CELLARIVS antibarb. cap. 1. Elegantiſſimus HALLBAVERVS vom Lateiniſchen Stilo p. 276. ſeqq. 307. ſeqq. 316. ſeqq. Plures alii.

tium induciae. *Assistentia* auxilium. *Assuefactio*, vsus, exercitatio, consuetudo. *Balbuties* haesitantia linguae. *Benefactor* beneficus, benemeritus. *Beneplacitum* iure meo, pro iure meo, tuo etc. *Blasphemare* exsecrari. *Boatus* mugitus. *Bouinus* bubulus. *Canonizare* in coelitum numerum referre. *Capitaneus*, centurio, praefectus. *Captiuare* in custodiam tradere. *Carentia* inopia, absentia. *Casualiter* casu et fortuna. *Certitudo* certum, certa rei ratio. *Coelicus* coelestis. *Coadiuto* adiuto. *Cognoscibile* quod cognosci potest. *Coincidere* simul incidere, concurrere, tantumdem valere. *Collaterales* proximi. *Collimare* collineare. *Combinare*, iungere, connectere. *Commendatorius* commendatitius. *Commensalis* conuictor. *Compassio* communis dolor. *Compater* sponsor fidei, baptismatis testis. *Complacentia* oblectatio. *Conciuis* ciuis. *Concordantia* consensus, loca parallela. *Concupiscentia* libido, cupiditas. *Conditionaliter* sub ea conditione, vel ea conditione. *Condolentia* aequalis dolor, communis calamitas. *Confoederati* foederati, socii, amici. *Confortare* confirmare, corroborare. *Confrater* frater. *Constellatio* astrorum affectio. *Contrarietas* contrarium. *Contrarior* aduersor. *Controuertitur*, controuersantur, controuersia est, res venit in controuersiam. *Coordinare* ordinare vel in ordinem redigere. *Correcte* emendate. *Correspondere*, respondere, consonare, consentire. *Crapulari* crapula laborare. *Creatura* Res creata. *Curabilis* sanabilis, medicabilis. *Dapifer* dapes deferens. *Deceptio* captio. *Desertum* pl. deserta, desertus locus, solitudo. *Desolatio* excidium, vastitas. *Districtus* territorium. *Diuersimode* non vno modo, alio atque alio modo etc. *Diuisibilis* diuiduus. *Diuisim* separatim, seorsum. *E contra* contra, e contrario, e contraria parte. *Efformare* effingere, exprimere. *Elucescit* elucet. *Epitomare* excerpere, breue velut corpusculum facere, strictim colligere sparsa.

ſparſa. *Excommunicare* eiicere eccleſia, ſacrorum vſu prohibere. *Exhibitor literarum* qui literas reddidit. *Exorbitare* de via deflectere, diſcedere. *Extemporaneus* Extemporalis. *Extraordinarie*, extra ordinem. *Extrinſecus* adiect. Externus. *Extrinſece* aduerb. Extrinſecus. *Filialis* quod filii eſt, quod filium decet. *Finaliter* denique, tandem, nouiſſime. *Fixe* acriter, acri animo et intento. *Flauedo* flauus color. *Fortalitium* caſtellum, caſtrum munitum, propugnaculum. *Frontiſpicium* pars anterior. *Fruſtraneus* irritus, ſuperuacuus. *Fundamentalis* ſolidus, ſolido fundamento impoſitus. *Fuſim* ſparſim. *Gratitudo* gratus animus, grati animi ſignificatio, beneficiorum memoria, memor beneficii animus. *Grauamen* moleſtia, querela. *Hereditare* hereditatem adire, cernere, obtinere, conſequi, in partem hereditatis vocari. *Homagium* clientela. *Humiliare* ſubmiſſius ſe gerere, ſubmittere ſe. *Iciunare* cibo ſe abſtinere. *Ignoranter* inſcienter, per ignorantiam. *Immediatus* et *immediate* proxius, proxime, nullo interueniente, ſine interuentu alius. *Immoriger* et *immorigerus* male morigerus, non obediens. *Impertinens* ad cauſam non pertinens, extra cauſam, nihil ad rem pertinens. *Impoenitens* et *Impoenitentia* impius, improbus, impietas. *Importantia*, momentum, pondus. *Impraegnare*, grauidam reddere, implere. *Inaduertentia* inconſiderantia. *Incertitudo*, incertum. *Inceſſabilis*, continuus, non intermiſſus. *Inceſſabiliter* et *inceſſanter* ſine mora et ſine intermiſſione. *Incidenter* obiter et in tranſcurſu. *Inconſideratio* inconſiderantia. *Incorrigibilis* inemendabilis. *Incurabilis* deſperatus, inſanabilis. *Indiuiſibilis* indiuiduus. *Ineptitudo* inhabilis indoles. *Infernus* ſubſt. inferi, infera, orcus. *Infernalis* aeternus, infernus, perpetuus. *Infideliter* mala fide. *Infirmiter* infirme. *Influxus* lunae tactus, vis ſtellarum et lunae. *Ingratitudo* ingratus animus, ἀχαριστία.

Inhonorare dedecorare. *Iniuriare*, iniuriam facere, inferre. *Inobediens* non obediens, inobſequens. *Inſignium*, inſigne, ſignum. *Inſolite*,inſolenter. *Inſufficienter*,nimis parce,exigue. *Intrinſecus* adiect. internus, intimus. *Intrinſece* aduerb. intrinſecus. *Inuiolabiliter*, inuiolate. *Inuiſibilis*, res caeca et ab adſpectus iudicio remota, quae oculorum effugit obtutum. *Irreconciliabilis*, implacabilis, inexpiabilis. *Irregularis* inuſitatus. *Irremiſſibilis* cui nunquam condonabitur. *Iuramentum*, iusiurandum. *Legaliter*, ſecundum legem. *Licite*, iuſtis de cauſis, iuſte, honeſte. *Liga* foedus. *Longanimus* lentus in ira, lento gradu ad vindictam procedens, remiſſior in vlciſcendo. *Lubricitas* lubricum. *Magnanimiter* magno fortique animo. *Matricula* album. *Mediator*,conciliator,pacificator. *Meliorare* melius facere, in melius referre. *Menſurare* metiri, metari. *Miniſterialis*, miniſter, adminiſter, miniſtrator. *Miraculoſus* mirabilis, mirandus, prodigioſus. *Modernus* recentior, hodiernus noſtri temporis. *Multoties* ſaepe, ſaepenumero. *Neceſſitare* cogere, neceſſitatem afferre. *Neutralis* medius, neutrius partis, otioſus. *Notorie* manifeſte, aperte. *Nullatenus* neutiquam, nequaquam, nulla ratione. *Nuſpiam* nuſquam. *Ocularitter* ipſo intuitu, oculorum iudicio. *Oſcitantia* oſcitatio. *Pacifice* tranquille. *Perpendiculariter* ad perpendiculum. *Phlegmaticus* cui pituita moleſta eſt, pituita abundans. *Plauſibiliter* cum applauſu. *Pompoſe* ſplendide, magnifice. *Praenominatus* praedictus, ſupra dictus, ante dictus. *Praeprimis* inprimis, cumprimis, praeſertim, maxime, praecipue, potiſſimum. *Praeſuppono* quocunque modo praeſtat circumſcribere. *Priuilegiatus* priuilegiarius. *Prodigalitas* prodigitas, prodigentia. *Proficuus* vtilis. *Profunditas* profundum. *Promanare* emanare, permanare, profluere. *Promtitudo* propenſio, alacritas, promtus animus. *Prophetare*

tare vaticinari,praedicere. *Proportionalis* proportionem ſeruans. *Proportionaliter* pro rata parte, pro facultatibus cuiusque. *Protectio* defenſio, praeſidium,clientela,patrocinium. *Punctare* vel *punctuare* punctis notare, puncta vocalia adiicere. *Puſillanimus* timidus, fracto et humili animo. *Quantocius* quam primum. *Quercinus* quernus. *Ratifico* ratum facio, ratum habeo. *Recenter* recens, recentes. *Recommendare* commendare. *Recompenſare* compenſare. *Reſipiſcentia* emendatio vitae, reditio ad meliorem frugem. *Reſiſtentia*, repugnantia. *Reiterare*, iterare. *Reſpectiue* comparate. *Reuiſio* recognitio rei iudicatae. *Reuolutio* conuerſio. *Rigoroſus* rigidus. *Saluifico* ſeruo, ſaluo, ſaluum reddo. *Sanctificare* profanis curis eximere, ſanctum eſſe iubere. *Scandalum* impedimentum pietatis, irritamentum malorum. *Scandalizare* corrumpere,peiorem reddere, conſcelerare alicuius aures. *Scibile* quod ſcientia comprehendi poteſt. *Scortatio* meretricius amor. *Secrete* ſecreto. *Septimana* hebdomas vel hebdomada. *Serioſus* ſerius. *Situatio* poſitio loci, *bona ſituatio* opportunitas loci. *Sophiſticari* ſophiſtas imitari, captioſe diſputare. *Sordities* ſordes. *Subalternus* ſecundarius,inferior. *Subalternare* alternis ſuperiorem et inferiorem eſſe. *Subintelligo* ſubaudio. *Succeſſiue*, progreſſu temporis, diuerſo tempore. *Succurſus* milites auxiliares. *Superioritas* faſtigium,praeſtantia. *Supernaturalis* extra ordinem naturae. *Totalis* totus. *Totaliter* penitus, plane, omnino. *Transmutatio* immutatio. *Tremulare* tremere. *Vacantia* vacatio. *Valedictorius* propter viam. *Vaſallus* cliens fiduciarius. *Virtuoſus* honeſtus, virtute praeditus, ſumma virtute homo. *Viſibiliter* in oculis et conſpectu hominum. *Vituperium* vituperatio. *Vnanimiter* vno animo, vno ore. *Vnigenitus* vnicus vel vnigena. *Vxoratus* qui vxorem duxit. Omnium vero peſſima ex nouis

ſunt vocabula ſcholaſticorum philoſophorum, qui triſtiſſimis vixerunt linguae Latinae ſeculis, cum barbaries ad quoddam quaſi faſtigium duceretur, literarum incredibilis contemtus regnaret, contemtum maxima omnium rerum inſcitia ſequeretur: vt ſuo loco notabimus et tempore. Tunc nihil crepabant ſcholae ac ora docentum praeter *aptitudinabilitates, componibilitates, paſſionabilitates, ſuſceptibilitates*; differebant de *dabilibus, verificabilibus, meliorabilibus*, de *ſingularizationibus, effectuationibus, infinitationibus*; inquirebant ſubtiliſſime in *homineitates, femineitates, menſeitates, lapideitates* et huius furfuris putenda, quae nunc omnes ſaniores vel audire, vel recitare diſtaedet.

§. XVII.

Eo pertinent omnes, quibus oratio impura fit dictiones peregrinae, artium vocabula, et quae pro ingenio hominum finguntur. Suae ſunt ſingulis diſciplinis notiones et voces, quae neſcio quam ſibi in ipſa oratione licentiam vindicant. Sic apud theologos, iure conſultos, medicos, philoſophos, rhetores et ipſos Grammaticos barbara praeualent ſaepe Latinis. Theologis nihil frequentius, quam *eccleſia, baptiſmus, ſacramentum, reſurrectio*; Iure conſultis placet *adoptio, praeſcriptio, allodium, hypotheca*; Medicis non exiguum in *ſirupo, electuario*, mille morborum denominationibus lucrum. Tanta vis eſt conſuetudinis, vt res quae ſecundum eandem naturam dicuntur, *vniuocas*, nulla auctoritate, quam cum PLAVTO, y) SVETONIO, z) aliisue probatis ſcriptoribus, *res cognomines* vocare malint. *Praedicabile* logicis id eſt, quod alicui poteſt attribui: oratoribus, praedicandum, prae ſe ferendum. *Praedicari* logicis dici: oratoribus laudari. *Propoſitio maior* peruulgatum eſt, *praeſumtio* non item. *Per accidens* magis placet quam *vi aliena*, cui opponitur *ſuapte vi*. *Homonymiae* ſunt

y) Bacch. A. 1. S. 1. v. 5. z) Vitell. c. 2.

ſunt pro verborum ancipitibus et multiplicibus poteſtatibus. *Subalterni fines* pro finibus, quorum alii ſub aliis collocantur. *Definitio ſubſtantialis* auditur crebrius, quam vera rei definitio, aut definitio rem proprie exprimens; *definitio accidentalis*, quam rei fortuitae. Quamuis ego minime gentium eſſe velim ex illorum numero, qui vocabula quarumque diſciplinarum propria reiicere penitus, atque philoſophorum ſermones ad claſſicorum auctorum lancem expendere ſtudent: *a*) illos tamen probare non poſſum, qui ſupine et inquinate loquuntur, contra ipſius linguae conſuetudinem. Philoſophum neque decet eſſe ſordidum, neque nimis ſtudioſe veneres atque lepores ad animi oblectationem conſectari. Licet aliquando, pro horridis atque barbaris, in rerum demonſtratione verbis melioribus vti, vel iſtas alio alioque modo circumſcribere. Dicerem pro *collationato* exemplum recognitum, pro *cauſſatiſſime*, non ſine cauſſa, optimo iure; Pro *carentia* eſſet vacuitas; pro *caſuali* fortuitum; pro *incogitabili* in cogitationem non cadens; pro *intelligibili* in noſtram intelligentiam cadens; pro *immemoriali* poſſeſſio hominum memoria antiquior, pro aliis alia probatiora atque ſana. Vel Ciceronis et cordatiorum exemplo his aut ſimilibus formulis mollienda ſunt: *vt vulgo loquimur*; *vt noſtri philoſophi loquuntur*; *vt vocant*; *vt theologorum dictione vtar*; *ſic mihi liceat cum barbaris loqui*.

§. XVIII.

Neque cum Latinae linguae, vt hac aetate fuit, inſigni caſtitate conueniunt illae voces, quae ex diuerſis linguis conglutinatae

a) Quibus obſtat interdictum ſapientiae: "noli amouere terminos, quos poſuere patres: "et SCALIGER ad Card. exerc. 1., "non verſamur in foro, aut in Romano concilio, ſed in communi theatro ſapientum ſub oculis veritatis, cuius ſupellectilem atque apparatum non tam nitidum, quam opulentum eſſe decet.

natae sunt, et *hybridae* vocantur: vt sunt ex. gr. *bigamus* et *bigamia*, ex Graeco γάμος et Latino *bis* insolenter compositae. Tutius eum, qui ad secunda vota transiit, *digamum*, et matrimonium secundum *digamiam*, vt coniugium quod maritus cum pluribus simul iniit *polygamiam*, licet parum etiam proprie, diceremus. *Monoculus* ex μόνος et *oculus* mixtum vocabulum in Latina lingua ferendum non est: *vnoculus* apud veteres obuenit: *b*) *luscus* vocatur etiam Latinis, qui altero debilis est oculo. IVVENALIS: *c*)

Cum Gaetula ducem portaret bellua luscum.

Et MARTIALIS: *d*)

Oculo Philaenis semper altero plorat.
Quo fiat illud quaeritis oculo? lusca est.

Sic ego quidem hybridas omnes voces eliminandas esse putem. Quoniam vero nulla regula est sine exceptione: fieri etiam potest, vt illis ipsis liceat vti: cum extrema necessitas nos vrgeat, ac nostri seculi consuetudo, quod verba vt nummi valent, aliquorum versionem non patiatur. Exempli gratia sunt maximorum quorumque virorum tituli: quibus videremur tantum detrahere dignitatis, quantum sermoni gratiae conciliare studemus. Sic vsu valet *Archidux*, non dux primarius vel ducum princeps; *Archipincerna* non pincernarum princeps; *Archicancellarius*, non cancellariorum vel scribarum sanctiorum princeps; *Archimareschallus* non stabulorum praefectus seu praetorio praefectorum princeps; *Archicamerarius* non cubiculariorum princeps; *Archithesaurarius* non quaestorum princeps. Ecquis *Landgrauios* nominare nollet, nisi prouinciales comites, neque *Margrauios*, nisi comites limitibus tuendis; *Episcopos* autem vocaret ciuitatis vel reip. Christianae principes. *Reverendissimi*

b) Vid. PLAVTVS Curc. A. 3. S. 1. ACCIVS apud Gellium l. 3. c. 11. SOLINVS c. 25. alii. c) Sat. 10. v. 158. d) Lib. 4. epigr. 65.

dissimi titulus tribuitur Episcopis et Abbatibus, licet participia passiua futuri temporis nullam apud Latinos comparationem admittant. Eaque ratione multo tutius est in Latinitatem, quam in ciuilem prudentiam peccare.

§. XIX.

Idiotismus alias pro natiua elegantia et puritate, atque adeo maxima sermonis virtute, habetur. Quo sensu SENECA *e*) *idiotismus*, inquit, *est inter oratorias virtutes res, quae raro procedit: magno enim temperamento opus est, et occasione quadam.* Hic vero sumitur, vt vitium est, pro forma dicendi priuata et plebeia, quae discedit ab vsu et consensu eruditorum. *f*) Id genus sermonis corrupti ab aliis *peregrinitas* vocatur: quo pertinent omnes omnium populorum peculiares loquendi formae, quas ad linguae suae vernaculae modum flectere solent, *Graecismi*, *Germanismi*, *Gallicismi* etc. Ex. gr. idiotismus est, si dicis *pati damnum*, verbis quidem latinis, sed neutiquam Latine: postulat enim Latinitas *facere damnum*, *capere* vel *accipere*, vt dicas, vel etiam *affici damno*. Italorum vero, Germanorum, aliorumque idioma est, *damnum pati*. Quamuis negari non possit, dictiones in lingua Latina esse multas, quae, non dicam hellenismos, sed Germanismos redoleant, ac vitiosae videantur esse: et verum Latinitatis genium exprimant atque demonstrent. *g*) Ita TVLLIVS: *h*) *si tibi fortuna non dedit, vt* -- Wenn dir das Glück nicht gegeben hat / daß -- *Ad quem morte eius diuitiae veniunt.* *i*) An welchen durch seinen Tod der Reichthum kommt. *Habeo dicere.* *k*) Ich habe zu sagen. Hoc est dicere. *l*) Das ist zu sagen.

e) Praef. l. 7. controu. f) Vid. CELLARIVS proleg. cur. post. p. 7. ipsis cur. post. c. 5. p. 172. g) Vid. VORSTIVS de Latinitate falso suspecta. h) Orat. pro Roscio c. 16. i) Ibid. c. 31. k) Ibid. c. 35. l) Philipp. orat. cap. 28.

§. XX.

Pronunciatio vocum Latinarum recta, cuius vitium ſupra inter barbariſmos retulimus, quam maxime etiam ad puritatem ſermonis pertinet. Illa docet, quomodo lingua et ſpiritus moderandus ſit: vt dictionem quamlibet, pro virtute ac diſpoſitione literarum, et ſyllabarum accentu, vt hoc ſeculo fuit ſine macula et labe, ad veterum conſuetudinem eloquamur. Syllabarum vero naturam et quantitatem ex antiquioribus poëtis, eorundemque relictis verſibus cognoſcere poterimus. Iſtos, vt caſte dicamus, inprimis debemus ſequi: non barbare ad maximam linguae ignominiam vel ioco profiteri: non curamus quantitatem ſyllābarum: aut latina vulgari modo ad flexionem vernaculae durius leniusue ore diſtorto proferre. Non ſolum dictio, quae reprehenſione caret, vſurpanda, verum etiam lingua moderanda eſt et ſpiritus et vocis ſonus. Sed valde timeo ne fruſtra, vtut ſint cauti, et quammaxime curioſi, hac parte ad veterum gloriam adſpirent. Nihil vulgari pronunciatione corruptius, vbi B.P.D.T.C.Z.AE.OE.E.V.F.V.I. et ſimilia obueniunt. *m*) Hoc Latinitatis feliciſſimo ſeculo dicebant clare, et expedite, et ſine vllo vitio aut deprauatione. Vel ſi quis committere videbatur in eam orationis virtutem, in continenti lectorem alii corrigebant. Hinc Plinivs, *n*) *memini*, ſcribit, *quendam ex amicis, quum lector quaedam perperam pronunciaſſet, reuocaſſe et repeti coegiſſe*. A iuuentute vero, ne quid vitioſe prouectiori aetate pronunciarent, Romani ſuis liberis magiſtros praeficiebant, qui *praelectores* dicebantur, et maxima cura vocis cuiusque naturam et ſonum docebant. De Zoſimo Plinivs: *o*) *idem tam commode orationes et hiſtorias et carmina legit, vt hoc ſolum didiciſſe videatur*. Atque etiam inde Gel-

m) Vid. Lipsivs de recta pronunciatione Latinae linguae. Scaliger de cauſſis LL. Vossivs in Ariſtarcho et inſtit. orat. l. 6. c. 6. ſeqq.
n) Lib. 3. epiſt. 5. o) Lib. 5. epiſt. 19.

GELLIVS: p) *ecquid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicuius aeris, quadrupes equus dicturum fuisse, ac non quadrupes eques?* Hactenus de puritate, quam κατ' ἐξοχὴν latinitatem vocant.

§. XXI.

Sequitur altera sermonis virtus, *perspicuitas* et euidentia, quae omnino necessaria: vt intelligamur atque cogitationes nostrae satis clare pateant aliis, ac verus tandem orationis scopus obtineatur. AVGVSTINVS q) *quid prodest*, inquit, *locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla sit necessitas, si, quod loquimur, non intelligunt, propter quos loquimur, vt intelligant.* Hinc affectata orationis obscuritas semper et vbique, sed quam maxime in robore ac virili Latinitatis aetate persibilata fuit: licet ab antiquissimis temporibus etiam fuerint homines, qui nescio quam inde sibi gloriolam quaesiuere. Neque hoc vitium, teste FABIO r) tunc erat nouum, cum iam apud Titum Liuium inuenerit, fuisse aliquem, qui discipulos obscurare dicenda iuberet. Exempla longe antiquiora proferre possimus: vt apud LVCRETIVM: s)

Heraclitus init quorum dux proelia primus
Clarus ob obscuram linguam.

Scilicet ex inepta persuasione hoc prouenit, qua mortalium plurimi ducuntur, eam orationem esse dictam exquisite, cum interpretanda sit: atque tunc demum sibi videntur ingeniose scribere, cum ad scripta intelligenda ingenio opus sit. Perspicuitatem optimi quique assequebantur duplici modo, ipsa orationis meditatione, et facili vocum rectarum constructione.

 Quando

p) Noct. Attic. l. 18. c. 5. q) De doctrina Christiana l. 4. c. 10. Confer. ARISTOTELES Rhetor. l. 3. c. 2. FABIVS instit. orat. l. 2. c. 3. et l. 8. c. 2. VOSSIVS instit. orat. l. 4. c. 1. WALCHIVS hist. crit. LL. c. 2. §. 10. r) Instit. orat. l. 8. c. 2. s) Lib. 1.

Quando cogitationes ipſae non ſatis procedunt,ſed ordine confuſo attentum auditoris animum vexant conturbantque: orationem obſcuritate oportet laborare. *t)* Non debet eſſe nimis conciſa: nam cum breuitati ſtudeo, obſcurus fio: *v)* neque nimis longa: quoniam iſta omnibus inuiſa copia, et plurium in eodem circulo rerum enumeratione turbatur memoria: vt intentio auditoris dicentem proſequi non poſſit. *x)* Quo vitio Aſiatici veteres laboraſſe dicuntur. *y)* Deinde vt perſpicua fiat oratio, requiruntur verba propria et vſitata: quae quidem modificata non excludunt, ſi natiuam ſignificandi vim ex conſuetudine optimorum auctorum habent. Obſoleta procul abſint atque poetica. Imo et rara, et artium ſaepe vocabula obſcuritatem inperitis ſaltem proferre ſolent. Quamuis ſcribere aliquando neceſſe ſit ita, vt non omnes intelligant omnia: quin reſtent quae rudiores diſcere ac inueſtigare cogantur. Oratio non debet laſciuire adagiis, formulis prouerbialibus, tropis et locutionibus hyperbolicis. Ad fugiendam orationis obſcuritatem, fugere nos oportet verborum mixturam, ſiue traiicias illud in eodem commate, quod ἀναστροφὴν, ſiue ex vno commate in aliud, quod σύγχυσιν vocant. Anaſtrophe eſt in hoc Tibvlli:

Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.

pro *ante ponitur:* & male in vulgatis legitur *ante Deum.* In Afranii verſu: *z)* *Vt*

t) De vitioſorum cogitationum diuerſis generibus vid. Bvddei philoſ. inſtrum. p. 1. c. 1. et. p. 2. c. 2. Clerici art. crit. tom. 1. p. 2. ſect. 1. c. 8. 9. et ſect. 2. cap. 7. pag 446. v) Eam ſermonis nimiam breuitatem βραχυλογίαν veteres vocarunt, qua Lacones inprimis quondam vtebantur. x) Vitium hoc contrarium Aſiaticis commune μακρολογία vocatur, quae longior eſt quam decet oratio. y Obſcuritatis exemplum vide in Petri Bembi Leonis X nomine ſcripta epiſtola 1. lib. 7. ad Ludouicum Galliae Regem: „verum cum optimam viuendi rationem, vſque ad verba: „laeta feliciſſimaque perciperet. z) Apud Nonivm.

Vt ſcire poſſis, ad quo te expediat loqui.
pro *quoad.* σύγχυσις eſt apud HORATIVM: *a*)

Namque pila lippis inimicum, et ludere crudis.
Illud enim *ludere* ad prius comma pertinebat, ceu quod cum *pila* cohaeret. Idem: *b*)

--- *Neque ſimius iſte*
Nil praeter Caluum, et doctus cantare Catullum.

Simium vocat Demetrium poetam deformis atque breuis ſtaturae, cui demum reſpondet in altero commate *doctus*, et ſenſus eſt, eum nihil didiciſſe cantare praeter Caluum et Catullum. Ad perſpicuitatem requiritur porro, vt verba vnum ſignificent: cui repugnant ὁμωνυμία et ἀμφιβολία. *Homonymia* eſt ambiguitas in vocibus priuis et coniunctis. *Amphibolia* eſt ambiguitas in conſtructione. Ita ex. gr. homonymia eſt in voce *Germanus*, qua ſignificatur aliquis in Germania natus, et frater germanus: ita *Gallus* etc. Neque tamen homonymia eſt, quoties vox in ſe ὁμώνυμος vſurpatur. Sic aſtrologus enumerans ſidera cum nominat canem, lyram, delphinum et ſimilia, non ambigue loquitur: nam ex natura materiae, de qua ſermo eſt, facile patet, quomodo illis vocibus vtatur. Sed tunc demum homonymia ſtatuenda, quando ſententia loquentis ambigua eſt. Vt cum Cicero de Cimbro fratricida dixit: *Germanum occidit Cimber.* Idem: *Octauium eſſe laudandum et tollendum.* Cui Octauius venienti ad ſe ſuaque merita commemoranti eadem ambiguitate dixit, *quod poſtremus accederet amicorum.* Ageſilaus vero: *neſcio quot millibus ſagittariorum ex Aſia expellor*: ſignificans, Graeciae principes corruptos eſſe largitione numiſmatum, in quibus ſagittarius ſignum erat. Eiusmodi locutiones ambiguae ſuo loco et tempore quidem venuſte et erudite vſurpan-

a) Lib. 1. ſat. 5. b) Lib. 1. ſat. 10.

pantur: ſed in oratione prolixiori etiam ab ingenioſiſſimis vix intelligi poſſunt. Amphibolia eſt in vulgato ENNII verſu: *c*)

Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.

Cui ſimile: *d*) *Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam.* Non conſtat enim, vter caſus a fronte regatur, vter a tergo. Veruntamen etiam in his fieri poteſt, vt ambiguitas nulla proueniat: quando ſcilicet altera ſententia vel conſtruendi ratio abſurda eſt, ac verus verborum ſenſus elucet: ex. gr. *vidi fratrem ſcribere epiſtolam*; *candens hominem audiui deuorare ferrum*: neque enim periculum eſt, vt aliquis hominem putet eſſe deuoratum a ferro; neque fratrem ab epiſtola fuiſſe conſcriptum. Si quando veteres vtebantur verbis differentibus, ad euitandam orationis obſcuritatem, commode et ornate clariorem vtriusque ſenſum continuo ſubiicere ſolebant. Ita CICERO: *e*) *quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia et eloquentia. Quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo.* Differentibus vtitur verbis *vereri* atque *metuere*. Inde obſcuritas illis facile potuiſſet ſuboriri, quibus non conſtitit *vereri* pudoris, *metuere* periculi eſſe. Quam ob rem ille ſtatim ſubiungit: *eloquentia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: gratia Septi Naeuii ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimeſco.*

§. XXII.

Tertia, quam hac Latinae linguae optima aetate habuerunt, orationis virtus erat *ſuauitas* venuſtasue, quae Graecis χαριεντισμὸς vocatur, vt quicquid diceretur, eleganti quodam curſu et molli verborum concluſione procedat, nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet: ſed vocibus ipſis natura et arte,

c) Apud FABIVM inſtit. orat. l. 7. c. 9. et l. 8. c. 2. d) Ibid. e) In oratione pro Quintio ab exord.

arte, quoad fieri potuit, concinne et ſuauiter compoſitis, *f*) inſigni cum iudicio adhibitis rhetorum tropis et figuris, *g*) ſeruato vbique ſententiarum, ac periodorum ordine, tota oratio permixta et temperata numeris aequabiliter fluat. In omnibus iucunda temperatura obſeruanda erat: neque enim ſemper numerus idem, neque ſemper aequalis periodorum menſura eſſe poteſt, ſed breuiores etiam interſeri debent. Hac in re Graecorum ſophiſtae vehementer errarunt, qui tam religioſi fuerunt numerorum obſeruatores, vt cordatioribus omnibus iſtorum ſtudium putidum et affectatum videretur. *h*) Contra Latini oratores et inprimis Tullius, ita ſibi temperarunt, vt non tota eorum oratio e numeris conſtaret, ſed numeros non aſpernari aut negligere viſa fuerit. Ita reconditas exquiſitasque ſententias mollis et pellucens veſtiebat oratio: nihil tam tenerum, quam comprehenſio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis illorum arbitrio fingeretur. Omnium oratio ita pura erat, vt nihil liquidius, ita libere fluebat, vt nuſquam adhaereſceret, nullum niſi loco poſitum ſtructumque licebat videre verbum. Nec vero vllum aut durum, aut inſolens, aut humile, aut in longius ductum: pleraque translata, ſic tamen, vt ea non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres, nec vero haec ſoluta, nec diffluentia, ſed aſtricta numeris, non aperte, nec eodem modo ſemper, ſed varie atque diſſimulanter concluſis. Erant et verborum et ſententiarum illa lumina, quibus tanquam inſignibus in ornatu omnis oratio diſtinguebatur. *i*) O felix et fauſtum, quod hac aetate Lati-

f) De compoſitione vid. FABIVS inſtit. orator. l. 9. c. 4. g) De quibus praeter FABIVM ipſe TVLLIVS de oratore l. 3. c. 39. 40. et 53. h) Vid. SENECA controu. 19. et 25. GELLIVS l. 11. c. 13. i) CICERO de claris oratoribus cap. 79.

Latinis obtigit, eloquentiae ſtudium! O ſi Numen propitium cum aurea aetate literis et inter nos gloriam ſuam olim referat! Verborum nos tandem in hac adultae Latinitatis contemplatione finem facimus adhortatione, *k*) tenero cuiuis ſtudioſae iuuentutis ingenio ſcripta:

Diſce tenendarum natiua vocabula rerum:
Diſce, ſed vt ſcopulos barbara priſca fuge.
Qui ſapit, antiquis vix vſurpata Cethegis
Verba, Sibyllarum tempore nata, cauet.
Deridebat eos Caeſar, quos norat ab ipſo
Saturni ſeclo, non imitanda loqui.
Nec noua, ſidereae quod fecit ſcilicet vrbis
Auctor Alexarchus, fingere verba ſtude.
Pura, ſed e medio pete verba, frequentia vulgo:
Sanis ingeniis dictio ſana placet.
Sermones animum pingunt: ſapientia voces,
Quas peperit genitor publicus vſus, amat.
Vt referas igitur, quae ſunt dicenda, diſerte
Et proprie: rerum nomina diſce puer.
Diſce puer, dum tempus adeſt: nunc aurea meſſis
Doctrinae ſtudium prouocat ecce tuum.
Barbareum ſenſim faſtidia noſtra refundunt,
Aurea dum regnant, ferrea ſecla caue.

k) Ex epigrammate M. HVLD. SCHOB. ad eloquentiae ſtudioſum.

TANTVM.

INDEX.

❧) o (❧

INDEX

RERVM ATQVE VERBORVM.

NB. Hoc signum * partis prioris paginas notat.

Arida

 Catul-

Cice-

Clas-

Cor-

I N D E X

Faci-

Hora-

Libro-

Maece-

Moe-

Pater

Puri-

X.

Z.

F I N I S.